



37
38 B
11

# JOANNIS DEVOTI

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA
ARCHIEPISCOPI CARTHAGINIENSIS

## JUS CANONICUM UNVERSUM PUBLICUM ET PRIVATUM

*NOVA ROMANA EDITIO ACCURATIOR*

**TOMUS III.**

**QUI COTINET LIBRUM II. DECRETALIUM GREGORII IX.**







ROMÆ

APUD JOANNEM FERRETIUM

M.DCCC.XXXVII

*Superiorum facultate*

# LIBER II.

# DECRETALIUM GREGORII IX.

## TITULUS I.

### De Judiciis.

I. In omni hominum societate necessariae sunt leges, et qui earum exequutionem curent.
II. Ecclesia interioris habet, et exterioris fori jurisdictionem.
III. Apostoli utramque exercuerunt.
IV. Et V. Utramque etiam Apostolorum successores Episcopi.
VI. Eam civiles quoque leges semper integram esse voluerunt.
VII. Haec exterior Ecclesiae jurisdictio semper efficax, et actuosa fuit.
VIII. Eamque exercuit Ecclesia non per arbitros, sed per veros judices.
IX. Judicium ecclesiasticum, saeculare, et utrumque possessorium, ac petitorium.
X. Ordinarium, et summarium.
XI. Stricti juris, ac bonae fidei.
XII. Simplex, et duplex.
XIII. Spirituale, ac temporale.
XIV. Quid judicium, et quibus constet?
XV. Mixtum imperium.
XVI. Qui judex competens?
XVII. Qui stare in judicio, et qui ad hoc vocari nequeant?
XVIII. Ordo judicii.

Agitur de his in Sexto, Clementinis, et Extravag. commun. *h. t.* in Decreto 2. *q.* 1., 5. *q.* 4., *et* 14. *q.* 1. 15. *q.* 7. 16. *q.* 6. 30. *q. ult. can. si quis* in Trident. *sess.* 7. *c.* 14. *sess.* 24. *c.* 20., *et sess.* 25. *c.* 10. *de reform.*, *et sess.* 13. *c.* 5. *de reform.*, ubi de judicio summario. In Institutionibus *lib.* 4. *tit.* 6. *de action. cum seqq.*, in Pandectis *lib.* 5. *tit.* 1., *in Codice lib.* 1. *tit.* 4. *lib.* 3. *tit.* 1. 5. 6. 7.

§. I.

*Parum est*, inquit Pomponius I. C. (1), *jus in Civitate esse, nisi sint qui jura reddere possint.* Cum enim jus imperet, praescribatque leges, quibus respublica regenda est, sed imperata, et praescripta exequi per se ipsum nequeat, sui

vindices habere debet, et curatores, effectoresque eorum, quae sunt constituta. Id vero praestant Magistratus huic muneri praepositi, quorum est explicare potestatem, qua praediti sunt, ut legum praescriptiones vim, et exitum consequantur. Suum Ecclesiae jus est, uti suum est Civili Reipublicae, neque illud ab hac vim accipit, et auctoritatem (2); cum *sacrarum literarum monumentis, duplicem a Deo institutam esse potestatem constet, saecularem nimirum, et ecclesiasticam, et jurisdictio ecclesiastica sejuncta sit a potestate saeculari* (3). Itaque ut civilis respublica suos habet Rectores, et Magistratus, qui civilium legum mandata exequuntur, ita et Ecclesia suos habere debet Magistratus, et Rectores, qui in rebus ecclesiasticis pari fungantur munere. Et hos quidem Rectores, et Praepositos habere oportet potestatem, qua opus est, ut omnes observare cogantur quidquid lex aut jubendo, aut vetando scripto sancivit.

(1) Pomponius in *L. necessarium* 2. §. *ita in civitate ff. de origin. jur.*

(2) Confer S. Athanasium *Histor. Arian. ad Monach. n.* 52 *opp. tom.* 1. *pag.* 297. *ed. Patav* 1777.

(3) Concilium Burdigalense *an.* 1583. *tit.* 31. *tom.* 21. *col.* 783. *collect. Labbaei edit. Coleti*: Vide etiam Concilium Rothomagense *de jurisd. eccles. col.* 660., et Rhemense *tit. de jurisdict col.* 711. *eod. tom.*, S. Thomam 2. 2. *q.* 33. *art.* 6. Recte Ivo Carnotensis *ep.* 9 *opp tom.* 2. *pag.* 5. *edit. Paris.* 1647. *Sicut est,* inquit, *Regiae potestatis civilia jura servare, et eorum trangressores debita poena mulctare, sic episcopalis officii est ecclesiasticas institutiones subditis servandas imponere, et transgressores earum paterna severitate ad debitum ordinem revocare.*

§. II. Christus Ecclesiae dedit Rectores, et Praepositos, Petrum scilicet, ejusque successores Romanos Pontifices, et Apostolos, quique ipsis succedunt, Episcopos, eisque attribuit omnem potestatem, qua eos praeditos esse oportebat pro recta divinarum, sacrarumque rerum administratione, quam ipsis totam credidit. Hi curare debent, quod semper curarunt, ut omnes obediant legibus, quae jure divino, et ecclesiastico comprehenduntur. Atque huc spectat jurisdictio, quae fori exterioris dicitur (1), quaeque alia est a jurisdictione fori interioris, quae in foro poenitentiae exercetur. Neque enim ambigi potest, quin Christus utramque Ecclesiae dederit, et illam sane, quam primum memoravimus, et de qua nobis hoc loco agendum est, testatissimam faciunt Sacrae Literae,

et consensus Patrum, atque Conciliorum, et constans, atque perpetua consuetudo; et ipsi saeculares Principes, et eorum laudatores, defensoresque potestatis. Ac sane in Apostolos Christus contulit non tantum potestatem remittendi peccata, quae quis in tribunali poenitentiae confiteretur, sed etiam ad Ecclesiam deferri voluit reos criminum, qui fraternae correctioni resistunt, eosque non audientes ipsam Ecclesiam haberi jussit tamquam ethnicos, et publicanos. hoc est extrudi, atque ejici e Fidelium communione: *si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (2). Idem Apostolis non tantum dixit: *quorum retinueritis peccata retenta sunt*, sed illud quoque addidit: *quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Coelo, et quaecunque solveritis super terram erunt soluta et in Coelo* (3). Atqui in omnis reipublicae administratione Potestas imperat. atque imperans subditos ligat praeceptis, quae tradit, et vinculis, quae imponit. Fideles etiam, suosque ministros ligat Ecclesia, cum eos vult esse expertes bonorum suorum, aut cum eos exercere vetat quae suorum sunt propria munerum. Ita duplici vinculo, et praesentis poenae, et futuri supplicii provisum est, ut homines ab omni scelere arceantur (4). Ac quomodo rectae administrationis officio satisfacere Ecclesia posset, esseque impedimento suis ministris, ne populos scelere pervertant, nisi eorum potestatem coercere, eosque repellere a sanctuario posset?

(1) *Nihil dubitandum est*, inquit Synodus Cameracensis *tit.* 14. *c.* 1. *tom.* 20. *Concil. collect. Labbaei col.* 1411. *edit. Coleti*, *duplex esse forum ecclesiasticum a Christo nomine clavium nobis insinuatum: alterum sacramenti poenitentiae, quod ad conscientiam spectat, in quo reus nonnisi ex propria confessione solvitur, et ligatur: alterum vero jurisdictionis, et regiminis externi, in quo reus non solum, ex propria confessione, sed etiam per testes convincitur, et judicatur.* Errorem M. Antonii de Dominis, et aliorum, qui Ecclesiam *verum* habere negant *jurisdictionem, hoc est vim coactivam, et subjectionem externam* Universitas Parisiensis die 15. Decembris an. 1617. condemnavit his verbis: *haec propositio qua parte veram jurisdictionem, idest vim coactivam, et subjectionem externam Ecclesiae denegat, est haeretica, et totius Ordinis Hierarchici perturbativa, ut confusionem Babylonicam in Ecclesia generans etc.* apud Argentraeum *Collect. judic. Eccles. tom.* 1. *par.* 2. *pag.* 105. Similem Marsilii Patavini, et Janduini errorem jam antea proscripserat Joannes XXII. in Bulla dogmatica apud Raynaldum *ad an.* 1327. *num* 35. Consule Alteserram *eccles. jurisdict. vindic. lib.* 1. *cap.* 1. *seqq. pag.* 1. *seqq. edit,*

*Paris.* 1703. Bertium *de theolog. disciplin. lib.* 20. *cap.* 16. *prop.* 3. *tom.* 4. *pag.* 135. *seqq. edit. Romae* 1740. Mamachium *del diritto libero della Chiesa di acquistare etc. lib.* 2. *tom.* 2. *par.* 2. *cap.* 3. *pag.* 126. *seq.* Librum *de l' autorité de deux puissances chap.* 5. §. 3. *tom.* 3. *pag.* 197. *seqq. a Strasburg.* 1780. itemque librum *rendete a Cesare ciò, che è di Cesare etc.* §. 2. *pag.* 40. *seq. in Faenza* 1788. Jo. Antonium Bianchium *della potestà, e della polizia della Chiesa lib.* 1. *cap.* 5 §. 6. *tom.* 3. *et lib.* 2. *cap.* 4. §. 9. *num.* 6. *et* 9. *tom.* 4. Nostras Institutiones *Juris Canonicis lib.* 3. *tit.* 1. *tom.* 3. *pag.* 2. *et seq. et lib.* 4. *tit.* 1. §. 2. *et seq. tom.* 4. *pag.* 3. *et seq. edit. Romae* 1792. Van-Espenius *jur. eccles. univers. par* 3. *tit.* 11: exteriorem jurisdictionem, et vim coactivam ad vindictam publicam, et aliorum exemplum Ecclesiam adhibere coepisse arbitratur circa saeculum XII. Sed ne omnia colligam, quae prope innumera sunt, huic sententiae adversaria ecclesiastica monumenta, Van-Espenium refellit vel unus Gregorius M. *ep.* 71. *lib.* 11. *opp. tom.* 2. *col.* 1172. *edit. Paris.* 1705., cujus verba sunt: *Quia ergo tantae nequitiae malum sine digna non debet ultione transire, suprascriptum fratrem nostrum Paschalem volumus admoneri, ut eumdem Hilarum prius Subdiaconatus, quo indignus fungitur, privet officio, atque verberibus publice castigatum faciat in exilium deportari; ut unius poena multorum possit esse correctio.*

(2) Matheus XVIII. 17. quem locum ita explicat S. Joannes Chrysostomus *Hom. in Matth.* 60. *num.* 2. *pag.* 607. *opp. tom* 7. *edit. Venet.* 1734: *dic Ecclesiae, idest Praesidibus... non dixit Ecclesiae Praesuli, alliga illum sed si alligaveris etc.*

(3) Matthaeus XVIII. 18.

(4) S. Jo. Chrysostomus *cit. hom.* 60. *num.* 2. *pag.* 608. *vides*, inquit, *quomodo hunc duplici necessitate vinxerit et praesenti poena, et futuro supplicio. Haec porro comminatus est, ne ist haec accidant, sed metuens et minas, et ejectionem ab Ecclesia, et periculum ex vinculo partum; nec non illud in coelis vinculum, moderatior sit.*

§. III. Acceptam a Christo potestatem semper Apostoli exercuerunt, et Paulus quidem tum incestum Corinthi sese Satanae tradidisse scribit *in interitum carnis, ut spiritus salvus sit* (1), tum Hymenaeum, et Alexandrum, *ut discant non blasphemare* (2); virgam minatur Corinthiis (3); profitetur *habere se in promptu ulcisci omnem inobedientiam ex potestate, quam dedit*, ait, *nobis Dominus*, ac ne eos denunciatione potestatis frustra *per epistolas terrere* videretur, *quales sumus*, inquit, *verbo tales, et praesentes in facto* (4); se veniam daturum nemini affirmat (5); hortatur, *ne praesens durius agat secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi* (6); eamdem in Ephesi Episcopo agnoscit potestatem, dum ei methodum proponit, quam in Presbyteri accusatione servare oportet (7); Thessalonicensibus imperat, ut sibi obediant, et si quis non obediat, cum

notari, et a Christianorum societate exterminari jubet (8). Quin ne sola severitate jus sacrae potestatis exercere videretur, Corinthium postea resipiscentem Christianae communioni restituit (9). Joannes quoque Apostolus Diotrephi minatur (10), et gradu movet Asiae presbyterum, qui Pauli, et Theclae nomine falsum opus ediderat (11). Mitto cetera, quae a Petro, aliisque Apostolis gesta sunt.

(1) Paulus *I. ad Corint. V.* 5.
(2) I. *ad Timot. I.* 20.
(3) I. *ad Corint. IV.* 21.
(4) II. *ad Corint. X.* 11.
(5) II. *ad Corint. XIII.* 2.
(6) *Ibid.* 10.
(7) I. *ad Timot. V.* 19.
(8) II. *ad Thessalonic. III.* 14.
(9) II. *ad Corint. II.*
(10) *Joannes III.* 9. et. 10.
(11) Tertullianus *de Baptis. cap.* 17. *pag.* 251. *edit. Venet* 1746.

§. IV. Vita functis Apostolis, eorum successores Episcopi similem explicarunt exteriorem potestatem; cujus reiplena sunt historiarum monumenta. Ejectus a clero Marcion propter admissa scelera Apostolicam Sedem appellat, quae eum minime restituendum judicat (1). Antiochenum Concilium de gradu dejicit Paulum Samosatenum, eumque deinceps anathematis poena mulctat (2); communionis vult esse expertes Felicissimum, ejusque socios, quae sententia a Cornelio Summo Pontifice confirmatur, eamdemque poenam et aliis irrogat (3); Novatus schisma facit, ut se ab judicio Episcoporum eripiat (4); Marcianus Arelatensis gradu movetur, quod se addixerat Novatiani partibus (5). Basilides Emeritensis, et Martialis Asturicensis deponuntur, quod Idolis sacrificium fecerant (6). Tertullianus (7), et Origines (8), judicia memorant acta ab Ecclesia, poenasque ab ea constitutas. Optatus Donatistis ostendit, Macarium neque accusari, neque condemnari potuisse, quoniam accusator, et judex idem esse nequit (9); Concilium Eliberitanum excommunicatione animadvertit adversus eos, qui non probato crimine Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum accusant, ac distingnit poenitentiam imponendam ei, qui suum crimen sponte confitetur, ab illa, quae ab Episcopo indicenda est, si

ad ejus tribunal crimen deferatur (10). Concilium Carthaginense III. majores, minoresque memorat ecclesiasticos judices, et ab his ad illos appellationem (11); Concilium IV. Carthaginense praescribit methodum ab Episcopo observandam in ferendo judicio (12) „ Episcopus, *inquit*, nullius causam audiat absque praesentia clericorum suorum; alioquin „ irrita erit sententia Episcopi, nisi clericorum praesentia „ confirmetur. „

(1) Epiphanius *haeres.* 22. *vel* 42. *opp. tom.* 1. *pag.* 302. *edit. Petavii Coloniae* 1682.

(2) Eusebius *Histôr. lib.* 7. *cap.* 30. *pag.* 314. *et seqq. edit. Vales. Taurin.* 1746.

(3) Cyprianus *ep.* 2. 34. 41. 42. 52. 59. *pag.* 171. 217. 225. 227. 237. 259. *edit. Felli Amstelod.* 1700.

(4) Idem *ep.* 47. *pag.* 233.

(5) Idem *ep.* 68. *pag.* 291.

(6) Idem *ep.* 67. *pag.* 287.

(7) Tertullianus *Apolog. cap.* 39. *pag.* 31. *Coimas*, inquit, *ad literarum divinarum commemorationem . . . ibid. etiam exhortationes, castigationes, et censura divina. Nam et judicatur magno cum pondere, ut apud certos Dei conspectu, summumque futuri judicii praejudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communione orationis, et conventus, et omnis sancti commercii relegetur.*

(8) Origenes *Hom.* 14. *in Levitic. tom.* 2. *opp. pag.* 258. *edit. Maurin Paris.* 1733.

(9) Optatus *de schism. Donatist. lib.* 3 *pag.* 85. *edit. Paris.* 1676. *Dicamus*, inquit, *et nos, quos dicitis, reum fuisse Macarium: quod si fuit accusatore silente, a nobis non licuit abstineri; scriptum est enim, ante cognitam causam neminem esse damnandum. Dicite quis eum accusavit, et auditus non est. Dicite Macarium confessum esse culpam, et nostram siluisse sententiam. . . Non enim potest quis in una causa eodem momento duas portare personas, ut in eodem judicio et accusator possit esse, et judex . . . Quare cum vos minime probare possitis ab aliquo apud nos accusatum esse Macarium, nostrum non potestis damnare judicium*

(10) Concilium Eliberitanum *can.* 75. *et* 76. *tom.* 1. *Concil. collect. Labbaei col.* 1001.

(11) Concilium Carthaginense III. *can.* 10. *tom.* 2. *col.* 1401. *collect et edit. cit.*

(12) Concilium Carthaginense IV. *can.* 23. *col.* 1439. *ibid.*

§. V. Apostolici quoque Canones, (1), et Constitutiones (2), quae certe quarto saeculo antiquiores sunt, diserte memorant ecclesiastica judicia, eorum agendorum potestatem, quam habet Episcopus, adhibendum in iis studium, ac diligentiam in omnibus, quae ad accusatorem, atque ad accusatum pertinent, poenam calumniatori irrogandam; quin etiam

certos constituit habendi judicii dies, ac methodum, poenasque varias, et multiplices ad unumquodque crimen accomodatas (3). Concinunt Patres (4), et Concilia (5), ipsi Principes saeculares, eorumque potestatis fautores (6), quorum omnium una, et eadem sententia est, habuisse semper Ecclesiam, praeter internum illum forum, qui pertinet ad Sacramentum Poenitentiae, etiam externum, in quo egit judicia, potestatemque exteriorem exercuit.

(1) Canon Apostol. 66. apud Cotelerium *PP. Apost. tom. 1. pag.* 446. *edit. Antuerp.* 1698. *Episcopum*, inquit, *de aliquo ab hominibus fide dignis, ac fidelibus accusatum oportet vocari ab Episcopis, et si quidem occurrerit, ac responderit, cum fuerit convictus, poena definiatur; sin vero vocatus non paruerit, vocetur iterum; missis ad eum duobus Episcopis: si autem vel sic non paruerit, vocetur etiam tertio, duobus rursum Episcopis ad eum missis, quod si etiam sic aspernatus non advenerit, Synodus adversus eum pronunciat, quae videbuntur, ne judicium detrectans videatur lucrum facere.* Habes hic explicate propositum totum ordinem judiciarium, vocationem in jus, tres terminos monitorios, tres citationes, ac denique sententiam latam adversus contumacem.

(2) Constitutiones Apostolicae *lib.* 2. *cap.* 11. 37. 42. *edit. Cotelerii pag.* 220. 247. 251. *tom* 1. *Antuerp.* 1698.

(3) Ibidem *cap.* 47. *pag.* 254.

(4) Cyprianus adversus eos, qui perperam Apostolicam Sedem appellaverant, *ep.* 59. *pag.* 266. *Amstelod.* 1700. *agere illic causam suam* omnes oportere scribit, *ubi et accusatores habere, et testes sui criminis possent et jam causam eorum cognitam, jam de iis dictam sententiam* monet. Quibus verbis sine dubio exterioris fori judicium designatur. Eodem spectant Tertullianus *in Apolog. cap.* 39. *pag.* 31. *edit. Venet* 1744. Augustinus *serm.* 151. *de poenit. num.* 10. *opp tom.* 7. *par.* 2. *col.* 1359. *et in Psalm.* 118. *serm.* 24. *tom.* 6. *col.* 708., ubi hoc ab Apostolo praeceptum scribit, ut Episcopi Christianorum causas judicent: *maligni*. . . inquit, *infirmos premunt, et causas suas ad nos ferre compellunt, quibus dicere non audemus: dic homo quis me constituit judicem, aut divisorem inter vos? Constituit enim talibus causis ecclesiasticos Apostolus cognitores in foro prohibens jurgare Christianos.* Et *de oper. Monach. cap.* 29. *num.* 37. *col.* 1843. *tom* 7. *par.* 2. *Mallem*, inquit, *manibus aliquid operari . . . quam tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis saecularibus vel judicando dirimendis, vel interveniendo praecidendis. Quibus nos molestiis idem afflixit Apostolus, non utique suo, sed ejus, qui per eum loquebatur, arbitrio.* Idem habet Ambrosius *ep.* 82. *ad Marcellum num* 3. *pag.* 1206. *opp. tom* 3. *edit. Venet.* 1751., Athanasius *Histor. Arian. ad Monach. n.* 152. *tom* 1. *opp. par.* 1. *pag.* 297. *edit. Patav.* 1777. Lucifer Calaritanus *pro S. Athanas. lib.* 1. *pag.* 61. *seqq. edit. Venet.* 1778. Gregorius M. *ep* 63. *lib.* 9. *et ep.* 45. *lib.* 13. *opp. tom.* 2. *col.* 979. *et col.* 1250. *edit. Paris.* 1705. Gregorius Turonensis *Histor. Franc. lib.* 10. §. 15. *col.* 505. *edit. Paris.* 1699. memorat *Ecclesiae tribunal*, et Sacerdotes in eo residentes, ut judicium ferant.

(5) Concilium Eliberitanum *can.* 74. *et* 75., ubi agitur de accusationibus, quae contra Clericos proponuntur, graveque contra accusatores indicun-

tur poenae, ac ea de re tota agitur *in conventu Clericorum*. Duo hi canones sine dubio pertinent ad judicia ecclesiastica, ut observat Albaspinaeus *in not, opp. pag.* 185. *edit. Neapol.* 1770. Vide etiam Concilium Antiochenum I. *can.* 5. 14. 15. *t.* 2. *conc. Labbaei col.* 587. *et* 591. Avenionense *cap.* 8. *tom.* 14. *col.* 621. Palentinum *cap.* 3. *col.* 245. *tom.* 15. Frisingense *cap.* 3. *col.* 4. *tom.* 19. Cameracense *de potest. et jurisd. eccles. cap.* 1. *tom.* 20. *col.* 1411. Mechliuense *tit.* 25. *cap.* 1. *tom.* 21. *col.* 1471. Tridentinum *sess.* 25. *de reform. cap.* 3. censuras ab Episcopis infligi jubet rebus diligentissime cognitis, nulla habita ratione saecularium hominum, et Magistratuum, atque ait: *nefas autem sit saeculari Magistratui prohibere ecclesiastico judici, ne quem excomunicet, aut mandare, ut latam excomunicationem revocet . . . cum non ad saeculares, sed ad ecclesiasticos haec cognitio pertineat.*

(6) Confer librum *de l' autorité des deux puissances par.* 3. *chap.* 5. §. 2. *seqq. pag.* 174. *ed. Strarsbourg* 1780.

§. VI. Civiles quoque leges illud firmum, ratumque esse voluerunt (1), ut in ecclesiasticis negociis nullae sint partes, et nulla auctoritas judicum saecularium. Horum quidem est omnem ferre opem Ecclesiae, ut quae ab ea constituta sunt facilius exitum consequantur, sed ipsorum in hoc toto negocio mera, simplexque executio est Ecclesiae praescriptorum (2). Atque adeo verum est, omnibus semper sanctam, atque inviolatam fuisse ecclesiasticam jurisdictionem, ut etiam Principes, quibus summa potestas est, si quem clericum gravioris criminis, atque etiam laesae majestatis reum suo dignam scelere poenam subire vellent, non eam suo judicio persequerentur, sed ecclesiasticum judicem rogarent, ut eamdem constitueret, poenisque asperioribus animadverteretur in clericum, qui relicto proprio, hoc est ecclesiastico judice, laico se submitteret (4).

(1) Consule *L.* 1. *Cod. Theod. de Relig. L. Clericos et L. mansuetudinis de Episc. Cod. ejusd. de Episc. Eccles. et Cler.* Theodosium, et Valentinianum III. in literis ad Concilium Ephesinum *tom.* 3. *Concil. collect. Labbaei col.* 990. Concilium Romanum III. habitum Symmaco Pontifice *tom.* 5. *Concil. ejusd. collectionis col.* 466., ubi Theodoricus Italiae Rex professus est: *suum non esse de ecclesiasticis aliquid censere negotiis*. Vide etiam quae scripsimus *in prolegomenis tom.* 1. *cap.* 12. *pag.* 233.

(2) Confer Capitularia Caroli M. *lib. cap.* 381. *et lib.* 7. *cap.* 444. *edit. Baluzii tom.* 1. *col.* 664. *et* 751. *Venet.* 1772. Bochellum *lib.* 4. *decret. Eccles. Gallic. Ordonance de Melun art.* 24.

(3) Vide Gregorium Turonensem *Histor. Franc. lib.* 5. *cap.* 19. *pag.* 222. *edit. Paris.* 1699. Concilium Tullense apud Saponarias an. 859. *Concil. tom.* 10. *col.* 114. *cit. collect.*

(4) Concilium Aurelianense IV. *cap.* 20. *col.* 1367. *t.* 5. *collect. ejusd.* Matisconense I. *can.* 8. *col.* 660. *tom.* 6. Vernense *can.* 18. *tom.* 8. *col.* 421., cujus Concilii decretum sumptum est ex Concilio Carthaginensi III. *cap.*

9. Agathense *can.* 8. *tom.* 5. *col.* 523. Nugaroliense *can.* 5. *col.* 1361. *tom.* 14. praeterea Concilia Rothomagense, Burdigalense, Rhemense, quorum paulo ante facta mentio est. Confer etiam capitularia Caroli M. *lib.* 7. *cap.* 139. *tom.* 1. *col.* 702., et tractatum *de juris l. eccles. in act. Cleri Gallican. tom.* 6. *pag.* 3. *seqq. edit. Paris.* 1764. Mitto cetera, quae describuntur *loc. cit. pag.* 78. *seqq.*

§. VII. Quae cum ita sint, ociosa mihi videtur disputatio, quae ad minuendam Ecclesiae potestatem a quibusdam excogitata est, num ea scilicet vetustiori aetate tribunal habuerit, ac forum proprio hoc nomine appellatum, per quod jurisdictionem suam explicarit. Cum enim ei semper fuisse constet numeris omnibus absolutam jurisdictionem, locus esse dubitandi plane nullus potest, quin eam suo arbitratu sive per solemne judicium, atque tribunal, sive alio quovis modo exercere potuerit. Rei caput est ipsa jurisdictio, eaque non jejuna, et inanis, sed efficax, et actuosa, atque ad parendum cogens, de qua nihil detrahitur, si eam alia, aliave methodo, hoc est per actus judiciales, aut extra judicium placuit explicare. Si ab ecclesiasticis judiciis tricas, ambagesque forenses, apparitores, similia abfuisse contendunt, equidem non repugnabo, sed quae perfectum judicium constituunt, actor, reus, judex, causa, probationes, judicisque sententia, per quam finitur negocium, numquam certe defuerunt. Illud ipsum judicium, quod memorat Apostolus, ab Episcopo agendum contra Presbyterum accusatum, nonne verum, ac perfectum judicium est? In eo habemus accusatum, hoc est reum, accusatorem, sive actorem, Episcopum judicem, causam, judicii expediendi modum. Quin etiam in ecclesiasticis judiciis ne aliae quidem defuere solemnitates, quae in saecularibus judiciis adhibentur, quaeque in more sunt, ut rebus cognitis diligenter sententia emittatur (1).

(1) Confer, quae in causa Euthychis gesta tradit S. Leo M. *ep.* 23. *col.* 763. *edit. Fratr. Ballerin.*, praeterea quae scripsimus *in Instit. Jur. Canon, tom.* 3. *tit.* 1. §. 12. *seqq. pag.* 11. *edit. Romae* 1792., ubi late hoc argumentum persequuti sumus.

§. VIII. Ex his quoque deprehenditur, quam procul absint a veritate, qui sua judicia Ecclesiam exercuisse contendunt non per veros judices, eosque praeditos germana, ac propria

jurisdictione, sed per arbitros, qui scilicet mutuo litigantium consensu eligebantur, ut res amice componerent (1). Ac sane, quae a nobis data sunt, monumenta evidenter ostendunt, semper Ecclesiam suam veram, ac propriam explicasse jurisdictionem contra invitos, et repugnantes, neque illa, quae memoravimus, judicia fieri potuisse sine proprio, ac nativo jure, nulla interveniente opera, et consensu litigantium (2), Sic aetate S. Cypriani Basilides, et Martialis judicio convicti, quod se cum ethnicorum superstitionibus comiscuissent, gradu moti sunt; sic Marcianus Arelatensis in Galliis sui facinoris poenam invitus ferre debuit, sic demum ceteri, de quibus actum est, ecclesiastici judicis imperio parere debuerunt. Utrumque munus saepe gessisse Episcopos certum est, uti saepe utrumque gerunt in re civili qui veri sunt judices, propriamque habent, suoque officio affixam jurisdictionem, alterum consensu litigantium, alterum suo jure, et potestate; sed non ideo quod interdum partes sustinent arbitrorum, veri judices esse desinunt. Et Augustinus quidem (3), sese utrumque munus gessisse testatur, cum *tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum* (quod certe dici non potest, cum duo inter se contendentes amicam arbitri opem implorant) *pati* debuit *de negotiis saecularibus vel judicando dirimendis, vel interveniendo praecidendis.* Posteriora haec verba ad arbitri officium referri possunt, sed illa superiora sine dubio verum, perfectumque judicium designant, quod Augustinus habuisse testatur *tumultuosissimas perplexitates*, quibus verbis judicii strepitus, cursusque multiplex significatur.

(1) Sic post Dupinium, Giannonium, ceteros ecclesiasticae Potestati inimicos Van-Espenius *Jus ecclesiast. univer. par.* 3. *tit.* 1.

(2) Consule Bianchium *della potestà e della polizia della Chiesa lib.* 1. *cap.* 5. §. 4. *tom.* 3. *pag.* 453. *seqq. et lib.* 2. *cap.* 4. §. 8. *tom* 4. *pag.* 658. *seqq.* Mamachium *degli acquisti delle mani morte lib.* 1. *cap.* 1. §. 3. *tom.* 1. *pag.* 37. *et seqq et lib.* 2. *cap.* 4. *pag.* 131. *seqq. tom* 2. *par.* 1. Nicolaum Petitpied *du droit et des prerogatives des ecclesiastiques dans l' administration de la justice seculiere par.* 1. *pag* 61. *seqq. edit. Paris* 1705. Acta Cleri Gallicani *de la jurisdiction ecclesiastique par.* 2. *tom.* 6. *pag.* 30. *seqq. edit. Paris.* 1769. Vide etiam, quae de Eusthatii judicio narrat Theodoretus *Histor. Eccles. lib.* 1. *cap.* 21. *pag.* 47. *edit. Taurin.* 1748., a quo certe vel levissimam arbitrii conjecturam, aut suspicionem abfuisse, omnes fateantur necesse est.

(3) S. Augustinus *de oper. monach.*, *loc. cit.*

§. IX. Jamvero duplex est judicium, saeculare, quod a sae-

cularì judice de rebus profanis, et ecclesiasticum, quod a judice ecclesiastico de rebus divinis, et ecclesiasticis exercetur: quae summa judiciorum divisio est, unde et aliae oriuntur utriusque judicii divisiones. Nam aliud possessorium, aliud petitorium judicium est. Possessorium judicium vocamus, in quo inter litigantes contentio est de sola rei, vel juris possessione, aut quasi possessione adipiscenda, retinenda, vel recuperanda, cum scilicet tantum actor petit, vel ut adipiscatur, retineatve possessionem rei, nec in ea turbetur, vel ut amissam possessionem recuperet. Possessio est rerum corporalium, quasi possessio incorporalium. Petitorium judicium, quod dominii litem Jurisconsultus (1) appellat, est, in quo seorsim a possessione quaeritur de dominio, ac proprietate ex. gr. praedii, domus, beneficii ecclesiastici, patronatus dominio, vel quasi dominio, vel super jure in re, aut ad rem, puta de jure pignoris, servitutis, hereditatis etc., petitque actor se rei controversae dominum, vel quasi dominum declarari, aut se jus in re, vel ad rem habere, ut si res vindicetur, hereditas, actio empti, depositi, commodati, aliave similis realis aut personalis actio instituatur. Disceptatio autem de sola possessione a proprietate discreta facit, ut qui possessorio judicio victus fuit, omne onus probandi suscipere debeat in petitorio, quod nisi praestiterit, res controversa possessori relinquitur (2).

(1) *L.* 18. *ff. de. usur.*
(2) §. 4. *Instit. de interdict.*

§. X. Est item judicium ordinarium, quod et plenarium, ac solemne, et summarium, quod et extraordinarium vocatur. Ordinarium est, in quo sunt diligenter observanda acta omnia, et solemnia, quae leges in judiciis observari voluerunt tum in iis, quae intimam judicii naturam respiciunt, tum in iis, quae pertinent ad solemnitates. Summarium est, in quo multiplices illae solemnitates omittuntur, eaque tantum servantur, quae sunt ad judicii naturam, hoc est ad noscendam veritatem necessaria (1) Itaque in hoc etiam judicio quamquam impune negligantur quae ejus retardant celeritatem, requiritur citatio et aliqua petitio loco libelli, et probatio, et defensio, et difinitiva sententia, cetera similia, quibus est opus, ut verum judicium habeatur (2).

(1) Haec a Jure civili, et canonico divisio traditur judiciorum. Sed Pragmatici in foro judicia dividunt in ordinaria, summaria, summarissima, executiva. Et summaria quidem, atque ordinaria judicia in iis quae ad ordinem pertinent, apud nos fori usu fere inter se conveniunt.

(2) *Clem. 2. de judic. et Clem. 2. de verb. signific.*

§. XI. Dividitur quoque judicium in reale, in quo omnis in rem actio est, puta dominium, servitutem, pignus, possessionem, similia; et in personale, in quo actio in personam instituitur, nempe ex contractu, aut quasi contractu, delicto vel quasi delicto, et similibus, quorum causa praesto est actio personalis, qualis est actio empti, depositi, commodati, ceterae generis ejusdem. Est etiam judicium ordinarium, quod coram ordinario judice, et delegatum quod coram delegato expeditur. Qui propriam habet, in suoque officio inhaerentem jurisdictionem, ordinarius, qui non propriam, sed ab alio commissam, et mandatam, judex delegatus appellatur.

§. XII. Est et judicium stricti juris ac bonae fidei. Judicium bonae fidei est, in quo judex liberam habet potestatem sibi a lege datam aestimandi ex aequo, et bono quantam actori restitui debeat, ideoque adjudicare aliquid potest, de quo inter litigantes non est conventum, et quod minime petitum libello est (1). Stricti juris judicium est, in quo ita lege obstrictus tenetur Judex, ut sententia sua progredi nequeat ultra id, quod vel nominatim inter litigantes actum est, vel speciatim legibus de negocio constitutum (2). Judicium autem seu bonae fidei, seu stricti juris discriminat actiones, quae natura sua omne respuunt judicis arbitrium, interdum huic subjiciuntur propter externam aliquam, et adventitiam causam, puta ob adjectum locum, ob poenam impositam, ob contemptum judicem, cuncta intervenientia; et tunc ut arbitraria actio, sic arbitrarium judicium evadit (3). Unde oritur tertium genus judiciorum, quae arbitraria appellantur.

(1) Confer titulum *Instit. de action.* §. *actione autem* 28. *et seq.* ubi §. 28. bonae fidei judicia enumerantur, cetera, quae non referuntur, stricti juris sunt. Vide etiam Harpprechtum *in Instit. eod. loco*, et Donellum *in eumdem tit. Instit. opp. tom.* 6. *col.* 751. *edit. Lucae* 1764.

(2) *L. cum quid* 3. *de reb. credit. et L. quidquid* 99. *de verb. oblig.*

(3) §. *praeterea* 31. *Inst. de action.* Videndus Donellus *in eund. loc. col.* 757. *d. tom.* 6.

§. XIII. Nec praetereunda divisio judicii simplicis, et duplicis. Simplex judicium, est, in quo alter locum actoris tenet, alter rei partes sustinet, ut in actione mutui, in actione ex empto, in rei vindicatione, ceteris generis ejusdem. Duplex dicitur, in quo uterque litigantium actor, ac reus est, et uterque ab altero aliquid vicissim petit, uti fit in judiciis familiae erciscundae, communi dividundo, finium regundorum, uti possidetis, utrubi; atque haec quinque numero sunt judicia, quae duplicia (1); cetera simplicia appellantur. Verum ne confusio, perturbatioque rerum in judico exoriatur propter ambiguitatem rei, et actoris, sapienter constitutum est, ut is habeatur actor, qui ad judicium provocavit; quod si uterque simul hoc fecit, sorte res dirimenda est (2).

(1) Priora tria duplicia judicia memorantur *in L. nihil* 2. *ff. commun. divid.*; duo reliqua *in L. actionis* 36. *ff. de action. et oblig.*
(2) *L. in tribus* §. 13. *L. seq cum* 14. *ff. de judic. L. Nihil ff.* 2. *commun. divid.*

§. XIV. Sed et dignum memoratu est judicium spirituale, in quo causa spiritualis, vel spirituali annexa tractatur, ac temporale, in quo omnis de re mere temporali, ac profana disceptatio est. Ecclesiasticum judicium exercetur etiam in causis civilibus clericorum; ac temporale convenit etiam judici ecclesiastico, cum causa temporalis est. Denique cum omnia judicia vel dirimendarum litium, vel maleficiorum puniendorum causa inventa sint, alia oritur divisio judiciorum, civilium, et criminalium. Horum autem quaedam sunt publica, in quibus agitur de publico crimine, quod cuivis e populo accusare licet; quaedam privata, in quibus non cuivis e populo, sed iis tantum, ad quos ea res, vel injuria pertinet, accusatio permittitur.

§. XV. Judicium autem vocamus ipsam causae disceptationem, quae in jure fit, quaeque, ut illud efficiatur, constare debet quatuor praesertim rebus, actore, reo, judice, et causa. Actor ille est, qui prior in judicium venit aliquid petiturus; reus, qui ab actore in jus vocatur, et a quo petitur; causa est ipsum, quod petitur, et quod materiam judicio praebet; judex autem ille est, coram quo disputamus, et cujus decreto res absolvenda, ac definienda est. Sine his qua-

tuor rebus nullum constare judicium potest. Suas quoque habent in judicio partes aliae personae, uti sunt Advocati, Procuratores, Testes, Assessores, Consiliarii, Tabelliones; seu Notarii, Apparitores, Nuntii, seu Cursores, Exequutores. Sed hi adhibentur, ut litigantes opera, aut consilio judicem adjuvent, aut judicii acta conscribant, aut quod a judice mandatum est, exequantur.

§. XVI. Praeter judicandae, finiendaeque litis potestatem, quam habet judex, inest etiam in eo jurisdictio, et jus modicae coercitionis, per quam sui muneris officii exequi, ac tueri possit, atque in eos, qui parere recusant, animadvertat. Jus hoc modicae coercitionis mixtum imperium dicitur, quod a mero imperio, hoc est a jure graviter animadvertendi, coercendi, verberandi, uno verbo a jure gladii distinguitur (1). Mixtum illud imperium semper cum jurisdictione (2), sed non semper cum judicandi facultate conjunctum est (4). Sunt enim judices, qui solam habent notionem, non item jurisdictionem; et hi tantum rem controversam cognoscunt, atque definiunt, imperium, quo sententiam exequantur, adjunctum non habent, ac proprie non jus dicere, sed judicare dicuntur (4).

(1) Consule Cujacium *in lib. 2. tit 1. L. 1. et 3. ff. de jurisd. opp. tom. 7. col. 54. seq. et col. 76. seq. edit. Mutinae* 1779.

(2) Nulla enim esset jurisdictio, nullaque auctoritas judicis, ac vis judicati, si ipse judex sententiam exequi, sique parere recusantes coercere non posset, quod rectissime animadvertit Paulus in *L. ult. ff. de offic. ejus cui mand. est jurisd.* Itaque a jurisdictione separari non potest modica coercitio, hoc est mixtum imperium *L. 1. in fin. ff. de offic. ejus cui mand. est jurisd. L. 3. ff. de jurisd.*, per quod eadem jurisdictio expeditur, atque explicatur: et huc spectat Innocentius III. in *cap. 28. de offic. et potestat. delegat.* Confer Averanum *Interpr. jur lib. 1. cap. 4. tom. 1. pag. 23. edit. Lugdun. Batav.* 1753. Donellum *de jur. civil. lib. 17. cap. 6. §. 6. opp. tom. 4. pag.* 1088. *edit. Lucae*, et Scipionem Gentilem *de jurisd. lib. 1. cap. 4. et 5. opp. tom. 3. pag. 7. et seq. edit. Neapol.* 1764. Est autem modicae coercitionis genus multiplex, quod praeter ceteros diligenter explicat Scipio Gentilis *loc. cit. cap. 6. et seq. pag. 11. et seq.*

(3) *L. 5. ff. de re judic.*

(4) *L. 4. §. ult. ff. de interrog. action. L. 57. ff. de re judic.* Vide Averanum *loc. cit. cap.* 5. Scipionem Gentilem *de jurisdict. lib. 1. cap. 28. opp. tom. 3. pag.* 82. *edit. cit.* et Janum a Costa *in Decret. Gregor. IX. lib. 2. tit. 5. pag. 400. edit. Neapol.* 1770.

§. XVII. Omnis judex, antequam de causa sententiam dicat, diligenter considerare debet, num ejus judicandae habeat potestatem. Quae consideratio duplex est, generalis et specialis. Generalis eo spectat, ut videat, num causa sui sit fori, suaeque obnoxia jurisdictioni; nimirum num profana sit, ac mere saecularis, an potius ecclesiastica. Non enim potest laicus judex de causis, quae vel ob naturam rei, de qua quaeritur, vel ob qualitatem litigantium ecclesiasticae sunt, neque judex ecclesiasticus in causis mere profanis, quae ad laicos pertinent, judicare debet. Specialis consideratio in eo versatur, ut videat judex, num hujusmodi sit causa, ut de ea speciatim judicium ferre prohibeatur. Nam suspectus est, ac merito recusatur judex in causa, cujus antea defensor fuit (1), quique in consimili causa actor, aut reus est (2). Sunt et aliae praesertim graviores causae, in quibus certi tantum judices suum recte judicium interponunt; ac de his suo loco opportune disseremus.

(1) Videsis Brunemannum *in Cod. Leg.* 6. *tit.* 6. *lib.* 2.
(2) *Cap. causam* 18. *de judic.*

§. XVIII. Sed nec omnibus in judicio stare permittitur, et horum e numero sunt infantes, furiosi, amentes, pro quibus judicium suscipiunt tutores, et curatores (1); pupilli sine auctoritate tutoris (2); minores annis 25. sine auctoritate curatoris (3), etiam in causis spiritualibus, cum minor impubes est (4); filius familias, qui si agat contra patrem, indiget venia Praetoris (5), patris autem, si contra extraneum quemlibet, nisi patria potestate solutus sit, aut agatur de causa spirituali, vel de peculio castrensi, aut quasi castrensi, cujus ipse habet dominium, et administrationem (6), aut pater longius absit, aut periculum afferat mora diuturnior (7). Honestae mulieres generatim invitae in judicium trahendae non sunt (8); in eoque Regulares sine consensu Praelati, cui sunt subjecti, stare prohibeatur. Excommunicatus autem quamquam in judicium vocatus recte excipiat, suumque jus defendat, tamen si vitandus est, actor esse prorsus nequit, si non est vitandus, agendi jure non caret, verum exceptione excommunicationis a judicio repelli potest (9).

(1) *L. gerere 1. ff. de admin. et peric. tut. L. his qui 12. §. ult. ff. de tutor. et curat. L. curatores 1. Cod. de curat. furios.*

(2) *Leg. si cum essent 1. Cod. qui person. legit. stand. in judic. hab.*

(3) *L. clarum. 4. Cod. de autor. praest.*

(4) *Cap. ult. de judic. in 6.*

(5) *L. generaliter 13. ff. de in jus vocan.*

(6) *L. miles 4. §. actionem 1. ff. de castren. pecul. L. verba 1. §. ult. et L. seq. ff. de S. C. Macedon.*

(7) *L. si longius 18. §. si filius familias 1. ff. de judic.*

(8) *Cap. mulieres 2. de judic. in 6.*

(9) *Cap. intelleximus 7. de judic. cap. a nobis 2. cap. exceptionem 12. de except. cap. decernimus 8. de senten. excom. in 6.*

§. XIX. Omne judicium eo spectat, ut finis imponatur liti, et controversiae, ac suum quisque consequatur. Id ut recte fiat, certus est a legibus constitutus ordo, quem judicem ita dirigere, et moderari oportet, ut litigantes firmiter in justitiae regulis adhaereant (1); qua in re nihil pro arbitrio, sed omnia canonum, legumque auctoritate, et cum praescriptis solemnitatibus (2) agenda sunt. Ordo hic judicium, et passim processus appellatur, per quem cuncta distincta, et ordinate disponuntur, omnisque removetur confusio, quae jura potius obscurat, quam explicat litigantium.

(1) *Cap. 19. de judic. cap. 22. de accusation.*

(2) *Cap. 9. de judic.*

# DE FORO COMPETENTE

## TITULUS II.

I. Forum competens.
II. Quale sit?
III. ad V. Causae matrimoniales.
VI. Causae beneficiariae.
VII. et VIII. Causae de decimis, et reliquae, quae ad ecclesiasticum forum pertinent.
IX. ad XIV. Causae majores a Summo Pontifice cognoscendae, et judicandae sunt.
XV. ad XVIII. Causae de fide.
XIX. Reliquae causae ecclesiasticae, quarum judicium pertinet ad Summum Pontificem.
XX. Causae temporales, ac de privilegio fori.
XXI. ad XXIII. Forum domicilii, aut quasi.
XXIV. Forum contractus.
XXV. Forum loci rei controversae.
XXVI. Forum delicti.
XXVII. et XXVIII. Speciale forum quibusdam personis concessum.
XXIX. Praeventio.
XXX. Continentia causae.
XXX. Judicium jactationis, seu diffamationis.
XXXII. Judicium ob metum litis.
XXXIII. Prorogatio jurisdictionis.
XXXIV. Forum judicis delegati, et reconventionis.

Agitur de hac materia in Sexto et Clementin. *h. t.* in Decreto *dist.* 96. *c.* 3. *q.* 6. *c.* 9. 3. *c.* 11. *q.* 1. *c.* 21. *q.* 5. in Tridentino *sess.* 7. *cap.* 10. *sess.* 13. *c.* 6. *sess.* 24. *c.* 5. *et* 20. *de reform.* in Pandectis *lib.* 5. *tit.* 1. in Codice *lib.* 3. *tit.* 13. *ad* 27.

## §. I.

Dum instituitur judicium, illud in primis observandum, curandumque est diligenter, ut coram legitimo, proprioque judice, sive in competente foro exerceatur. Sunt enim irrita quae in foro non competente acta sunt, et impune non paretur judici, qui aut de negociis, quae sua non sunt, aut de personis judicat, in quas nullam habet jurisdictionem (1). Forum, seu forus, quem Graeci δικαστήριον vocant, locus est, quo homines concurrunt negociandi, rerumque venalium vendendarum, aut emendarum causa, itemque locus, quo judicia exercentur (2). Nobis de judiciis agentibus altera haec significatio forum est, locus scilicet, in quo judex juri

dicundo praeest (3); competens autem forum est, in quo sedet is, cujus jurisdictioni, seu causa, de qua inter se actor, et reus litigant, seu persona, a qua quid praestandum esse contenditur, subjecta est (4).

(1) *L. ult. ff. de jurisdict. L. ult. C. si a non compet. judic. Can.* 7. *caus.* 2. *quaest.* 3. *Can. penult. caus.* 11. *q.* 1.

(2) Forum, et forus latine dicitur, uti loquitur Isidorus *etymolog. lib.* 15. *cap.* 2. *num.* 27. *et cap.* 6. *num.* 8. *opp. tom.* 4. *pag.* 212. *et* 225. *edit. Romae* 1801., quem immerito reprehendit Poletus *Histor. for. Roman. lib.* 1. *cap.* 1. nam virile ejus nominis genus praeclaris Latinorum scriptorum testimoniis ostendit Cujacius *in tit. Decretalium de For. compet. opp. tom.* 6. *col.* 773. *edit. Mutin.* 1778.

(3) Ceteras hujus vocabuli significationes explicant Poletus *loc. cit.*, et Heineccius *de verb. signific. verb. Forum.*

(4) Competens Judex dicitur, ad quem causae cognitio pertinet *in L.* 19. *ff. de jurisd. L.* 28. *ff. de re judic. L.* 18. *Cod. de probat. L.* 1. *Cod. de aedilit. act. L.* 1. *Cod. rer. amot.* locisque aliis sexcentis. Simili modo intelligitur competens tribunal, hoc est congruens, et proprium in *L.* 35. §. *non solum ff. de Procurat.* Judex autem non competens incongruus appellatur *in L.* 1. *Cod. de jurisd. omn. Jud.* Tertullianus, cujus scripta plena sunt verbis, et formulis Jurisconsultorum, eodem sensu utitur hoc vocabulo *de spectaculis: competere religioni; competere disciplinae; competere innocenti.* Et in *lib. de anima: bonum animalibus competens.* Confer Heineccium *de verb. signific. verb. competens.*

§. II. Ex quo manifestum est, competentem judicem, et forum facere vel naturam causae, quae in disceptatione versatur, vel personam rei, qui in judicium vocatus est. Causae si spirituales sint, vel annexae rebus spiritualibus, propriae sunt unius fori ecclesiastici. Quare ad eum in primis pertinent causae de fide, de religione, cultuque divino, de sacramentis, de sacris ritibus, de Ecclesiae disciplina. Nam eas cognoscendi potestas pendet a jure clavium, quod soli Sacerdotes, Christo acceperunt (1), neque Catholicorum aliquis dubitat, quin earum rerum judicium unius Ecclesiae sit.

(1) Praeclara ea de re sunt Hosii Cordubensis Episcopi verba apud Athanasium *in Histor. Arian. ad monach. num.* 44. *opp. tom.* 1. *par.* 1. *pag.* 263. *edit. Patav.* 1777. *Tibi Deus*, inquit, *imperium commisit; nobis, quae sunt Ecclesiae, concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinae, ita et ut cave, ne quae sunt Ecclesiae ad te trahens magno crimini obnoxius fias.* Sapienter etiam Joannes VIII. *in can.* 11. *dist.* 96. *Si Imperator*, inquit, *Catholicus est, filius est, non Praesul Ecclesiae; quod ad religionem competit, discere ei convenit, non docere .... Ad Sacerdotes enim vo-*

*luit Deus, quae Ecclesiae disponenda sunt, pertinere, non ad saeculi Potestates, quas, si fideles sunt, ecclesiae suae sacerdotibus voluit esse subjectas.* Consule Cabassutium *Theor. et prax. jur. canon. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 15. *et* 16., ubi multa ea de re Gallicanae Ecclesiae testimonia referuntur, Bellarminum *de clericis cap.* 28. *opp. tom.* 2. *pag.* 160. *edit. Venet.* 1721., Petrum de Marca *concord. Sacerd. et imper. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 4. *et seq.* Dudjatum *praenot. canon. lib.* 2. *cap.* 2. Bossuetum *Politique tirée de l'Ecriture liv.* 7. *art.* 5. *prop.* 11. *opp. tom.* 8. *pag.* 506. *edit. Leodii* 1767. *Dans les affaires*, inquit, *non seulement de la Foi, mais ancore de la discipline ecclesiastique à l' Eglise la decision, au Prince la protection, la defense, l'execution des Canons, et des regles ecclesiastiques. C'est l'esprit du Christianisme, que l' Eglise soit gouvernée par les Canons.* Deinde ea describit, quae in Concilio Chalcedonensi acta sunt.

§. III. Ex causis sacramentalibus ad forum contentiosum deferuntur maxime matrimoniales, quae judiciali methodo, atque ordine expediuntur. Cum enim Fidelium matrimonium, licet habeatur contractus civilis, qui revera naturalis est, tamen cum a Christo Domino dignitatem, ac decus acceperit sacramenti, consequens est, ut hujusmodi causa ad ecclesiasticos judices pertineant (1); et vero Synodus Tridentina (2) eas ab Episcopo cognosci, ac definiri voluit. Sed harum causarum distiguendum est triplex genus. Aliae enim pertinent ad vim intimam, ictique foederis firmitatem, et has in uno ecclesiastico foro tractandas esse, Catholici omnes, repugnante nemine, affirmant (3).

(1) Concilium Tridentinum *sess.* 24. *can.* 12. *de matrim. Si quis dixerit,* inquit, *causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit.*

(2) Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 20. *de reform. causae matrimoniales*, inquit, *non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini, et jurisdictioni relinquantur.*

(3) Hujusmodi controversias olim ad Episcoporum concilium fuisse delatas, constat ex fragmento epistolae Alexandri II. apud Ivonem *par.* 9. *cap.* 32., et Gratianum *can.* 10. *c.* 35. *quaest.* 6., in qua Pontifex Guillelmo cuidam imperat, ne propriam uxorem propositae consanguinitatis causa *praesumat dimittere, vel aliam ducere, donec Episcoporum religiosorum consilium causam istam examinaverit.* In Concilio Aquisgranensi an. 860. et 862., cum inter Lotharium, et Teuthbergam de vi matrimonii inter eos initi quaereretur, ea de re actum est apud Labbaeum *tom.* 10. *col.* 140. et 200., cumque ab ejus sententia Theuthberga appellasset Nicolaum I. Summum Pontificem, ipse hanc controversiam minime submittendam respondit *saeculari judicio*, eamque commisit Synodo Metensi *ep.* 23. apud Labbaeum *tom.* 10. *Concil. col.* 1413. Confer etiam acta Concilii Rhemensis apud Ordericum Vitalem *l.* 12. *pag.* 859. *inter Script. antiq. Histor. Norman. Duchesnii edit. Paris.* 1619., et Alexandrum II. *can.* 10. *cap.* 35. *q.* 6. Mul-

ta quoque Summorum Principum, qui Apostolicam sedem rogarunt vel ut certum matrimonium contrahi permitteret, vel ut contractum solveret, exempla. collegit Edmundus Martenius *Anecdot. tom.* 1. *pag.* 1027. 1058. 1236. *et tom.* 2. *pag.* 124. 537. 1041, easque sunt de Theobaldo Navariae Rege, de Carolo Rege Aragonum, de Henrico Regis Navarrae gemano, de liberis Caroli Siciliae Regis, atque aliis. Clemens vero IV. *ep.* 232. *ibid. tom.* 1. *pag.* 277. negat matrimonii solutionem, quam ab eo petierat Aragoniae Rex, et *ep.* 258. *ibid. pag.* 303. renuit lege solvere Castellae, et Legionis Regem, qui ab eo petierat veniam ineundi connubii inter filiam suam, et Balduini Imperatoris Constantinopolitani filium. Confer opusculum Assisii editum an. 1784. *su l'erezione de' Regolari etc. e su le cause matrimoniali*, praeterea nostras *Institutiones Juris Canonici lib.* 2. *sect.* 9. §. 114. *seq. not.* 1. *pag.* 185. *et seq. edit. Romae* 1792. Alia multa de hoc eodem argumenti genere descripsit Laurentius Bertius *de Theolog. disciplinis lib.* 37. *cap.* 5. *tom.* 8. *pag.* 536. *edit. Romae* 1740., qui ex iis recte concludit *ipsi ergo saeculares Principes, et praediti quoque monarchica auctoritate confessi sunt, matrimoniales causas ad forum ecclesiasticum pertinere.* Vide etiam acta Cleri Gallicani *tom.* 5. *col.* 690. 691. 738. 739. *edit. Paris.* 1769., et Cabassutium *Theor. et Prax. Juris Canon. lib.* 1. *cap.* 19. *pag.* 71. *edit. Lugdun.* 1709. ubi multa habes decreta Regum Galliarum, qui hoc ecclesiasticae jurisdictionis caput semper sanctum, firmumque esse voluerunt. Copiose, graviterque hoc argumentum persequitur Cardinalis Gerdilius *Trattato del Matrimonio Romae* 1803.

§. IV. Aliae sunt causae, quae pertinent ad vim sponsalium atque ad jus instituendi divortii quoad thorum, et mutuam habitationem; atque hae similiter ecclesiastico judicio finiendae sunt (1). Nam respectum habent ad sacramentum matrimonii, quoniam ad illud contrahendum sponsalibus obligamur, ac per divortium jura utrique conjugi matrimonio quaesita relaxantur. Demum aliae sunt causae, quae ad matrimonium quidem referuntur, atque aliquam profecto cum eo habent affinitatem, sed directo spectant res mere politicas, et temporales. Sunt ex eo genere causae de dote, de donatione propter nuptias, de hereditaria successione, alimentis, similibus, et hae quidem saecularis judicis propriae sunt (1).

(1) Consule Bellarminum *de sacram. matrim. cap.* 32. *opp. tom.* 3. *pag.* 687. *edit. Venet.* 1721., et Tannerum *tom.* 4. *disp.* 8. *num.* 166.

§. V. Verum si qua interim, dum de his agitur in foro laicali, oriatur controversia de vi matrimonii, puta de impedimento dirimente, inchoato judicio supersedendum est, cunctaque ad ecclesiasticum judicem deferenda sunt (1). At de ecclesiastico judice non est ita. Ipse enim causas quoque no-



risque generis ejusdem, si qua de his rebus incidat disputatio. cum de vi matrimonii, aut de jure ad divortium quaeritur (2).

(1) Alexander III. *in Cap. lator 5. et Cap. causam 7. qui filii sint legit.*, et Honorius III. *in Cap. tuam 3. de ordin. cognit.*, quam Decretalem integram profert, illustratque Innocentius Cironius *in quinta compilat. lib. 2. tit. 5. pag. 112. edit. Vindobon.* 1761.

(2) *Cap. 1. qui filii sint legit. Cap. 3. et 7. de donat. int. virum, et uxorem.*

§. VI. Beneficiariae etiam causae, quae inter spirituales locum obtinent, ecclesiastico foro adscribendae sunt, sive agatur de canonica institutione, et collatione, sive de erigendis, aut dividendis beneficiis (1). Quo referendae sunt etiam causae, in quibus inter duos de beneficio contendentes quaeritur, uter eorum potior habendus sit, itemque causae, in quibus disputatur, num in Bulla Pontificia, quae collationem continet, vitium insit obreptionis, et subreptionis, aut aliud hujusmodi (2). Idem debet esse judicium de causis jurispatronatus, quippe quae spiritualibus adnexae sunt (3). Verum in locis quibusdam, sive expresso privilegio Sedis Apostolicae, sive diuturna consuetudine ab Ecclesia tolerata inductum est, ut causae beneficiariae, et similes in possessorio judicio cognoscantur a laico judice, in petitorio ab ecclesiastico definiantur (4).

(1) Alexander III. *in Cap. 21. de jurepatr. et in epist. ad Episcopos Galliae in append. Concil. Later. cap. 33. col. 626. collect.* Labbaei, *et in Cap. ex frequentibus 3. de Instit. Cap. 1. de reg. jur. in 6. Can. omnes Basilicae 10. c. 16. q. 7.*

(2) *Cap. relatum 21. de jurepatr.* Alexander III. *ep. ad Episcop. Galliae in append. Concil. Lateran. III. cap. 33. Concil. tom. 13. col. 626. collect. cit.*

(3) *Cap. 3. de judic. Cap. consuluit 15. de jurepatr.* Concilium Melfitanum an. 1089. *can. 8 Concil. tom. 12. col. 781. collect. ejusd.*

(4) Confer Thomassinum *vet. et nov. Eccles. disciplin. par. 2. lib. 1. cap. 36. num. 13.* et Benedictum XIV. *de synod. dioeces. lib. 9. cap. 9. num. 7.*, qui explicat diligenter, quomodo intelligendum sit privilegium, quod ea de re a Martino V. Francorum Regibus concessum est.

§. VII. Haud dissimilis juris disciplina est in causis decimarum, ac maxime ecclesiastici judicis est curare, ut eae ab omnibus integrae persolvantur (1); sed hae quoque causae, cum de nuda possessione quaeritur, alicubi vel ex privilegio,



vel ex vetusta consuetudine a laico judice cognoscuntur (2). Numeroque eodem sunt causae funerariae, in quibus agitur de concedenda, negandave ecclesiastica sepultura, de ejus electione, de stabiliendo tempore efferendorum, humandorumque cadaverum, de usu crucis parochialis, de tollendis abusibus, qui forte irrepserunt, de juribus funerariis inter ecclesias, et clericos dividendis (3). Quin etiam, quae dari solent, oblationes jussu fori episcopalis a laicis dandae sunt, nisi eae sponte offerantur (4).

(1) *Cap. 5. de decim.* Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 12. *de reform.*

(2) Confer Benedictum XIV. *loc. cit.*

(3) Ab Ecclesia regenda, et stabilienda esse quae ad Fidelium sepulturam pertinent, ab eaque designandum locum, in quo cadavera sepeliantur, antiqua est regula, de qua vide Concilium Bracarense 1., quod aliis est II., *can.* 18. *tom.* 6. *col.* 522. *collect. Labbaei*, Arelatense VI. *can.* 21. *tom.* 9. *col.* 321. Moguntium I. *can.* 18. *caus.* 13. *quaes.* 2. Moguntinum II. *can.* 31. *et* 50. *caus.* 13. *quaest.* 2 Agrippinense, seu Coloniense *can.* 28. *dist.* 1. *de consecr.* item Theodulphum Episcopum Aurelianensem *in Capitulare ad suae Paroch. Sacerdotes cap.* 9. apud Labbaeum *tom.* 9. *Concil. col.* 186. Hincmarum Rhemensem *in capitul. an.* 852. *cap.* 12. apud eumdem Labbaeum *tom.* 10. *col.* 3. Attonem Vercellensem *in Capitul. canon. cap.* 23. apud Dacherium *Spicileg. tom.* 8. *pag.* 10. *edit. Paris.* 1668. Decretalium titulum de sepulturis, aliaque monumenta complurima, ex quibus patet, semper ab Ecclesia constitutas fuisse leges de Fidelium sepultura.

(4) *Cap.* 42. *de simon.*

§. VIII. Similiter propriae sunt fori ecclesiastici causae, quae ad vitam pertinent, et instituta clericorum, ad res Ecclesiae alienandas, atque ad ejus immunitatem, aliaque similia jura, et privilegia (1). Jus Decretalium ecclesiastico judici adscribit etiam profana negocia, quibus jusjurandum adjunctum est (2). Verum nemini generatim licet adversus juratum contractum agere, nisi primum ab ecclesiastica Potestate, sublato vinculo sacramenti, agendi potestas data sit (3).

(1) Consule Gagliardum *Instit. Jur. Canon. lib.* 7. *tit.* 7. *num.* 31. *et seq.*

(2) *Cap.* 13. *de judic. Cap.* 3. *de for. competen. in* 6. Vide Benedictum XIV. *de Synod. dioeces. lib.* 9. *num.* 6.

(3) Confer Gonzalez *in cap.* 1. *de jurejur. num.* 10. Olim, et contractus stipulatio, quae saepe coram ecclesiasticis notariis fiebat, plures laicorum lites ad episcopale judicium deferebat. Notariorum, quos et *Exceptores* Latini, Greci autem *ὀξυγράφους*, et *ταχυγράφους* vocant, quod per notas, et

compendia celeriter scriberent quae eorum officium postulabat, usus ab ipsis Ecclesiae primordiis repetendus est. Auctor *libri Pontificalis tom.* 1. *pag.* 18. *edit. Vignoli Rom.* 1724. de S. Clemente P. scribit haec: *fecit VII. regiones, et divisit notariis fidelibus Ecclesiae, qui gesta martyrum solicite, et curiose unusquisque per regionem suam, ac diligenter perquireret.* Postea Fabianus, qui summus Pontifex creatus est an. 236., septem illas urbis regiones a Clemente divisas Diaconibus VII. adscripsit, atque ut scribit idem Auctor *libri Pontificalis in Fabiano pag.* 44. *loc. cit. fecit subdiaconos VII. qui septem Notariis imminerent, ut gesta martyrum in integro fideliter colligerent.* Qui notarii *regionarii* dicti sunt, quod Urbis regionibus essent adscripti, erantque e numero minorum Clericorum, cum Subdiaconis subjicerentur. Neque Romanam tantum, sed et reliquas Ecclesias suos habuisse Notarios, quorum erat dicta, et gesta martyrum conscribere, ostendunt acta Ignatii, Polycarpi, ceterorum. Lapsu temporum Notarii adhiberi consueverunt, ut Conciliorum acta conscriberent, uti ex Eusebio *Histor. Eccles. lib.* 7. *cap.* 29. *pag.* 314. *edit. Taurin.* 1716. et Socrate *Histor. Eccles. lib.* 2. *cap.* 30. *pag.* 111 *edit. ejusd.* aliisque manifestum est. Plerunque Diaconibus committebatur hoc munus, eisque Presbyter praeficiebatur. Hinc in actis Conciliorum Ephesini, et Chalcedonensis *act.* 1. *Concil. Chalcedon. tom.* 4. *Concil. collect. Labbaei col.* 894. *seqq.* mentio est *Dulcitii Notarii, et Joannis Presbyteri, et Primicerii Notariorum.* Erant et Notarii, qui celebriorum Oratorum conciones literis consignabant, quo pacto plures Chrysostomi, et Attici ejus successoris conciones conservatas docet Socrates *lib.* 6. *cap.* 4. *et lib.* 7. *cap.* 2. *pag.* 264. *et* 292. Denique, et Episcopos suos habuisse privatos Notarios, ostendunt vetusta monumenta, eosque memorant Socrates *lib.* 7. *cap.* 41. *pag* 329., et Sozomenus *lib.* 2. *cap.* 17. *pag.* 62., S. Gregorius M. *in sacram opp. tom.* 3. *col.* 170. *edit. Paris.* 1705., S. Hieronymus, atque alii, quos laudat Menardus *in not. ad d. sacram. not.* 300. *col.* 343. In Capitulare Caroli M. an. 805. *cap.* 3. apud Baluzium *Capitul. Reg. Franc. tom.* 1. *col.* 295. *edit. Venet.* 1772. statutum est, ut *unusquisque Episcopus, et Abbas, et singuli Comites suum Notarium habeant*: quod etiam cautum est *in Capitul. lib.* 6. *cap.* 256. *ibid. col.* 645. Neque unum tantum, sed plures Episcopi habuere Notarios, quorum primus Cancellarii, imo et Archicancellarii nomen sibi sumebat, uti ostendunt literae Wifredi Episcopi Virdun., quas laudat Mabillonius *de re diplom. lib.* 4. *cap.* 13. *numer.* 2. *pagin.* 121. *edit. Paris.* 1709 qui de Notariis copiose disputat. Erant autem Episcopales Notarii ex ordine clericorum. quin etiam eos fuisse Subdiaconos, Diaconos, atque etiam Presbyteros plurimis collectis monumentis ostendunt Thomassinus *vet. et nov. Eccles. disciplin. par.* 1. *lib.* 2 *cap.* 106., et Muratorius *antiq. Italic. dissert.* 12. Clericos in sacris ordinibus constitutos Notarii munus exercere vetuit Innocentius III. *ep.* 129. *lib.* 14. *tom.* 2. *pag.* 566. *edit. Baluzii* 1682., quod cum dedecore ordinis ecclesiastici saeculari curiae servirent, atque in profanis negociis versarentur. Verum simplicibus clericis numquam id muneris interdictum fuisse scribit Thomassinus *loc. cit. num.* 8., quin et ipsi Presbyteri eodem recte fungebantur, cum de ecclesiasticis negociis ageretur. Certe in profanis quoque rebus notarii ecclesiastici, quod plus fidei, et peritiae habebant, saepissime adhibebantur, et hinc plures causae, quae propter indolem rei controversae, aut personas ad laicum tribunal pertinebant, ad ecclesiasticum judicem deferebantur. Synodus Tridentina *cap.* 10. *sess.* 21. *de reform.* cum animadverteret, quod ex notariorum imperitia plurima damna, et multarum occasio litium oriantur, statuit, ut e possit

» Episcopus quoscumque notarios, etiamsi apostolica imperiali, aut regia » auctoritate creati fuerint, etiam tamquam Delegatus Sedis Apostolicae, » examinatione adhibita, eorum sufficientiam scrutari, illisque non idoneis » repertis, aut quandocunque in officio delinquentibus, officii ejus in ne» gociis, litibus, et causis ecclesiasticis, ac spiritualibus exercendi usum » perpetuo, aut ad tempus prohibere, neque eorum appellatio interdictionem » Ordinarii suspendat. » Quod etiam sancitum est a Benedicto XIV. *Constit, ad militantis* 48, §. 33. *tom.* 1. *ejus Bullar. pag.* 84. *edit. Rom. seu Venet.* 1754.

§. IX. Ex causis spiritualibus, quas ecclesiastico judicio cognoscendas esse diximus, quaedam majores, gravioresque sunt, de quibus Romani Pontificis est judicare. Quod sane annexum est, et inhaeret Primatui, quem Christus contulit in Petrum, ejusque successores, ut una sit omnium particularium Ecclesiarum fides, et una caritas, qua omnia Ecclesiae membra inter se eodem pacis, et communionis vinculo sub uno omnium Capite, centroque unitatis copulantur (1). Itaque ad hoc caput, et centrum causa pertinet, et solicitudo particularium Ecclesiarum, quae omnes in se ipsum conveniant necesse est, ut ex earum sub communi centro copulatione una existat Catholica Ecclesia toto orbe diffusa, eaque cura non ociosa, et inanis, sed actuosa et efficax esse debet, uti fert mandatum Christi, a quo Petrus, ejusque successores et *agnos*, *et oves* pascere (2), hoc est *regere*, jussi sunt (3). Sui autem muneris divinitus accepti partibus Petri successor Romanus Pontifex satisfacere non potest, nisi ad eum graviora quaeque negocia particularium Ecclesiarum referantur, ut ipse ea cognoscat, ac statuat, quid faciendum sit (4).

(1) Universalis Ecclesiae Primatum Petro fuisse commissum, ut unitas inter fideles omnes conservetur, Catholicorum omnium firma, ac certa sententia est. *Unus eligitur*, inquit S. Hieronymus *adv. Jovinian. lib.* 1. *num.* 26. *tom.* 2. *opp. col.* 279. *edit. Veron.* 1735, *ut Capite constituto schismatis tollatur occasio.* Idem antea scripserat Cyprianus *ep.* 59. *ad Cornelium pag.* 261. *edit. Amstelod* 1700. *Neque aliunde*, inquit, *haereses obortae sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperetur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, et ad tempus Judex vice Christi cogitatur.* Quin ipse Apostolorum aetati proximus S. Irenaeus celebre illud dedit testimonium, quod ad Romanam Ecclesiam tamquam ad unitatis centrum omnes particulares Ecclesiae convenire debent, atque ex ejus traditione novae haereses refutantur *lib.* 3. *cap.* 3. *tom.* 1. *pag.* 175. *edit. Venet.* 1754. » Maximae, *inquit*, et antiquissimae, et omnibus cognitae » a gloriosissimis duobus Apostolis Petro, et Paulo Romae fundatae, et consti» tutae Ecclesiae, eam quam habes ab Apostolis, traditionem ... indicantes con-

» tes confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sibi placentiam, vel » vanam gloriam, vel per caecitatem, et malam sententiam, praeterquam » oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principa» litatem necesse est omnem convenire Ecclesiam. » Confer Ballerinium *de vi, et ratione Primat. Rom. Pontif. cap.* 10. *pag.* 45. *seqq. edit Aug. Vindelic.* 1770.

(2) Praeclare ea de re S. Bernardus, cujus locum supra descripsimus tom. 1. *cap.* 3. §. 8. *not.* 4. *pag.* 35.

(3) Pascere idem plerunque esse in sacris literis ac regere, moderari, et administrare rempublicam, supra demonstravimus *d. cap.* 3. §. 8. *not.* 3. *pag.* 35.

(4) De hoc jure sedis Apostolicae accipiendi ex tota Ecclesia relationes de causis gravioribus copiose disputat contra Petrum de Marca David *des jugemens canoniques des Eveques chap.* 9. *pag.* 490. *seqq edit. Paris.* 1671.

§. X. Atque hanc referendi majores causas necessitatem, quae totius Ecclesiae Primatum in Romano Pontifice ostendit, Catholica Ecclesia jam inde ab initio agnovit, seduloque observavit. Nam in ipso ejus nascentis exordio Corinthii datis ad S. Clementem literis, quibus patefactis causis discordiarum, quae inter sese ortae fuerant, non consilium tantum, sed ejus etiam auxilium implorarunt (1). Saeculo II. S. Polycarpus Romam contendit ad Anicetum Summum Pontificem, ut cum eo de celebrando die Paschatis conferret (2). Martyres Lugdunenses S. Irenaeum tunc ejus Ecclesiae Presbyterum ob quasdam Ecclesiae quaestiones ad Eleutherium P. miserunt (3). Victor Asianos ipsa luna XIV. Hebraeorum more Pascha celebrandum esse contendentes gravissime reprehendit, eisque minatus est, sese eosdem ab Ecclesiae communione segregaturum, nisi ab ea sententia discederent (4). Montanistae sententiam exquirunt, et praesidium implorant Aniceti Pontificis, qui primum deceptus eos in antiquum statum restituit, sed postea condemnat, rebus cognitis, perspectisque diligentius (5).

(1) Eusebius *histor. Eccles. lib.* 3. *cap.* 15. *pag.* 95. *edit. Taurin.* 1746., qui eamdem epistolam *eximiam prorsus, atque mirabilem* vocat, eamque *in plerisque Ecclesiis et nostra, et superiori memoria palam recitari consuevisse* testatur.

(2) Eusebius *loc. cit. lib.* 4. *cap.* 14. *pag* 137.

(3) Eusebius *ibid. lib.* 5. *cap.* 4. *pag.* 184. S. Hieronymus *de viris illustribus cap* 35. *opp. tom.* 2. *col.* 859. *edit. Vallarsii Veronae* 1735.

(4) Eusebius *ibid. lib.* 5. *cap.* 24. *pag.* 212. Socrates *Histor. Eccles. lib.* 5. *cap.* 22 *pag.* 246. *edit. ejusd.*

(5) Baronius ea tempestate Summum Pontificem fuisse putat Anicetum, Pagius Victorem. Christianus Lupus Zephyrinum. Ut ut ea se res habeat, hoc

certum est, Montanistas ad Summum Pontificem confugisse, ab eoque decepto fraudibus haereticorum obtinuisse pacificas literas, quibus priores sententiae contra eos latae infirmabantur, sed postea, patefacto dolo, easdem literas e medio fuisse sublatas. Rem omnem narrat Tertullianus *adv. Praxeam cap.* 1. *pag.* 501. *edit. Venet.* 1744., qui posteaquam in eadem Moulani haeresim inciderat, asperius invehitur in Praxeam, qui cuncta detexerat.

§. XI. Tertio saeculo S. Cyprianus suam de lapsis sententiam proponit Clero Romano, a quo ea laudatur, et approbatur (1), eidem per literas scelus nunciat Privati Lambesitani (2), ac Felicissimi, cujus acta Romam transmiserat (3); scribens ad Cornelium P. suam excusat morositatem, quod eum serius certiorem fecerit de iis, quae ad Fortunatum pertinent (4), ejusque exquirit sententiam in causa libellaticorum (5); rogat Stephanum P., ut mittat in Gallias literas, per quas gradu moto Marciano Arelatensi, qui Novatiano studebat, alius in ejus locum substituatur Episcopus (6). In controversia de Baptismo haereticorum quamquam Cyprianus minus accurate paruerit legibus reverentiae, et obsequii in Caput Ecclesiae, tamen synodicis literis, quae ab se, et collegis suis decreta fuerant, Stephano P. significavit (7). Adversatus est huic sententiae Stephanus, et ita adversatus, ut contra Afrorum sententiam veterem traditionem retineri vellet. Ex quo manifesta est suprema Romani Pontificis auctoritas infirmandi leges latas in aliis provinciis, synodisque provincialibus. Conqueritur de hoc Stephani mandato ipse Cyprianus (8), qui forte, antequam moreretur, suum agnovit errorem; et hunc certe Catholica Ecclesia improbavit, probavitque Stephani judicium (9).

(1) Cyprianus *ep.* 35. *pag.* 218. *edit. Amstelod.* 1700.
(2) Idem *ep.* 36. *pag.* 220.
(3) Ibid. *ep.* 45. *pag.* 232.
(4) Ibid. *ep.* 59. *pag.* 263.
(5) Ibid. *ep.* 55. *pag.* 242.
(6) Ibid. *ep.* 68. *pag.* 292.
(7) Ibid. *ep.* 72. *pag.* 305.
(8) Ibid. *ep.* 74 *pag.* 314.
(9) Consule Natalem Alexandrum *Histor. Eccles. saec. III. art.* 3. *dissert.* 12. *tom.* 4. *pag.* 97. *edit. Venet.* 1776.

§. XII. Eodem tertio saeculo extant literae Dionysii Alexandrini ad Stephanum Pontificem de Baptismo haereticorum

(1), itemque literae Episcoporum Africae, qui Stephano significant quidquid ipsi in Concilio gesserant (2); praeterea ejusdem Dionysii literae ad Sixtum II., qui ab eo fit certior de haeresi Sabellianorum, quae ea aetate increbrescebat (3). Saeculo IV. Arelatensis Concilii Patres ea, quae decreverant, Silvestro Pontifici significarunt, ut ab eo confirmarentur, totique Ecclesiae servanda proponeretur *juxta consuetudinem*, qua Romanus Pontifex literas ad omnes dirigebat (4). Ad eumdem Pontificem Alexander Episcopus Alexandrinus literas dedit, quibus nunciavit, se quosdam ab Ecclesia Presbyteros, et Diaconos ejecisse, quoniam Arii haeresim sequebantur (5). Synodus Sardicensis certum, firmumque habuit, ad Romanum Pontificem *tamquam ad Caput Ecclesiae* solicitudinem spectare omnium Ecclesiarum, ideoque scripsit ad Julium P., ad *Caput*, hoc est ad Petri Sedem, *de singulis quibusque provinciis* esse referendum (6).

(1) Confer Coustantium *Rom. Pontif, ep col.* 219. *edit. Paris* 1721.
(2) Vide eumdem Coustantium *loc. cit. col.* 216., *et col.* 259., ubi habes Dionysii Alexandrini Episcopi fragmentum epistolae.
(3 Eusebius *histor. Eccles. lib.* 7. *cap.* 6. *pag.* 285. *edit. ejusd.*
(4) Concilium Arelatense *ep. ad Silvestrum P.*, *et can.* 1. *tom.* 1. *Concil. col.* 1449. *et seq. tom.* 1. *collect. Labbaei.*
(5) Vide Coustantium *loc. cit. col.* 347.
(6) Concilium Sardicense *can.* 3. *et* 4. *et in epist. synod. ad Julium P. tom.* 2. *Concil. collect. Labbaei col.* 674. *et* 690.

§. XIII. Temporum injuria multa quidem perierunt, sed duo adhuc extant Pontificiae auctoritatis in causis majoribus insignia monumenta. Primum est epistola Marcelli Episcopi Ancyrani, qui se per eam purgat Julio Pontifici, ac suam puram erroris profitetur fidem, atque antea Romam venisse, ibique anno uno, tribusque mensibus commoratum fuisse declarat, ut praesens a Summo Pontifice judicaretur, omnemque ab se Arianae haeresis suspicionem removeret (1). Alterum est Arianorum Valentis, et Ursacii epistola, qua suas adversus Athanasium criminationes revocant, ejusdemque bonitatem commendant, *qui pro insita sibi benevolentia errori suo veniam dare dignatus fuerit* (2). Tum apertius adhuc in causis Episcoporum Pontificis auctoritatem declarant, seque *non adfuturos* profitentur *citra ejusdem conscientiam*,

*si aliquando ab Orientalibus malo animo fuerint ad causam vocati.* Ipse demum Julius in celebri ad Eusebianos epistola Pontificiae auctoritatis contemptum exprobrat, ac provocat *ad antiquam consuetudinem* tum generatim in causis gravioribus, tum speciatim in causa Episcoporum: *an ignoratis*, inquit, *hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, et hinc quod justum est decernatur?* (3) Ex his quarti saeculi monumentis insigne adhuc est tum S. Hieronymi (4), tum Siricii P. (5) testimonium.

(1) Videndus Coustantius *Rom. Pontif. epist.* 2. *in Jul. P. col.* 390. *seqq.*

(2) Constantius *loc. cit. ep.* 5. *col.* 403.

(3) Idem *loc. cit. in Jul. ep.* 1. *col.* 386. Illud valde leve est, ac nugatorium, quod ajunt Scriptores Sedi Apostolicae infensi, singularem jam inde ab initio fuisse Romani Pontificis auctoritatem in Ecclesiam Alexandrinam; eaque de causa Julium de Athanasio tantum conqueri, quod is contra consuetudinem sese inscio de gradu dimotus fuerat. Nam si in primam Orientis Sedem Pontificia auctoritas tantum valuit, cur minus in inferiores valere debet? Quod si adeo subjecta fuit Alexandrina Sedes Romanae, id certe nonnisi a Petri auctoritate repetendum est: propterea quod hujusce Patriarchatus in Oriente Principis fons, et caput fuit S. Marcus tamquam Petri Legatus. Atqui eodem jure, et forte etiam majore, Antiochenae Sedis praerogativa, ac dignitas prae aliis Apostolicis a Petro, ceu fonte suo repetenda est. Nonne ergo vel ipsa duorum in Oriente Patriarcharum potestas, tamquam in suos vicarios, a Petro fuit profecta, sive delegata? Nonne in Antiochenum, aliosque Orientis Patriarchas jus idem habere debuit Summus Pontifex, quod in Alexandrinum? Atque idem revera et habuisse, et exercuisse compertum est. Nam Julius tum Eusebianos Antiochiae in Concilio congregatos, tum Athanasium pari modo, et potestate pari suum ad tribunal vocat, neque Eusebianos reprehendit, quod contra antiquos canones peccassent tantum, quia Alexandrinum, sed quia hunc, qui princeps omnium erat, et alios Apostolicarum Ecclesiarum Antistites sese ignaro judicare ausi fuissent. *Si omnino, ut dicitis*, inquit apud Coustantium *loc. cit. col.* 386. *aliqua eorum* (non solius Athanasii) *culpa fuit judicium secundum ecclesiasticum canonem, nec eo pacto fieri oportuit . . . . Episcopi enim erant, nec vulgares Ecclesiae, quae vexabantur, sed quas ipsi Apostoli per se ad fidem instruxerunt. Cur autem de Alexandrina potissimum Ecclesia nihil nobis scribere voluistis? An ignoratis, hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, et hinc quod justum est decernatur? Itaque si hujusmodi suspicio in Episcopum, qui ibi* (τον ἐκει, non illius urbis, ut male Coustantius vertit) *cadebat, ad hanc Ecclesiam scribendum fuerat.* Ecclesiasticus autem canon, in quem Eusebiani peccarunt, erat, ut scribit Socrates *Histor. Eccles. lib.* 1. *cap.* 17. *pag.* 83. *edit. Taurin.* 1747. quod Papam ad Concilium non vocassent: *quippe cum ecclesiastica regula interdictum sit, ne praeter sententiam Romani Pontificis quidquam ab Ecclesiis decernatur*, Teodoritus *Histor. eccles. lib.* 2. *cap.* 4. *pag.* 63. *edit. ejusd.* de Julio P. ita

scribit: *Is vero ecclesiasticam legem secutus et ipsos Romam venire jussit, et Athanasium ad dicendam causam evocavit.* Eadem habet Sozomenus *lib.* 3. *cap.* 10. *pag.* 97.

(4) S. Hieronymus *ep.* 123. *ad Ageruchiam opp. tom.* 1. *n.* 10. *col.* 901. *edit. Vallarsii Veron.* 1734. se apud Damasum ad respondendum synodicis consultationibus, quae ex Oriente, et Occidente ad Romanam Sedem mittebantur, operam navasse testatur. Tum in quaestione, num una in Deo, vel tres hypostases dicendae sint, aperte fatetur, se sine ulla dubitatione dicturum, quod Damasus juberet *ep.* 15. *ad Damas. num.* 2. *col.* 38. *tom. cit. cum successore Piscatoris, et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, idest Cathedrae Petri, communione consocior: super illum aedificatam Ecclesiam scio . . . . non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit spargit . . . Discernite, si placet, obsecro, non timebo tres hypostases dicere etc si jubetis etc. et ep.* 16. *n.* 2. *col.* 41. *Ego interim clamito, si quis Cathedrae Petri conjungitur, meus est.*

(5) Himerio Tarraconensi Episcopo, qui de pluribus disciplinae negociis rogaverat Sedem Apostolicam, respondens Siricius Pap. apud Coustantium *ep.* 1. *num.* 20. *col.* 637. *ad Romanam*, inquit, *Ecclesiam, utpote ad caput tui corporis retulisti*. tum ea, quae ab se scripta fuerant, cunctis Ecclesiis nunciari mandat, ut ab omnibus observentur. Atque in hac ipsa Siricii epistola duo praesertim digna observatu sunt. Primum est, quod Summus Pontifex diserte memorat curam, et solicitudinem, quam ipse habere debet, omnium ecclesiarum inquiens *portamus onera omnium*, alterum est quod eos, qui suis decretis non paruerint, se a communione secreturum minatur; *a quo tramite*, inquit, *vos quoque posthac minime convenit deviare, si non vultis a nostro collegio synodali sententia separari.*

§. XIV. Consentiunt, et concinunt, quasi facta conspiratione, recentioris aetatis monumenta, Sic Innocentius I. (1), sic Zosimus (2), sic Bonifacius I. (3), sic Cyrillus Alexandrinus literis ad Caelestinum P. datis in causa Nestorii (4), sic ipsi schismatici Orientales Episcopi in epistola ad Xistum III. (5); sic Leo M. (6), sic Hilarus (7), sic Vigilius (8), sic Gregorius M. (9), quorum testimonia pertinent ad V., et VI. Ecclesiae saeculum. Hi omnes memorant antiquam consuetudinem, qua receptum affirmant, ut graviores omnes causae ad Sedem Apostolicam referantur. Antiquiora haec sunt omnia falsis decretalibus, quae multo serius in lucem editae fuerunt; atque ex his porro manifestum est, quantum a veritate abhorreant, qui jus in Primatu penitus affixum, et insitum cognoscendi majores causas ab his decretalibus repetendum putant (10).

(1) Innocentius I. *ep.* 2. *ad Vistric. Rotomagen. num.* 6. apud Cou-

stantium *col.* 749. *Si majores causae*, inquit, *in medium fuerint devolutae ad Sedem Apostolicam, sicut synodus statuit, et beata consuetudo exigit, post judicium episcopale referantur.* Adversus hanc Innocentii epistolam plura opponunt qui Pontificii Primatus jura, et auctoritatem labefactare conantur. Primum est, quod vocabulum illud *majores* primus usurpaverit Innocentius, cum nihil tale occurrat in antiquioribus monumentis. Principio quamquam verum esset, primum Innocentium *majorum* causarum nomen adhibuisse, tamen nemo non videt, quanta vis, et auctoritas esse debeat tam remotae a nostra memoria antiquitatis, quae attingit initium V. saeculi, praesertim cum eam posterior aetas et verbo, et facto confirmaverit, eaque procedat a Pontifice doctrina, et pietate excellenti, quem certe ne suspicari quidem licet jus alienum usurpare voluisse, et antiqua *consuetudine* receptum jactare impodenter quod ipse primus in Ecclesiam inducebat. *Quid enim poterat ille vir sanctus* (ajebat de hoc Pontifice Augustinus *contr. Julian. lib.* 1. *cap.* 4. *opp. tom.* 10. *col.* 503. *edit. Venet.* 1733. cum ageretur de causa Pelagianorum) *respondere . . . nisi quod antiquitus Apostolica Sedes, et Romana cum caeteris tenet perseveranter Ecclesia?* Deinde vero ociosum est de mero vocabulo disputare, quando rem ipsam, quae eo vocabulo designatur, testatissimam faciunt tot vetusta saeculorum monumenta, quae a nobis data sunt, ex quibus evidenter constat, jam ab ipsis Ecclesiae incunabulis semper graviores, majoresque causas ad Summum Pontificem Ecclesiae caput referri consuevisse. Hinc Julius I. plusquam dimidio saeculo antiquior Innocentio hanc ipsam *consuetudinem* memorat, quod certissimo argumento est, eum non rem novam literis consignasse, sed ea aetate jamdiu receptum fuisse, ut graviores causae ad Sedem Apostolicam referri deberent. Nam, uti paulo ante demonstravimus, Eusebianis exprobat Pontificiae auctoritatis contemptum appellans *antiquam consuetudinem* tum generatim in causis gravioribus, tum speciatim in causa Episcoporum: *an ignoratis*, inquit, *hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, et hinc quod justum est decernatur.* Neque Eusebiani hanc consuetudinem, quam facile refutare potuissent, nisi fuisset vera, et omnium consensu probata, in discrimen revocare ausi sunt, neque mentitus est Julius, quoniam illam revera ubique viguisse ostendunt ea, quae hacteuus in medium allata sunt. Itaque et ante Julium, qui Pontifex creatus est an. 337., et multo magis ante Innocentium, qui Summum Pontificatum obtinuit an. 402. jam ea, de qua loquimur, consuetudo obtinebat. At majores causas ad Sedem Apostolicam deferri vult Innocentius *post judicium Episcopale.* Ita sane. Sed duplex, ut omnes norunt, judicium est, alterum, quod *definitivum*, alterum, quod *informativum* dicitur. Postremum hoc judicium in causis gravioribus propriom est Episcopi, primum illud Summi Pontificis. Nimirum si gravior aliqua causa, ex. gr. fidei in dioecesi orta fuerit, eam Episcopi cum sua animi sententia referunt ad Summum Pontificem, a quo expectandum est judicium, quod omnem finiat controversiam. Atque hoc est Episcopale judicium, quod memorat Innocentius; judicium scilicet, quod pertinet ad rem accuratius cognoscendam, atque ad Episcopi sententiam significandam Summo Pontifici, a quo definitivum judicium emittendum est. Hinc ipse Innocentius majores a minoribus causis perspicue distinguit. Nam de his tantum scribit: *causas vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris a congregatis ejusdem provinciae Episcopis terminari debere, nec alicui liceat, relictis his Sacerdotibus, ad alias convolare provincias, sine praejudicio tamen Romanae*

*Ecclesiae, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri.* Sunt haec judicia *minorum rerum*, quae ab Episcopis expedienda sunt, quaeque eorum sententia *terminantur*. Verum majores causae non *terminantur* judicio Episcoporum, sed eae etiam post editam Episcoporum sententiam referendae sunt ad Sedem Apostolicam; cujus tantum judicio *terminantur*. Hinc intelligimus, quae initio saeculi V. disciplina fuerit, ubi Episcoporum provincialis synodus, cujus potestas his temporibus adeo amplificari vellet, solum causas minores terminare potuit, et has quidem, nisi pars altera Apostolicam Sedem appellaret.

(2) Zosimus *ep.* 1. *ad Episcop. Gall. num. ult.* apud Coustantium *col.* 938. omnia Provinciarum Galliae negocia Metropolitae Arelatensi committit, *nisi magnitudo causae etiam nostrum requirat examen.*

(3) Bonifacius *ep.* 15. *ad Rufum num.* 8. *col.* 1044. contra Perigenem Corinthiorum Episcopum aliquid fieri vetat sine consensu, et auctoritate Rufi, cui ipse vices suas commiserat, et quem *omnia referre* jubet *ad notionem suam.*

(4) Cyrillus *ep. ad Caelestium*, quae inter Caelestini epistolas apud Coustantium est *num.* 8. *col.* 1086., in causa Nestorii ad Caelestium P. scribit haec: *Si silere, et non pietatem tuam de omnibus, quae moventur, literis certiorem facere citra culpam, ac sinistrae suspicionis metum liceret, praesertim in rebus adeo necessariis, ubi etiam recta fides a nonnullis depravata periclitatur, in memetipso dicerem, bonum, et periculi expers est silentium, praestatque quietam vitam agere, quam turbatam. Sed quoniam Deus hisce in rebus vigilantiam a nobis exigit, et longa Ecclesiarum consuetudo suadet, ut hujusmodi res cum Sanctitate Tua communicetur, scribo plane necessitate adactus.*

(5) In eadem Nestorii causa quantum Romani Pontificis auctoritas visa fuerit necessaria, manifestum facit vel ipsa Orientalium schismaticorum epistola ad Sixtum III., in qua Antiocheni Patriarchae ad Concilium Ephesinum accessionem referre festinant, inter Sixti epistolas *num.* 4. apud Coustantium *col.* 1245. Qua de re digna est, quae describatur ipsius Constantii adnotatio his concepta verbis: *hic notatu digna videtur ea in Nestorii tota causa partium festinatio, qua Nestorius ipse, Cyrillus* ( Alexandrinus ), *Joannes*, ( Antiochenus ), *ac socii, Eutherius* ( Thianensis ), *ac reliqui Episcopi consentientes* ( omnes Orientales ), *hoc est haeretici, catholici, schismatici, seu a schismate discedentes, seu in eodem pertinaces Apostolicae Sedis Praesulem antevenire, ac sibi conciliare contenderunt.*

(6) S. Leo M. *ep.* 14. *ad Anastas. Thessalonic. cap.* 1. *opp. tom.* 1. *col.* 683. *edit. Baller.* sibi reservat *majora negocia, et difficiliores causarum exitus.* At qui Sedi Apostolicae quidquid Primatus est adimere conantur, id factum a Leone ajunt jure patriarchicho, quoniam Illyricum, ubi Anastasius Apostolici Vicarii munere fungebatur, eo quidem jure Romano Pontifici subjiciebatur. En quo hi homines rapiantur odio in Primatum, ut concedant Patriarchae, cujus potestas humani juris est, ac certas tantum comprehendit provincias, quod negant Primati, quem Deus ipse instituit, ut caput esset totius Ecclesiae, ejusque potestas non certis provinciarum, sed universae Ecclesiae terminis continetur. Ergo particulari Patriarchae licebit, quod non licet universalis Ecclesiae Capiti *majores sibi causas reservare*? Rem absurdissimam plane refutant, atque rejiciunt quae hactenus demonstrata sunt, ex quibus manifestum est, quod jam a primis saeculis non solum ex Illyrico, atque ex aliis Occidentis, sed etiam ex singulis Orientis

provinciis graviores causae ad Romanum Pontificem deferebantur. Synodus Sardicensis expresse statuit, ut de singulis *quibusque* provinciis ad Caput, seu *Petri Sedem* Domini Sacerdotes referant. Julius Orientales graviter increpat; quod contra canonem, et consuetudinem ad Romanam Ecclesiam non scripserint. Innocentius pluribus in literis diserte inquit, majores causas *ad Apostolicam suam Sedem : ad Petrum*, idest *sui nominis, et honoris auctorem : ad Caput, et apicem Episcopatus* referri debere. Omnium loco sit Bonifacius *ep.* 15. *ad Rufum aliosque* apud Constantium *num.* 6. *col.* 1042., qui jam saeculo V. hodierna commenta refutavit his verbis : » Approbandum documentis est, maximas Orientalium Ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione majore, Sedem semper consuluisse Romanam, et quoties usus exegit, ejus auxilium postulasse. S. memoriae Athanasius, et Petrus Alexandrinae Sacerdotes Ecclesiae hujus Sedis auxilium postularunt. Cum Antiochena Ecclesia per multum tempora laboraret, ita ut fierent illic propter hoc ipsum saepe discursus, primo sub Meletio, postea sub Flaviano, apostolicam Sedem manifestum est esse consultam. Ad cujus auctoritatem post multa, quae ab Ecclesia nostra gesta sunt, nemini dubium est, Flavianum communionis gratiam accepisse, qua in perpetuum caruerat, nisi hinc super hoc scripta manasseut Clementissimae recordationis Princeps Theodosius Nectarii ordinationem, propterea quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis e latere suo aulicis eum Episcopis formatam huic a Sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quae ejus Sacerdotium roboraret. Ante breve tempus, idest sub Praedecessore meo bo. record. Innocentio Orientalium Ecclesiarum Pontifices dolentes se a B. Petri communione sejunctos per legatos pacem, sicut caritas vestra retinet, poposcerunt ... Igitur ad probandum veritatem arbitror, quae diximus, Fratres carissimi, exempla sufficere, quamvis plura vestri notione teneantur. » Atque ex hac ipsa Bonifacii epistola intelligimus, quanta semper fuerit in toto Christiano orbe super omnes Orientis Ecclesias Romanae Sedis auctoritas : nam ibi paulo supra *num* 5. describitur ordo Ecclesiarum his verbis : » quoniam locus exigit, si placet recensere canonum sanctiones, reperietis, quae sit post Ecclesiam Romanam secunda Sedes, quaeve sit tertia. A quibus ideo ita rerum videtur ordo distinctus, ut se ecclesiarum Pontifices ceterarum, sub uno tamen, eodemque Sacerdotio, habere cognoscant, quibus caritate servata propter ecclesiasticam disciplinam debeant esse subjecti. Et quidem haec sententia canonum a vetustate duravit, et nunc usque Christo Domino nostro favente perdurat : nemo umquam Apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit, nemo in hac rebellis extitit, nisi qui de se voluit judicari. Servant Ecclesiae magnae praedictae per Canones dignitates, Alexandrina, et Antiochena, habentes ecclesiastici juris notitiam ; servant, inquam, statuta Majorum, in omnibus deferentes, et ejus vicissitudinem referentes gratiae, quam se in Domino, qui pax nostra est, nobis debere cognoscunt. »

(7) Hilarus *ep.* 8. *ad Episc. provinc. Gall. tom.* 5. *concil. collect. Labbaei col.* 66. *In dirimendis sane*, inquit, *gravioribus causis, et quae illic non potuerint terminari, Apostolicae Sedis sententia consulatur.*

(8) Vigilius *ep.* 7. *ad Auxanium Arelatensem d. tom.* 5 *Concil. col.* 1300. » Si qua vero, *inquit*, certamina aut de Religione . . . » aut de quolibet negotio, quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit, evenerint, totius veritatis indagine diligenti ratione discussa, rationis ad nos seriem desti-

» nantes Apostolicae Sedi terminanda servate; » idemque iisdem pene verbis expressum est *epist.* 9. *ad Episc. Gall. col.* 1302.

(9) S. Gregorius M. *lib.* 4. *ep.* 52. *opp. tom.* 2. *edit. Maurin. Paris* 1705. » Si quam vero contentionem, *inquit*, quod longe faciat divina potentia, de » fidei causa evenire contigerit, aut negocium emerserit, cujus vehemens sit » fortasse dubietas, et pro sui magnitudine judicio Sedis Apostolicae indigeat, » examinata diligentius veritate relatione sua » (eu episcopale judicium, quod pertinet ad rem expendendam, eamque significandam Sedi Apostolicae, a qua supremum judicium em tendum est) » ad nostram studeat perducere notitiam. *et ep.* 46 *lib.* 2. *col.* 608.

(10 Ex eo numero sunt Van-Espenius *Jus. eccles. univer. par.* 3. *tit.* 3. *cap.* 4., Febronius *de stat. Eccles. cap.* 4. §. 1., Cunaltius *Principj genuini di tutta la giurisprudenza sacra cap.* 22. *num.* 2., aliique similes ex eadem schola profecti. Videndi sunt Fratres Ballerinii *in S. Leonem opp. tom.* 2. *col.* 927. 937. 979. *seqq. edit. Venet.* 1753., *et vindic. auctor. Pontific. cap.* 8. §. 7. *pag.* 239. *seqq. edit. Aug. Vindelic.* 1770., Zaccaria *Anti-Febronio tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 2, *et in Anti-Febronio vindic. par.* 2. *dissert.* 5. *cap* 1. *et* 2., Italus ad Febronium *ep.* 7. *et* 8., Charlas *de libert. Eccles. Gallican. lib.* 9. *cap* 5. *tom.* 2. *pag.* 163. *seqq. edit. Romae* 1720., ubi habes et pacta conventa, seu concordata cum Gallia, et testimonia Gallorum auctorum. et alia praeclara monumenta, ex quibus patet, semper gravioresc causas *ipso primo judicio* ad Sedem Apostolicam deferri consuevisse. Atque haec inter Gallorum testimonia praeclarum est illud. quod an. 1653. Galliae Episcopi ediderunt literis ad Innocentium X. datis: *Majores causas*; inquiunt, *ad Sedem Apostolicam referri solemnis Ecclesiae mos est, quem fides Petri numquam deficiens perpetuo retineri pro jure suo postulat* Confer etiam nostras *Institutiones Jur. Canon. lib.* 3. *tit.* 4. § 8. *not.* 1. *pag.* 56. *seqq. edit. Romae* 1792.

§. XV. Sunt autem graviores causae, quae primo etiam judicio a Summo Pontifice cognoscendae sunt, in primis causae de fide, de laxandis legibus, quae pertinent ad Ecclesiam universam. Atque hanc praesertim ob causam, ut unitas fidei conservetur, a Christo Primatum fuisse datum Petro, ejusque successoribus, una est Catholicorum sententia, a qua ne ii quidem audent discedere, qui jura Primatus imminuunt, atque in parvum quemdam, et angustum locum concludunt. (1) Itaque si Primatus institutus est, ut omnium particularium Ecclesiarum, quae toto terrarum orbe longe, lateque diffusae sunt, una sit fides, quod efficitur ex earum copulatione in unum centrum unitatis, evidens, apertumque est, fidem hujus centri esse fidem, quam omnes particulares Ecclesiae sequi debent, ideoque illius de hac fide totius Ecclesiae judicium esse oportere.

(1) Febronius *de stat. Eccles. cap.* 2. §. 2. 4. 6., praeter ceteros, hujus Primatus fundamentum unitatis bonum esse docet, *bonum, sine quo*

*impossibile est Ecclesiam subsistere, aut perdurare.* Hinc firmum, certumque statuit, » omnia illa, et sola primigenia esse, et essentialia jura » Primatus, sine quibus unitas non potest servari. *et addit.*; qui ad genuinum sensum S. Scripturae, traditionis, ac disciplinae primorum saeculorum sapiunt, illi norunt, quod cum Romanus Pontifex inter Praelatos, et Antistites sit primus, supremo ejus muneri annexa esse debeat » solicitudo, ut per universum orbem observentur canones, ut fides illibata custodiatur, ut iidem ritus substantiales in ministrandis sacramentis adhibeantur, ut denique unam omnes, eamque sanam doctrinam moralem profiteantur. » Unde illud educit consequens: » ea quae ad Ecclesiae statum attinent, ubivis gerantur, ad Romanum Pontificem referenda esse. » Atqui Febronius ipse fatetur *loc. cit. cap.* 4. §. 2. *num.* 10. » causas fidei » graviores ejusmodi esse, quae ad statum universalis Ecclesiae attinere possunt, quo titulo Summi Pontificis est curare, ne quid definiatur, quod in » eumdem statum communem, seu publicum impingat. » Itaque fatetur disertissime Febronius: *graviores fidei quaestiones ad Romanum Pontificem esse referendas.* Quis aequo animo ferat, quod hic homo deinceps sibi ipsi adversetur, causasque fidei reservatas neget Summo Pontifici, atque id totum adscribat falsis Decretalibus Isidori, vehementerque objurget Innocentium III., quod hic interrogatus super quaestione de Baptismo parvulorum in responso ad Archiepiscopum Arelatensem, tamquam certum posuerit, *majores Ecclesiae causas, praesertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas esse*? Haec semetipsum contradicendi ratio magnum est malae causae argumentum.

§. XVI. Initio quidem Ecclesiae non solus Petrus, sed et singuli Apostoli errores condemnarunt. Verum Episcopos in jura singularia Apostolorum minime successisse, compertum est, ideoque non omnia, quae praestiterunt Apostoli, etiam Episcopi praestare possunt. Certe unusquisque Episcopus in sua dioecesi curare diligenter debet, ut integra sit fides, et procul sit omnis error, per quem ea corrumpi potest, atque infici opinionum pravitate. Verum judicium, quod ea de re ab uno, aut altero Episcopo emittitur, particulare judicium est, quod habere potest, et saepe habet alios adversantes Episcopos, quorum dissensus facit, ut nihil certi statui possit; non supremum, et definitivum est judicium, quod veritatis loco esse debet Ecclesiae universae. Judicium hoc tantum ferri debet ab eo, qui in totam Ecclesiam, cujus caput, princepsque est, habet potestatem; quique est a Deo constitutus centrum unitatis, in quo omnes particulares Ecclesiae copulantur, et cum quo omnes conveniant necesse est (1). Atque hoc quidem judicium in re tanti momenti semper Romano Pontifici reservatum fuit; cujus rei Theodoritus Cyri Episcopus (2) primum exemplum profert ex Paulo Apostolo, qui tametsi

esset *praeco veritatis*, *et tuba Spiritus Sancti*, tamen in prima illa de legalibus controversia, ut exemplum relinqueret, ad magnum Petrum se contulit, *ut iis, qui Antiochiae de legali conversatione ambigebant, explicationem ab ipso referret.*

(1) Confer Ballerinium *de vi ac ration. Primat. Pontific. cap.* 10. *et* 11. *pag.* 45 *seqq. edit. August. Vindelic.*, ubi agitur de vi, et potestate, quam habet Summus Pontifex tamquam Ecclesiae caput cogendi omnes ad unitatem.

(2) Inter Leonis M. epistolas *ep.* 52 *cap.* 1. *opp. S. Leonis tom.* 1. *col.* 942. *edit. Ballerin.*

§. XVII. Non omnia ad nos pervenerunt monumenta rerum ab nostra memoria propter vetustatem remotarum, uti sunt in primis, quae Hieronymus (1) sub Damaso relata, et responsa commemorat; sed quae hactenus indicavimus, et cetera, quae adhuc supersunt, evidenter ostendunt, omnes de fide controversias expeditas, finitasque fuisse Sedis Apostolicae judicio. Extant adhuc literae Conciliorum Carthaginensis, et Milevitani, quod utrumque habitum est an. 416., et in his Concilii Patres post proscriptos Pelagii, et Caelestii errores omnia, quae ab se gesta fuerant, Summo Pontifici Innocentio I. significant, ut Sedis Apostolicae auctoritate confirmentur (2). Innocentius autem datis ad eos literis eosdem ea de causa valde laudat, quod judicium exquisierint Sedis Apostolicae, et eorum, quae gesserant, confirmationem petierint, in quo et vetusta Patrum instituta sequuti fuerint, et sanctissimis Ecclesiae legibus obtemperaverint (3). Eodem recidunt quinque Africae Episcoporum Aurelii, Alypii, Augustini, Evodii, et Possidii literae ad eumdem Innocentium (4), et hujus ad eos responsio (5). Simili modo alia duo Africana Concilia omnia quae acta fuerant contra Pelagianos, nunciarunt Zosimo Pontifici; a quo ea confirmata sunt (6), et Caesarius Episcopus Arelatensis Arausicanam synodum II. Sedis Apostolicae judicio subjecit (7). Atque illam quidem Innocentii sententiam, quam obtinuerunt Africani Patres narrantes, quae ipsi gesserant in negocio Pelagianorum, tanti fecit Augustinus, ut per eam *causam finitam* (8), *et totam dubitationem sublatam* affirmaverit (9).

(1) S. Hieronymus *ep.* 118. *num.* 10. *opp. tom.* 1. *col.* 901.

(2) Concilium Carthaginense *in ep. synod. ad Innocent. P. tom 3. Concil. collect. Labbaei col.* 376. *Hoc itaque gestum,* inquiunt Carthaginenses Patres, *Domine Frater, sanctae caritati tuae intimandum duximus, ut statutis nostrae mediocritatis etiam Apostolicae Sedis adhib atur auctoritas.* Et Patres Milevitani *in epist synod. ad eum l. lib. col.* 387. » Quia te Dominus, *inquiunt*, gratiae suae praecipuo munere in Sede A- » postolica collocavit, talemque nostris temporibus praestitit, ut nobis po- » tius ad culpam negligentiae valeat, si apud tuam venerationem, quae pro » Ecclesia sunt suggerenda, tacuerimus. »

(3) Innocentius ad Carthaginensis Concilii Patres *ep.* 24. *cit. tom* 3. *Concil. col.* 44. scribit haec: » quod illi non humana, sed divina decre- » vere sententia, ut quidquid, quamvis de disjunctis, remotisque provin- » ciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus sedis notitiam » perveniret, ut tota hujus auctoritate justa, quae fuerit, pronunciatio fir- » maretur, indeque sumerent ceterae Ecclesiae ( velut de natali suo fonte » aquae cunctae procederent, et per diversas totius mundi regiones puri la- » tices capitis incorrupti manarent ) quid praecipere, quos abluere, quos » velut coeno inemundabili sordidatos mundis digna corporibus unda vita- » ret. » Quam sententiam similibus fere verbis literis mandarunt trium Africae Conciliorum Patres in exordio epistolae ad Theodorum P. missae, quae in Lateranensi Concilio sub S. Martino I. *act.* 2. *tom.* 7. *Concil. Labbaei col.* 131. recitata fuit. Neque secus loquitur ipse Innocentius scribens ad Patres Milevitanos *loc. cit. ep.* 25. *col.* 47.

(4) Extat haec epistola apud Labbaeum *loc. cit. col.* 395., in eaque post expositam referendi causam, ac petitam veniam ob longiorem sermonem addantur haec: » non enim rivulum nostrum tam largo fonti augendo re- » fundimus: sed in hac non parva tentatione temporis . . . . . utrum etiam » noster, licet exiguus, eodem, quo etiam tuus abundans, emanet capite » fluentorum, hoc a te probari volumus, tuisque rescriptis de communi » participatione unius gratiae consolari » Hanc epistolam, ac ceteras, quas paulo ante memoravi, Innocentii, et Concilii Carthaginensis, ac Milevitani epistolas per partes singulas diligenter expendit Ballerinius *de vi ac rat on. Primat. Pontific. cap.* 13. §. 9. *pag* 152. *seqq.*, ubi etiam Augustini, quae adversari videntur, loca explicantur.

(5) Consule *epist.* 26. Innocentii apud Labbaeum *loc. cit. col.* 50.

(6) Vide-sis Baronium *ad an.* 417. *num.* 19. *tom.* 7. *pag.* 95. *seqq. edit. Lucae.*

(7) Confer Bonifacium II. *ep.* 2. *ad Caesarium Arelaten.* apud Labbaeum *tom.* 5. *Concil. col.* 830., et Mabillonium *in saec. I. Benedict. tom.* 1. *pag.* 646. *edit. Venet.* 1733.

(8) S. Augustinus *serm.* 131. *de verb. Evang. Joan. opp. tom.* 5. *col.* 645. *edit. Maurin. Venet.* 1731.

(9) Idem *contra duas epist. Pelagian. lib* 2. *cap.* 3. *et* 4. *tom.* 10. *col.* 433. In quo illud animadvertendum est, quod Augustinus tantum post Innocentii rescriptum *causam finitam, et totam dubitationem sublatam* dixit, sed ante hoc rescriptum licet duo Africana Concilia habita fuissent, *non evidenter exclusam de Ecclesia* Pelagianorum haeresim affirmavit.

§. XVIII. Neque vero sese aliter res habere potest. Nam relationes hujusmodi ad Sedem Apostolicam tamquam ad caput

semper mitti consueverunt, non tantum ut capitis requiratur officium, cujus est curare unitatem, regimen, et incolumitatem ceterorum membrorum, sed etiam ut ostendatur, qualis sit obligatio membrorum, quorum est caput sequi (1), eique adhaerere. Alios quoque Episcopos, qui doctrinae fama praestarent, interdum consultos novimus, ut suam in re valde dubia sententiam patefacerent; sed id factum est, uti nunc etiam rogantur insignes aliqui doctrina viri, mera voluntate eorum, quibus placuit judicium exquirere Episcoporum, quos plurimi faciebant, atque hoc privatum, et voluntarium judicium fuit, quod nihil toti Ecclesiae dare potuit definitum, ac certum. Magnum itaque discrimen est inter hoc judicium, et judicium Romani Pontificis, quod unum est judicium certum definitivum, totamque afficiens, et obstringens Ecclesiam.

Confer synodicam synodi Sardicensis an. 347. ad Julium P. apud Labbaeum *Concil. tom. 2. col.* 690. Chalcedonensis Concilii Patres in relatione ad S. Leonem, quem sibi *sicut membris caput praefuisse* affirmant, postquam eum laudarunt, quod egregie capitis functus munere *corpus Ecclesiae unire festinasset*, haec de suo, ac membrorum officio tradiderunt: *nos capiti in bonis adjecimus consonantiam*. Similiter cum Ephesini Patres Caelestini judicio adjunxere suum contra haeresim Nestorianam, Philippus Apostolicae Sedis Legatus inquit *sancta membra sancto capiti se adjunxisse*. Confer Concilium Ephesinum *act. 2. tom. 3. col.* 1147. *collect. Labbaei*. Hanc sane de causa Ecclesiae membra capiti fuisse subjecta Christi instituto docet S. Hieronymus *contr. Jovinian. lib. 1. n. 26. opp. tom. 2. par. 1. col.* 279. *edit. Veron.* ut *capite constituto schismatis, tolleretur occasio*, atque ut addit S. Leo *ep. 14. ad Anastasium Thessalonicensem cap.* 11. *opp. tom. 1. col.* 692. *nihil usquam a suo capite dissideret*. Eo quoque spectant Avitus Viennensis *ep.* 36. apud Sirmondum *opp. var. tom. 2. col.* 52. *edit. Venet.* 1728. Justinianus *in L. 7. tit. 1. lib. 1.*, et Gregorius II. *ep. ad S. Bonifacium Episcopum Moguntinum* in ejus vita scripta ab Othlono Tuldensi apud Canisium *thes. monum. Antuerp.* 1725. *t.* 3. *p.* 342.

§. XIX. Huc etiam referendae sunt causae, quae spectat ad disciplinam, rectamque administrationem, et statum Ecclesiae universae. Non enim, quae totam Ecclesiam attingunt, fieri possunt sine auctoritate ejus, qui toti Ecclesiae praepositus est, quique ex vi, et ratione Primatus in omnes habet jurisdictionem, et cogendi potestatem (1). Est etiam e numero majorum causarum jus instituendi, confirmandi (2), ac transferendi Episcopos (3), eosque reos graviorum criminum gradu movendi (4), constituendi, conjungendique in unum plures Episcopa-

tus, aut unum distrahendi in plures, finiumque regundorum dioeceseon (5), et suo reservandi judicio graviora quaedam crimina, quorum soli Summi Pontifices veniam largiantur (6), et solvendi aliquem Ecclesiae legibus (7), et adscribendi numero Sanctorum insignes in Deum pietate viros (8), et confirmandi Ordines Regularium (9).

(1) Consule S. Leonem M. *ep.* 4. *ad Episcop. per Campaniam cap.* 5. *et ep.* 5. *cap.* 2. *opp. tom.* 1. *col.* 616. *et* 617. *edit. Ballerin. ep.* 9. *col.* 629. *ep.* 119. *col.* 1217. *et ep.* 20. *col* 1227.; S. Caelestinum *ep.* 3. apud Coustantium *col.* 1064., Nicolaum I. *ep.* 6. *ad Photium tom.* 9. *Concil. Labbaei col.* 1304., S. Maximum Confessorem *opusc. theolog. tom* 2. *opp. pag.* 76. *edit. Combefis. Paris.* 1675. » Implorat, *inquit*, sanctissimae Romanorum Ecclesiae » beatissimum Papam, idest Apostolicam Sedem, quae ab ipso incarnato Dei » Verbo, sed et omnibus sanctis synodis, secundum sacros canones et termi- » nos universarum, quae in toto terrarum orbe sunt, sanctarum Dei Eccle- » siarum in omnibus, et per omnia percepit, et habet imperium, auctorita- » tem, et potestatem ligandi, et solvendi. » Quamquam unam, et eamdem disciplinam ubique esse necesse non sit, ut in iis, quae ad dogma pertinent, una omnium fides esse debet, tamen saepe disciplina ejusmodi est, ut cum dogmate intime conjungatur sive per sese, sive error eorum, qui eam observare renuunt; vel Christum ipsum auctorem habeat; vel universae Ecclesiae consensu recepta sit; vel propter rerum, quas spectat, magnitudinem, ac varietatem nervus, ac vigor Christianae Reipublicae jure, ac merito existimetur. Hanc sane integram servari vehementer interest, quia secus magnum est periculum, ne ipsa tandem fidei unitas detrimentum patiatur.

(2) S. Leo. M. *Episcopatum sancti, ac venerabilis Episcopi Antiochenae Ecclesiae confirmavit,* inquiunt Patres Concilii Chalcedonensis *act.* 10. *tom.* 4. *Concil Labbaei col.* 1599., quod satis fuit ut omnis ea de re dubitatio removeretur. Vide Bonifacium I. *ep.* 15. *ad Rufum* apud Coustantium *col.* 1043., Leonem M. *ep.* 104. *cap.* 3. *col.* 1149., Simplicium *ep.* 17. *ad Acacium* apud Labbaeum *tom.* 5. *concil. col.* 113., Gregorium M. *ep.* 30. *lib.* 3. *col.* 645. *tom.* 2. *edit. Maurin. Paris.* 1705. *et ep.* 4. *lib.* 11 *col.* 1095. Ivonem Carnotensem *ep.* 8. *ad Richerium pag.* 4. *edit. Paris.* 1647. Maurus Ravennae Episcopus debitam Romano Pontifici subjectionem depellere conatus est, sed ejus successor Reparatus eam agnovit, firmamque habuit, ipseque Imperator sancivit, ut ejus successor Romae consecrationem acciperet *juxta antiquam consuetudinem* Anastasius *in Dono, et in Leone II. tom.* 1, *pag.* 174. *et* 289. *edit. Vignolii Romae* 1724. Videndus est etiam Cardinali Gerdilius *Confutazione di due libelli contro il Breve super soliditate par.* 1, *pag.* 12. *seqq. edit.* 1789. Atque hanc obtinendae a Sede Apostolica confirmationis necessitatem agnoverunt, et diserte confessi sunt Gersonius *de potest. eccles, consid.* 10. *opp. tom,* 2. *pag.* 239. *edit. Antuerp.* 1706., *et* Van-Espenius *Jus eccles. par.* 1. *tit.* 14. *cap.* 5. *num.* 7., qui certe Apostolicae Sedis assentores haberi non possunt. Alter enim posteaquam firmum, ac certum posuerat, quod: » potestas ecclesiastica in sua plenitudine, et for- » maliter, et subjective in solo Rom. Pontifice est, *addit. haec:* Ex institu- » tione Christi, nullus debet in Ecclesia dare, vel suscipere gradus hierar- » chicos . . . si non interveniat vere, et interpretative auctoritas supremi » Hierarchae, vel Monarchae in Ecclesia sancta Dei, ,, Alter autem pluribus

ostendit, electum Episcopum sine confirmatione Sedis Apostolicae Ecclesiam administrare non posse. Sed ea de re alias redibit disserendi locus in titulo *de confirmatione utili vel inutili*.

(3) Confer Socratem *Histor. Eccles. lib.* 7. *cap.* 40. *pag.* 329. *edit. Taurin.*, Bonifacium I. *ep.* 4. *et* 15. apud Constantium *col.* 1019. *et* 1039., Bianchium *della potestà; e della polizia della Chiesa lib.* 3. *cap.* 4. §. 1. *tom.* 5. *par.* 1. *pag.* 390. *seqq.*

(4) Concilium Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 8. *de reform.* S. Cyprianus, *ep.* 67. *pag.* 292. *edit. Amstelod.* 1700. S. Stephanum summum Pontificem rogat, ut depositionis sententiam ferat contra Marcianum Arelatensem, qui se Novatianis conjunxerat. *Dirigantur*, inquit, *in provinciam, et ad plebem Arelate consistentem a te literae, quibus, absento Marciano alius in eum locum substituatur.* Quem Cypriani locum solide, graviterque expendit V. Cl. Joannes Marchettus nunc, dum haec scribimus, Archiepiscopus Ancyranus *critica della storia Ecclesiastica, e de' discorsi dell' Ab. Fleury art* 2. *cap.* 1. *num* 6. *tom.* 2. *pag.* 52. *seqq. edit. Venet.* 1794., quo in opere et alia Pontificiae potestatis capita contra Fleuryum, atque alios cupiose, vindicantur. Concilium Chalcedonense *act.* 3. *col.* 1306. *tom.* 4. *Concil. collect. cit.* de Dioscoro habet haec: „ unde sanctissimus, et beatissimus Archiepiscopus magnae et senioris Romae Leo per nos . . . nudavit eum tam Episcopatus dignitate, quam etiam et ab omni sacerdotali alienavit ministerio. » *et act.* 11. *col.* 1610. *ibid. Hodie quatuor anni sunt*, inquit, *et Romanus Episcopus eum deposuit.* Nicolaus I. in sola Ecclesia Costantinopolitana octo numerat Episcopos a Sede Apostolica gradu motos *ep.* 8. *ad Michael. Imper. tom.* 9. *Concil. col.* 1329.

(5) Egregie S. Bernardus *ep.* 131. *opp. tom.* 1. *pag.* 61. *edit. Venet.* 1765. » Potest, *inquit*, si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus, » ubi hactenus non fuerunt, potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios » sublimare, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de Episcopis creare Archie- » piscopos liceat, et e converso, si necesse visum fuerit etc. » Sic Zosimus *ep.* 5. apud Constantium *col.* 959. Metropolitae Arelatensi tribuit potestatem ordinandi Episcopos in provincia Viennensi, et in utraque Narbonensi; Bonifacius autem, eo privilegio abrogato, Hilario Narbonensi jus restituit, quod a Zosimo ademptum fuerat *ep.* 12. *ad Hilarium ibid. col.* 1031. quod et Pontifices, qui sequuti sunt, ac nominatim S. Leo confirmarunt. Sic etiam orta inter Arelatensem, et Viennensem Ecclesiam controversia ob Vasensis Episcopi ordinationem, a Provinciae Episcopis, res delata est ad Leonem M., qui utrique Episcopo dioeceseos fines praefinivit S. Leo M. *ep.* 76. *col.* 999. *edit. Ballerin.*, et hanc Leonis *indulgentiam* ratam firmam haberi jubet Symmachus *ep.* 9. apud Labbaeum *tom.* 5. *Concil. col.* 438. Vide etiam Ivonem Carnotensem *ep.* 238. *ad Paschal. II. pag.* 103. *edit. Paris. cit.*

(6) Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 7. *de poeniten.* » Magno- » pere vero, *inquit*, ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissi- » mis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam, et graviora cri- » mina non a quibusvis, sed a Summis dumtaxat Sacerdotibus absolveren- » tur: unde merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ec- » clesia universa tradita causas aliquas criminum graviures suo potuerunt » peculiari judicio reservare. »

(7) A Melchiade Pontifice ob rei Christianae bonum laxatas fuisse leges Ecclesiae constat, quod maxime laudat S. Augustinus *ep.* 43. *ad Glorium etc. opp. tom.* 2. *col.* 95. *edit. Venet.* 1729. Videndae sunt etiam li-

terae Tarraconensium Episcoporum ad Hilarum P., quarum summam Severinus Binius describit his verbis : « memoratu digna duo contiuet. Unum » quod ad Romanam Sedem tantum pertineat dispensare in iis, quae contra canones praesumpta sunt; alterum quod nullius concilii provincialis tanta est auctoritas, ut inconsulta Sede Apostolica id praestare potuerit. » *tom.* 5. *Concil. col.* 58. *collect. Labbaei.* Atque hae literae lectae fuerunt in Concilio Romano *an.* 465. *tom.* 5. *Concil. collect. Labbaei col.* 88, quibus Patrum, quos inter fuit S. Maximus Episcopus Ecclesiae Taurinatis, perpetuae acclamationes responderunt. Eamdem Summi Pontificis potestatem de laxandis, ubi opus est, Ecclesiae legibus declarat Symmachus apud Labbaeum *loc. cit. col.* 440. Sed de hac ipsa Romani Pontificis potestate praeclarum in primis est testimonium Concilii Constantinopolitani IV., quod fuit VII. oecumenicum. Res erat de laxandis Ecclesiae legibus, ut clerici, qui a Photio minores ordines susceperant, majores consequi possent, praeterea de restituendo ad Episcopatum Theodoro Metropolita Cariae, denique de Paulo Cartophylace Episcopo consecrando. Hi omnes dispensationis beneficio indigebant, idque Concilii Patres ab Hadriano II. postularunt agnoscentes in uno Romano Pontifice residere potestatem dissolvendi leges Ecclesiae, qua ipsi sese carere fatebantur Concilium Constantinopolitanum IV. *act.* 10. *tom.* 10. *Concil. Labbaei col.* 678 Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 9. *et* 10. §. 22. *tom.* 6. *pag.* 358. *edit Venet.* 1776 « Magnificum » sane, *inquit*, pro Romani Pontificis Primatu testimonium, quod synodus » oecumenica dispensationes a Summo Pontifice roget, eique, non aliis Patriarchis, potestatem a Christo concreditam agnoscat, temperandi severitatem » canonum, qui ab Ecclesia recepti sunt universa. » Confer Ballerinium *de potest. eccles. Sum. Pontif. cap.* 3. §. 2. *p.* 42. *edit. August. Vindelic.* 1770, *et* Bianchinum *dell' esterior polizia della Chiesa lib.* 3. *cap.* 5. §. 16. *tom.* 5. *pag.* 274. *et* 277.

(8) Initio testificatione populorum, ac permissione Episcoporum sanctorum canonizationes fieri solebant; erecto super eorum corpora altari, ut nosci potest ex Mabillonio *act. SS. Ord. Benedict. saec.* 6. *par.* 1. *pag.* 154. 240. 248. 382 447. *edit. Venet.* 1733. Saepe ex una ad aliam dioeresim cultus deferebatur eodem studio populi, Episcopo permittente; sed hic particularis cultus erat unius, alteriusve dioeceseos, qui minime trahebatur ad Ecclesiam universam. Cultus ubique receptus in tota Ecclesia tantum indici potest a Summo Pontifice, cujus in totam Ecclesiam fertur potestas propter Primatum honoris, et jurisdictionis, quo a Christo Domino donatus est. Sunt qui tantum in exitu saeculi X., nimirum an. 995. Sedi Apostolicae reservatas putant Sanctorum *canonizationes* ab Joanne XV., qui S. Udalricum Sanctorum numero adscribi voluit. Sed multo antiquiores hae aetate *canonizationes*, quae totam Ecclesiam attingerent, Romani Pontificis auctoritate factas fuisse certum est. Jam saeculo V. hunc morem receptum fuisse ostendit Mabillonius *dissert.* 24. *de canonizat. sanctor. num.* 7. apud Fleuryum *disciplin. Popul. Dei tom.* 3. *pag.* 72. *edit. Venet* 1782., qui disserens de actis Martyrii S. Vigilii Episcopi Tridentini : « saeculo V., *inquit*, vel certe non multo post, » Acta Martyrum, saltem ex Italia ad Romanum Pontificem *ex more* mittebantur, ut vel ab eo auctoritatem acciperent, vel ut in Romano scrinio asservarentur, vel denique ut in sacris Romanae Ecclesiae dypticis » Martyres locum obtinerent. » Et causam etiam judicat propter quam ita Mabillonius putavit; quia nimirum se in antiquo codice legisse testatur; ***Gesta Beatissimi Martyris, ut moris erat, Urbis Romae Episcopo tran-***

*missa fuisse, ut sacris martyrum memorialibus indirentur etc.* Ex quo patet, jam inde ab ea aetate *indi* rite *sacris memorialibus* acta Martyrum non potuisse, nisi, *ut moris erat*, transmissa ad Pontificem, ab eoque sacris iisdem *memorialibus* indita fuissent. Consule Mabillonium *loc. cit.* Benedictum XIV. *Const.* 43. §. 17. *tom.* 4. *pag* 151. *edit. Romae* 1758. *et de servor. Dei Beatific. et Beat. Canoniz. lib.* 1. *cap.* 7. *tom.* 1. *pag.* 40. *seqq. edit. Neapol.* 1773., Honoratum a S. Maria *animadvers. in regul., et usum critic. lib.* 1. *dissert.* 1. *art.* 5. *tom.* 2. *pag.* 7. *edit. Venet.* 1751. Mamachium ad Auctorem *opusc. quid est Papa? tom* 1. *epist.* 3. §. 13. *pag.* 264. *seqq.* Nostras *Institut. Jur. Canon. lib.* 1. *sect.* 1. *tit.* 3. *not.* 2. *pag.* 170. *edit. Romae* 1792.

(9) OEcumenici Concilii Lateranensis IV. *can.* 13. *tit* 13. *col.* 950. *collect. Labbaei* statutum est, ne quis novam Religionem, seu novum Regularem Ordinem instituat. Sed eam cautionem ipse Summus Pontifex adhiberi voluit, approbante Concilio, non ut illius potestas aliqua ex parte diminueretur, quasi ipsi non liceret novum Ordinem confirmare. Porro Honorius III, qui paulo post Pontificatum maximum obtinuit, SS. Dominici, et Francisci Ordines confirmavit, quo facto ostendit tum instituendi, tum confirmandi novos Ordines potestatem ad Summum Pontificem pertinere. Quod magis magisque demonstrat Synodus Lugdunensis II., quae oecumenica similiter fuit. Nam haec Gregorio X. assensa *can.* 23. *tom.* 14. *Concil.. collect. cit. col.* 534. e medio tolli jussit Ordines post Lateranense Concilium institutos, qui ab Apostolica Sede confirmati non essent. Itaque synodus propriam esse novit Sedis Apostolicae novorum Ordinum confirmandorum potestatem: eaque idcirco a Lateranensi Concilio sublata nullo modo haberi potest. Pergit eadem synodus Lugdunensis, atque integros servari jubet Ordines post Lateranense Concilium institutos, et a Sede Apostolica confirmatos, quamquam aliquibus interdicat, ne quem postea in suum numerum aggregent, neque loca ulla acquirant, modo ipsis Sedes Apostolica *specialem* non dederit secus agendi facultatem. Videsis *tom.* 1. *cap.* 5. §. 25. *et* 26. *pag.* 11. et Institutiones Juris Canonici *tit.* 3. *sect.* 1. §. 16. *tom.* 1. *pag.* 169. *seqq. edit. cit.*, ubi de juribus, et potestate Summi Pontificis disseruimus.

§. XX. Reliquae autem causae, quae more temporales, ac profanae sunt, ad ecclesiasticum forum deferuntur, cum clericus in jus vocatur; quoniam cautum est, ut actor rei forum sequatur, et qualis est reus, talis et judex esse debeat (1). Itaque in his controversiis si clericus actor est adversus laicum, judex item laicus constituitur, nisi forte aliud postulet locorum mos, et consuetudo (2); contra si clericus a laico in judicium ducitur, res tota ab ecclesiastico judice cognoscenda, ac finienda est. Quod fori privilegium ita adhaeret personis clericorum, ut eo ne volentes quidem sese abdicare possint (3).

(1) *L.* 3. *Cod. ubi in rem actio*, *L.* 2. *Cod. de jurisdict.*, *Cap.* 5. *et* 8. *de for. competen.* Vide nostras Institutiones *tom.* 3. *lib.* 3. *tit.* 4. §. 9. *pag.* 59.
(2) Videndus Benedictus XIV. *Instit. Eccles. Inst.* 40.

(3) Innocentius III. in *Cap.* 12. *de for. competen.* Quod idem ante Innocentium sancitum fuerat in Concilio Carthaginensi III. *can.* 9. *tom.* 2. *Concil. collect. Labbaei col.* 1401., in Concilio Melevitano II *can.* 10. *tom.* 3. *col.* 385. *et in can.* 3. *seqq. c.* 11. *q.* 1, quibus quidem locis, ut lex perfecta esset, additae sunt etiam ecclesiasticae poenae excommunicationis, et depositionis, atque etiam infirmata, quae in alieno foro gesta sunt. Ex quo patet, jus hoc esse commune, et publicum Ecclesiae, quod privatorum pactis abrogari non potest; quovis enim modo clericus pactum inierit, manifestum est, eum in Ecclesiae legem commisisse. Itaque nihil causae video, cur Cujacius *in cit. cap.* 12. *de for. competen. opp. tom.* 6. *col.* 778. *edit. Mutinae* 1778. tam acriter reprehendat Innocentium tamquam novi cujusdam, et inauditi juris conditorem, vel quia in hanc rem perperam utatur vulgata juris regula, *jus publicum privatorum pactis mutari non potest.* Contra Cujacium solide, graviterque Innocentium vindicat Ianus a Costá *in Decretal. Gregorii IX. ad tit.* 2. *de for. competen. tom.* 2. *pag.* 358. *seqq. edit. Neapol.* 1770. Cetera, quae ad hunc locum pertinent, exposui *in Institut. loc. cit. not.* 3. *pag.* 60. *et* 61.

§. XXI. Verum satis non est considerare, quis generatim in causa sit judex vel propter naturam rei, de qua quaeritur, vel propter statum personae, quae in jus vocatur; videndum est etiam, qui ex ecclesiasticis, aut laicis speciatim esse debeat in ea disceptatione judex. Neque enim quilibet assumi sine delectu potest, sed judex, qui reum invitum in jus venire cogit, in eum habeat jurisdictionem necesse est, et cogendi potestatem. Reus autem tum in ecclesiasticis, tum in saecularibus judiciis quatuor praesertim de causis sortitur forum, quo vocatus venire debet, nimirum ex domicilio, ex contractu, ex re sita, ex delicto. Domicilium in primis constituit habitatio cum naturali origine conjuncta nisi quis illam mutasse, atque alio transtulisse demonstraverit. Sed non omnes, qui relicto originis, et antiquae habitationis loco sese alio contulerunt, hic acquirunt domicilium, nisi ibi habitationem posuerint, et vero posuerint animo locandi fixam, ac stabilem sedem suam (1). Cum hic est animus, et cum animo conjuncta habitatio domicilium acquiritur: idque semel acquisitum retinet etiam qui eo discedit, animo tamen redeundi, ex causa vel necessaria, vel voluntaria, puta peregrinationis, officii, vel negotii gerendi causa (2).

(1) *L. Domicilium* 20. *ff. ad municipal. ibique Gloss., verb. domicilium, L nec interest* 26. *ff. de capitiv. et postlim. revers.* Jure scripto in *L. assumptio* 6. *in princip. ff. ad municip.* originis domicilium retinetur, sed consuetudine fere ubique receptum est, ut amittatur alio translata firma;

ac stabili habitatione.

(2) *L. Cives. 7. Cod. de Incolis.*

§. XXII. Plane sola domus, quae in aliena civitate comparatur, aut aliarum immobilium rerum possessio domicilium non facit (1); facit autem aliena domus, et conducta, in qua aliquis firmiter commoratur (2). Qui duobus locis instructus est aequaliter domicilio, et utrobique firmo, ac stabili animo est, utrobique domicilium habere intelligitur (3). Uxor transit in domicilium viri, cum quo vitam ducit (4), quod et retinet mortuo viro, nisi alias nuptias contraxerit (5); sed cum tantum desponsa est, ante contractas nuptias non mutat domicilium suum (6). Filius familias patris originem sequitur, non domicilium, quod habet ubi sedem suam collocavit (7), quam minime collocasse intelligitur in loco, in quo studiorum causa commoratur, nisi ibi per decem solidos annos habitationem fixerit (8). Praeter domicilium unicuique proprium, Jus Romanum aliud etiam agnoscit commune omnibus, idque ipsa Roma erat (9). Quare unusquisque ibi repertus conveniri poterat, nisi jus revocandi domum haberet (10). Simili modo clerici Romae reperti nisi ad eam venerint ex justa, et necessaria causa, propter quam revocandi domum jus habeant, judicio vocati Decretalium jure coguntur respondere, quoniam omnium clericorum communis patria Roma est (11).

(1) *L. libertus 17. ff. ad municip.*
(2) *L. 5. §. 2. ff. de injur.*
(3) *L. 6. §. pen. L. 27. §. 2. ff. ad municip.*
(4) *L. 65. ff. de judic.*
(5) *L. 22. §. 1. ff. ad municip.*
(6) *L. 32. ff. eod. tit.*
(7) *L. 4. et 6. §. 1. ff. eod. tit.*
(8) *L. 5. §. 5. ff. de injur., L. 2. Cod. de Incol.*
(9) *L. 33. ff. ad municip.*
(10) *L. 2 ff. de judic.*
(11) *Cap. ult. de for. competen.*

§. XXIII. Est et quasi domicilium, quod habent, qui in loco aliquo resident animo non in eo firmiter, ac perpetuo, sed per annum, aut magnam anni partem consistendi. Tales sunt, qui in Academiis versantur studiorum causa, qui legatione funguntur, qui negociationem exercent, si ibi tabernam,

vel officium habeant, cum voluntate ibidem diutius permanendi. Hi jus acquirunt Parochiae, eique subditi evadunt, atque ab ejus loci Episcopo, vel Parocho sacramenta suscipiunt, excepto sacramento ordinis, ejusdemque legibus, et consuetudinibus obligantur. Denique qui huc, et illuc vagantur, neque ullum habent fixum domicilium, ubicunque inveniuntur pulsari judicio possunt.

§. XXIV. Alter obtinendi forum modus est contractus, quoniam ubi quis contraxit, ibi actione in personam reus praesens convenitur (1). Si formula contractus locum non expressit, quo est solvenda pecunia, locus ille intelligitur, in quo res gesta est (2); si expressit, in eo loco, qui designatus est, judicium exercetur (3). Quod si is, qui se certo loco soluturum promisit, vocatus ad locum non accedat, sive id fraudulenter faciat, sive quod alibi necessario detinetur, composita est in eam rem utilis actio de eo, quod certo loco (4), per quam actor, cui quid certo loco promissum est, nec tamen datum, alibi etiam judicium agit (5); modo idoneus, ac legitimus locus sit, in quo scilicet haud alio designato loco, reus aut contractus, aut domicilii causa conveniri debuisset (6).

(1) *L. 19. §. 1. L. 20. et 45. ff. de judic., Cap. 1. §. 3. de for. competen. in 6.*

(2) *Cit. L. 19. §. 1., et L. 45. ff. de judic.*

(3) *L. 3. ff. de bon. auctor. judic. possiden., L. 19. §. ult. et L. 20. ff. de judic. L. 20. ff. de action. et obligat.*

(4) *L. 1. ff. de eo quod. cert. loc.*

(5) Confer titulum Pandectarum *de eo quod cert. loc.*

(6) In hanc sententiam scripta est *L. 19. ff. de judic.*, atque in hanc eamdem sententiam actionem de eo, quod certo loco, Jus Canonicum recepit.

§. XXV. Forum etiam constituit, et judicem locus, in quo res controversa sita est. Nam ibi in rem actio adversus rei dominum instituitur, quasi actio rem ipsam persequi videatur (1). Neque refert, immobilis ne sit, an mobilis ea res, de qua disputatur; quin etiam si possessor absit, actio movetur (2). Num autem adversus reum necessario in rem actio exercenda sit in loco, in quo res ipsa sedet, an etiam actori liceat judicium facere in loco domicilii, vetus disputatio est, in qua inter Sapientes sunt doctrinarum facta divortia.

Sed hoc posterius fori usus recepisse videtur (3). Jure canonico etiam propter beneficium, veluti propter rem sitam, competens forum evadit (4); ideoque in causis beneficiariis recte clerici ad Episcopum beneficii vocantur.

(1) *L.* 3. *Cod. ubi in rem actio Cap.* 3. *de for. compet.*
(2) *L.* 2. *Cod. ubi in rem actio.*
(3) Vide-sis Hotomanum *lib.* 3. *observ.* 3., Duarenum *ad tit. de judic. Cod. de for. competen.*, Donellum *de jur. civil. lib.* 17. *cap.* 17 *opp. tom.* 4. *col.* 1275. *edit. Lucae*, Vinnium *select. jur. quaest. lib.* 1. *cap.* 18.
(4) *Cap.* 3. *de tempor. ordinat. in* 6.

§. XXVI. Delicti causa ubi quis deliquit, ibi judicio in personam convenitur. Nam ubi crimen admissum est, ibi facilior habetur probationum copia, et majus expensarum compendium; praeterea curandum est, ut reus prosit exemplo poenae, ubi obfuit exemplo delicti (1). Quod si reus absit a loco delicti, etiam ubi reperitur ea de re quaeri potest (2); nisi magistratus loci patrati criminis reum ad se mitti postulet, ut in loco delicti meritis plectatur poenis. (3). Verum in hoc toto negocio servare oportet locorum consuetudines, et pacta conventa inter supremos Principes; quoniam exploratum est, neminem extra suum territorium jurisdictionem exercere sine in suos, sine in alienos posse (4).

(1) *L.* 7. *et* 22. *ff. de accusat.*, *L.* 1. *Cod. ubi de crimine ager. oport.*, *L.* 1. *Cod. ubi Senator.*, *Cap.* 14. *de for. compet.* Vide etiam S. Cyprianum *ep.* 59. *pag.* 266. *edit. Amstelod.*
(2) *L.* 1. *Cod. ubi de crimin.*
(3) *L.* 7. *et* 11. *ff. de custod. et exhibit. reor.*, *Novell.* 134. *cap.* 1. *de raptor.*; *Can.* 4. *et* 5. *caus.* 6. *q.* 3. In eamdem sententiam est *can.* 1. *caus.* 3. *q.* 6., quem canonem Gratianus sumpsit ex epistola S. Fabiani Pontificis, quae est e numero falsarum Decretalium Isidori Mercatoris.
(4) *Cap.* 2. *de constit. in* 6.

§. XXVII. Sunt hi praesertim, ac generatim modi, quibus aliquis sortitur forum; sed et alii speciatim sunt cognitione digni, videlicet privilegium, praeventio, continentia causae, jactatio, seu diffamatio, reconventio, consensus litigantium, delegatio. Jus Romanum viduis, pupillis, ceterisque miserabilibus personis Privilegium attribuit, ut extra provinciam, in qua domicilium habent, etiam per rescriptum Principis in

jus vocari non possint; contra vero ipsis licet primo ipse judicio adversarios trahere ad tribunal Principis (1). Quo beneficio fruuntur et virgines, quae non habent patrem; a quo defendi possint, et mulieres; quibus inutilis est maritus, et homines senectute confecti, diuturnove morbo enervati, et exhausti, demum qui ob fortunae injuriam naturali commiseratione sunt digni; non tamen viduae luxuriose viventes, et meretrices, nec qui privilegium rejecerunt, nec qui adversus simili privilegio gaudentes judicium exercent (2).

(1) *L. unic. Cod. quando Imperator.*
(2) Consule Hilligerum *ad Donellum de jur. civil. lib.* 17. *cap.* 20. *tom.* 4. *not.* 2. *col.* 1324 *edit. Lucae*, et vide etiam librum nostrum *de notissimis in jure legibus pag.* 27. *seqq. edit. Romae* 1765.

§. XXVIII. Jure Decretalium Monachi, Regulares (1), Ecclesiae multae, et multa item Capitula Canonicorum Sedis Apostolicae privilegiis vel omnino, vel ex parte ab Episcoporum jurisdictione subtracta sunt. Itaque horum causae aut a Sede Apostolica, aut ab eo judice, cui sunt addictae, cognoscuntur. Nec praetereunda peculiaria quorumdam privilegia; qualia sunt illa concessa certis corporibus, atque collegiis, pluribusque gymnasiis, et academiis quibus qui addicti sunt, hi proprium habent judicem, ad quem tantum vocantur (2).

(1) Videsis Fagnanum *in Cap. cum dilectus* 8. *de Relig. domib, num,* 17., *et in Cap. tuarum de privileg. num.* 18., ubi etiam describitur celebris Sixti IV. constitutio, quam *Mare magnum* appellant. Ceterum de Regularium exemptione late disserui *in Instit. lib.* 2. *tit.* 10 §. 3. *pag.* 264. *et in not, pag.* 365. *seqq, edit. Romae an.* 1792. Sed praeter auctores eo loco indicatos vide etiam Gagliardum *Instit.* Gagliardum *Instit. Canonic. lib.* 3. *tit.* 12. §. 19. *seqq.*, ubi habes antiqua monumenta complurima exemptionum, quae a Natali Alexandro, Ughellio, Mabillonio, Muratorio, aliisque viris doctis collecta sunt. Non multis abhinc annis de Regularium exemptione graviter, lateque disseruit Emanuel Ituringa Auctor epistolae editae Assisii an. 1785. *Su l'esenzione de' Regolari dalla giurisdizione de' Vescovi, e su le cause matrimoniali.*
(2) De hoc privilegio, quo Academiae fruuntur, copiose disputat Scipio Gentilis *de jurisd. lib.* 3. *cap,* 17. *opp, tom.* 3. *pag,* 276, *edit. Neapol.* 1764

§. XXIX. Etiam praeventio facit, ut quis certo judici subjiciatur, quia coram eo finienda lis est, apud quem initium habuit. Itaque si quis plures habet competentes judices, ubi est emissa citatio, ibi agendum est judicium, et qui cau-

sam agere caepit, cum erat competens, is et eam finire debet, quamquam postea competens esse desierit. Nam per citationem, quam reus veniens ad Judicem ad quem vocatus est, ratam habuisse censetur, hujus jurisdictio perpetuatur, ideoque ab eo res tota expedienda est (1), nisi litigantes ire ad alium judicem mutuo consensu voluerint (2).

(1) *L. ubi acceptum* 30. *ff. de judic.*
(2) *L. dies* 4. *§. hoc autem* 8. *ff. de damn. infect.*

§. XXX. Propter continentiam causae qui Judex in aliquo negocio constitutus est, is et connexam causam cognoscit (1) tum quod ad eam judicandam magis instructus, et paratus habetur, tum ut levius sit onus impensarum, tum denique ne qua inter plures judices oriatur dissensio, et pugna sententiarum. Sunt autem connexae causae vel ob personas, quae judicio conveniuntur, ut si lis sit inter plures coheredes, socios, tutores; vel ob rem, de qua quaeritur, cum plures de eadem re quaestiones in judicium deducuntur, puta de ejusdem possessione, et proprietate; vel ob quaestionem praejudicialem in judicium incidentem, veluti si de haereditatis petitione instituto judicio incidat quaestio status, num scilicet qui illam petit filius, an ex matrimonio, aut ex concubinatu procreatus sit; vel ob reconventionem, cum reus ab actore conventus eum reconvenit; vel ob actionem generalem, quo modo res, causaeque diversae inter se nexae, et jugatae dicuntur, quae sub una eademque tutelae, vel negotiorum gestorum, aut haereditatis petitione continentur. Jam de his omnibus tenenda est regula, quam proposuimus, quod judex, qui unam causam cognoscit, is et cognoscit ceteras, quae eidem connexae, et conjunctae sunt. Hinc Decretales foro ecclesiastico adscribunt causas de dote, deque alimentis praestandis, quae matrimonialibus incidunt (2).

(1) *Cap. causa* 9. *de in integr. restit.*, *Cap susceptis* 1. *de caus. posess. et propr.*, *Cap. ad hoc* 1. *de sequestr. possess., et fruct.*, *L. cum ex pluribus* 2. *ff. de quib. reb. ad eund. jud. eat.*, *L. omnes* 5. *Cod. arbitr. tutel.*, *L. adite* 1. *et seq Cod. de ordin. judic. L. cum et ipse* 1. *Cod. de ordin. cognit.*, *L. nulli* 10. *Cod. de judic.*
(2) *Cap.* 3. *de donat. int. vir. et uxor.*

§. XXXI. Jactactio, seu diffamatio illos spectat, quorum laceratur fama, et existimatio alicujus malevolentia, et obtrectatione. Jus civile dat locum huic judicio, quod diffamationis dicitur, cum quis ingenuus ab aliquo irritatur, et lacessitur, quod ingenuus non sit. Hic nimirum in jus vocat irritantem, seu diffamantem, ut intra temporis spatium a judice constitutum id, quod jactat, perspicuum faciat, aut cum id praestare nequeat, tacere in posterum jussu judicis, seque ab omni jactatione abstinere cogatur (1). Sed juris peritorum sententia hoc idem judicium non tantum ad eos pertinet, qui probris, maledictisque vexantur adversus statum, conditionem, natalia; sed etiam ad eos, quibus infertur injuria stupri, adulterii, furti, aut gravioris cujusque criminis. Hi omnes in hoc judicio rei partes sustinent, et ideo diffamantem, qui actor habetur (2), vocant ad suum judicem, a quo res tota expedienda est.

(1) *L. diffamari* 5. *Cod. de ingen. manum.*
(2) Confer librum meum *de notissimis in jure legibus pag.* 54. *edit. cit.*

§. XXXII. Affine huic remedio, quod a lege conceditur, ut integra sit proborum virorum fama, atque existimatio, alterum remedium est, quod et legis beneficio datur iis, qui se de aliquo negocio ab alio litem movendam timent. Hi nimirum ire possunt ad proprium judicem, ejusque nobile officium implorantes petere, ut adversarius citetur, eoque praesente declaretur, se illius debitorem non esse, vel sibi praesto esse exceptionem, eique propterea ea de re perpetuum silentium imponatur (1). Hinc tutor, qui redditis rationibus quidquid debebat pupillo solvit, et qui rem justa praescriptione acquisivit, his de causis molestiam, ac litem metuant, in jus vocant adversarios, ut judicio victi in posterum omnem faciant molestiarum, atque injuriarum modum. In hoc judicio satis est molestiae, ac vexationis metus, et periculum; contra vero primum illud judicium fieri nequit, nisi ei diffamatio antecesserit.

(1) *L. si contendat* 28. *ff. de fidejus.*; quae lex tantum pro fidejussoribus lata est, sed Jurisperitorum interpretatione, ac sententia traducta est ad omnes, quibus consimilis causa, et ratio est.

§. XXXIII. Consensu, studioque litigantium profertur, sive prorogatur jurisdictio, cum alius judex, quam qui proprius est, illorum consensu proprius, et competens efficitur (1). Licet jure Romano litigantibus in alienum judicem consentire, dummodo hic jurisdictionem habeat (2); nam quae in privatis viris nulla est, jurisdictio prorogari non potest (3). Clerici tantum, cum sui Episcopi consensu in alienum judicem ecclesiasticum recte consentiunt (4), in laicum vero consentire nulla ratione possunt (5). Omnes, qui standi in judicio personam habent, neque speciatim prohibentur, jurisdictionem prorogare possunt; sed hanc libertatem minime largiuntur causae feudales, quae inter duos vassallos aguntur, quoniam in his dominus directus competens est judex, causae supremo Principi reservatae, causae appellationis, criminales, spirituales, quae a proprio ecclesiastico judice, nec, nisi hujus venia, ab alieno cognoscendae sunt (6).

(1) *L. 1. Cod. de jurisdict.* Verum si antequam adiretur alienus judex, mutata voluntas fuerit, procul dubio nemo compellitur huic conventioni stare, inquit Africanus *L. 18. ff. de jurisd.*
(2) *L. 1. et 2. ff. de judic.*
(3) *L. 3. Cod. de jurisdict.*
(4) *Cap. 18. de for. competen.*
(5) *Cap. 12. eod. tit.*
(6) *Cap. nullus 3. de paroch. et alien. Paroch.*

§. XXXIV. De foro judicis delegati nihil hic addendum credimus, quoniam hanc tractationem occupavimus *lib. 1. tit. 29. tom. 2. pag.* 260.: de foro autem reconventionis opportunius agemus in titulo *de mutuis petitionibus.*

# DE LIBELLI OBLATIONE

## TITULUS III.

I. Libellus.
II. et III. Conventionalis vel accusatorius est. Qualis uterque esse debeat?
IV. Quid in accusatorio, quid in conventionali libello exprimendum sit?
V. Plures libello actiones comprehendi possunt.
VI. In omnibus ordinariis judiciis necessarius libellus.
VII. Emendatur, et mutatur libellus.
VIII. Reus in jus vocatur.
IX. Probationes in actis exhibendae.
X. ad XII. Citatio, ejusque necessitas, et divisiones.
XIII. ad XVI. Quid in citatione observandum?
XVII. Citatio reo exhibenda.
XVIII. et XX. Effectus citationis.

Decretum *Can. 6. d. 81., et 2. q. 8. et Tit. ff., et Cod. de eden.*

§. I.

Postquam de competente judice, ac foro deliberavit actor, *in judicio postulationem deponit* (1), hoc est penes acta deponit libellum, quo actio continetur (2). Actio est jus persequendi in judicio, quod nobis debetur (3); brevis scriptura, qua haec actio, et actoris petitio clare, et distincte proponitur, libellus appellatur (4). Reo post oblatum libellum viginti dierum induciae conceduntur, ut rem totam sedulo expendat, et cogitet, satius ne sit judicium suscipere, an actori cedere, parere ne judici, an eum recusare (5).

(1) Sic loquitur Honorius *L. 3. Cod. de praescript.* 30 *an.* et Justinianus *L. ult. Cod. eod.*

(2) *Novell.* 53. *cap.* 3.

(3) *L.* 50. *ff. de act.*, *et princip. Instit. de act.*

(4) Plures libellorum species enumerat Brissonius *de verb. signif. verb. libellus.* De S. Cyrillo Hierosolymitano Episcopo narrat Socrates *Histor.*, *lib.* 2. *cap.* 40. *pag.* 133. *edit. Valesii Taurini* 1747., eum libello provocasse; praeterea Sylvanum Troadis Episcopum supplicantium libellos accepisse, eisque judicem dedisse, scribit idem Socrates *lib.* 7. *cap.* 37. *pag.* 326. Ex quo intelligimus, ea jam aetate in ecclesiasticis judiciis adhibitas fuisse solemnitates, quae in civilibus adhibebantur.

§. II. Libellus vel conventionalis, vel accusatorius est. Conventionali utimur in civilibus judiciis, accusatorio in criminalibus, cum reum criminis penes judicem accusamus. Clarus esse debet libellus, non obscurus (1), non incertus, non pugnantia continens, non alternativus, non ineptus, qualis est, ex quo non concluditur jus agendi, ac ne interpretatione quidem concludi potest. Obscuro, et incerto libello reus respondere non cogitur, sed tamen actori declaratio permittitur, ut patefacta, et explicata re obscura, atque incerta, cuncta in aperto sint. Alternativus libellus, qui incertam efficit petitionem, generatim rejicitur (2); verum probatur in actione hypothecaria, veluti si actor petat vel traditionem rei obligatae, vel debiti solutionem (3); in judicio rescindendae venditionis (4), in quo venditor vel rei postulat restitutionem, vel justi pretii complementum (5); in judicio restitutionis adversus contractum, testamentum, sententiam, in quo actor petit, ut vel ea nulla, et irrita judicentur, vel si firma, rata habeantur, ipse in integrum restituatur; cum res, quae debetur, deterior facta est ob moram debitoris, quia tunc vel pro re debita, vel pro ejus aestimatione judicium agitur; quod fit similiter, cum incertum est, num res debita adhuc extet; denique cum alienum factum, praesertim adversarii, rem incertam facit, veluti cum minime constat, utrum quis pro legato, aut pro herede, aut pro possessore possideat (6). Libellus omnino ineptus, et omnem respuens interpretationem esse nequit fundamentum aptum, et idoneum, quo judicis sententia nitatur; verum potest ipse judex mandare, ut alius vitii expers libellus ab actore offeratur.

(1) *Cap. 2. de libell. oblat.*
(2) *L. Praetor. 7. §. quod autem 4. ff. de injur.*
(3) *L. si fundus 16. ff. de pignor., L. si creditor 2. ff. quib. mod. pign. vel hypot.*
(4) *L. rem majoris 2. Cod. de rescind. vendit.*
(5) *Cap. cum dilecti 3. de empt. et vendit.*
(6) *L. hoc interdictum 1. §. quia autem 4. ff. quod legator.*

§. III. Antiquo jure Romanorum certae, ac solemnes erant praescriptae formulae, cum quibus actio institui debebat, et eas actor a Praetore impetrabat. Sed postea sublatis ambagibus, et subtilitatibus formularum (1), placuit libello expri-

mere genus, speciem, et nomen actionis, quae in judicium deducitur (2). Verum Decretales de exprimendo nomine actionis, qua quis usurus est, non admodum laborant; modo res ipsa ita clare, apteque proponatur, ut ex ea jus petentis manifestum fiat (3).

(1) *L. 1. et 2. ff. de formul. et impetr. act. sublat.*

(2) *L. non videtur 33. ff. de judic., L. qua quisque 1. in princip. ff. de eden., L. edita 3. Cod. eod., L. ult. Cod. de interdict.* Consule Cujacium *in Cap. 6. de judic. opp. tom 6. col. 763. seq. edit. Mutin., seu Venet.* 1778.

(3) *Cap. dilecti 6. de judic.* Consentiunt etiam leges civiles in *L. tutor. 70. ff. de fidejus. et mandat., in L. certum est 6. ff. de reb. credit., L. si filius familias 3. Cod. ad S. C. Macedon.* Vide Donnellum *de jur. civil. lib. 23. cap. 4. §. ult. col.* 64. ibique Hilligerum *in not. opp. tom. 6. edit. Lucae cit.*

§. IV. Accusatorius libellus complecti debet nomen accusatoris, rei accusati, et judicis, praeterea tempus, locumque criminis (1). Conventionalis autem contineat oportet nomen actoris, rei, judicis, rem petitam, et petendi causam. Cum agitur actione in rem, satis est exprimere causam actionis proximam, puta dominium, sed cum mota est in personam actio, exprimi debet tum proxima, hoc est obligatio, tum remota, hoc est titulus, ex quo obligatio nata est (2).

(1) *L. libellorum 3. de accusat.*

(2) *Cap. ult. de libell. oblation.* Consule Donellum *loc. cit. §. 3. ibique* Hilligerum *in not. col. 57. seq.*

§. V. Plures generatim uno libello cumulari actiones possunt; speciatim vero non possunt, quae inter se pugnantes, et contrariae sunt, quae ex una, eademque causa procedunt; eodemque spectant; quoniam una proposita, altera consumitur, neque licet aliquid ex eadem causa bis exigere; itemque actiones, quarum una vel altera praejudicialis est, quaeque ita sunt comparatae, ut una proposita, ac finita per condemnationem, et executionem, altera evanescat. Sic actio mixta tollit rei persecutionem, si cum ea concurrat, ne bis idem exigatur; contra instituta praecipue actione criminali, incidenter cumulari potest actio civilis pro restituendis impensis, ac re ablata, quia non idem est actionis utriusque finis. Cum

plures uno libello propositae actiones sunt, reus singulis respondere debet, et a judice secundum cujusque actionis naturam totidem sententiae emittendae sunt.

§. VI. In omnibus ordinariis, et plenariis judiciis necessarius est libellus, et vero ita necessarius, ut, neque mutuo litigantium consensu omitti possit, neque, eo omisso, judicium valeat (1). Sed eum scripto tradere nihil attinet in judiciis summariis, quaeque brevius, et celerius expedienda sunt (2); nam in his satis est verbo proponere petitionem, eamque in actis describere. Similiter necessaria non est libelli solemnitas in re nota, ac manifesta omnibus (3); in causis appellationum, cum jam primo judicio datus est libellus, et cum iisdem actis fit judicii progressus; in causis, quae coram Supremo Principe aguntur; in quibus ejus praesentia cujusvis solemnitatis loco est (4); cum judex, et magistratus motu proprio, et ex officio procedit; cum duo rem possidere contendentes, neuter vult dare libellum, ne alterum in possessione versari fateatur, quia tunc officio judicis res a probationibus inchoanda est (5); quando lis movetur de causa per sententiam, vel transactionem finita, in qua si alteruter litigantium novum aliquid fieri, vel immutari petierit, non offertur libellus, sed tantum judicis officium imploratur (6); denique si statuto, vel consuetudine receptum sit, ut cuncta in judicio viva voce petantur, et proponantur. Sunt et aliae causae, in quibus libellum offerre non est necesse, quasque explicant qui hoc argumenti genus scriptis illustrarunt (7).

(1) *Cap. ignarus* 1. *ibique Glossa verb. libellum hoc tit.*

(2) *Clem. saepe* 2. *vers. veram de verb. signific.*, *Auth. nisi breves Cod. de sent. ex brevic. recit.*

(3) *Can. manifesta* 15. *et seq. caus.* 2. *q.* 1., *Cap. ad nostram* 21. *de jurejur.*, *Cap. evidentia* 9. *de accusat.*

(4) Argum. *L. omnium* 19. *Cod. de testam.*

(5) *Cap. cum dilectus* 2. *de ordin. cognit.*

(6) *L. terminato* 3. *Cod. de fruct. et lit. expen.*, *L. si quis* 11. *in fin. Cod. de rebl credit.*, ubi aditur *ratio ne repetita lite*, *finis negotii alterius causae fiat exordium.*

(7) Confer Durandum *in specul. tit. de libell. concept.* §. *nunc* 9. *per totum.*

**§. VII.** Emendatur interdum libellus, interdum etiam mutatur; cum videlicet, antea mota actione retenta, aliquid adjici-

tur, aut detrahitur, vel cum, prima actione repudiata, nova instituitur. Ita qui pro decem, quae sibi ex causa mutui deberi dixit, ex eadem illa causa petit viginti, aut quod obscurum erat, clarius explicat, libellum emendat; mutat autem qui fundum, quem ex testamento petierat, deinde ex stipulatu petit. Utrumque fieri potest etiam post litem contestatam (1); sed qui contestata lite actionem mutat, prioris judicii expensas solvere debet, et novum dare libellum, novasque ad deliberandum inducias reo.

(1) Confer Douellum *de jur. civil. lib.* 23. *cap.* 5., *et ad tit. Instit. de action.* §. 37. *opp. tom.* 6. *col.* 65. *et seq.*, *et col.* 839. *et seq. edit. Lucae cit.*, et Voetum *in Pandect. lib.* 2. *tit.* 13. §. 9. *et seq.*

§. VIII. Cum judex sibi oblatum libellum idoneum, in eoque expressam causam justam esse deprehendit, fit progressus ad causae disceptationem. Reus itaque in jus vocatur; ad eum scilicet, qui jus dicturus est ea de re, de qua quaeritur (1). Nullus olim ritus fuit hujus vocationis; sed licebat privato privatum, cum quo in jure agere vellet per se, et sua auctoritate in jus vocare, et quidem ita, ut vocatus, nisi vadimonium promitteret, hoc est nisi satisdaret judicio sisti, etiam invitus in jus rapi posset (2). Sed postea haec agendi methodus sublata est, sive quod absurdum videretur, rem tantam privati arbitrio permittere, sive quod melius aequius videretur, hoc negocium transigere auctoritate ejus, qui juri dicundo praeest (3).

(1) Paulus in *L.* 1. *ff. de in jus vocan.* ita rem explicat, ut sit in jus vocare juris experiundi causa vocare. Non enim quis vocatur in jus, nisi ut de suo jure experiatur apud eum, apud quem id facere jus est, scilicet apud eum jure, judicioque agat. :a de re, quam in judicium vocat, Id enim significant Jurisconsulti, cum dicunt de jure suo, aut de re aliqua experiri, ut *L.* 1. *ff. ex quib. caus. majores*, *L.* 1. *ff. quand. de p.c, act, annalis sit*, vel jus experiri, ut *in L.* 1. *ff. de in jus vocan.*, vel absolute experiri, ut in *L* 1. *ff. de divers. et tempi praescript.*, *et in L.* 1. *ff. quae in fraud. credit.*, hoc est rem tentare, et sui juris periculum facere.

(2) Consule Duarenum *l.* 1. *disp.* c. 1. adversus eos, qui vocati in jus venire recusarent, vim adhiberi, ipsosque invitos injecta manu, obtortoque collo in jus rapi consuevisse certum est, idque late ostendunt Goveanus 1. *Var. lect. ult.* Raevardus *ad LL.* 12. *Tabular. cap.* 5. et *ad L.* 108. *de divers. regul. jur opp. tom* 1. *pag.* 7 *et* 167. *edit. Neapol* 1779, , Cujacius *Observ. lib.* 10. *cap.* 10. *opp. tom.* 3. *col.* 240. *et seq. edit. cit.* Heineccius *antiq. lib.* 4. *tit.* 6. §. 14. *et seq. tom.* 3. *pag.* 429. *edit. Neapol.* 1769, aliique complures.

(3) Ulpiani, et Pauli aetate jam illam obtinuisse consuetudinem, ut nemo sine Magistratus auctoritate in jus vocaretur, ostendit Donellus *de jur. civil. lib. 23. cap. 2. §. 6. opp. tom. 6. col. 24. et seq. edit. Lucae.* Vide etiam Hilligerum *in not. ad eumd. loc.*

§. IX. Nunc ipsa libelli oblatio in jus vocatio dici potest; sed quoniam libellus aptus non est ad inducendam litis contestationem, ac tantum continet actoris petitionem, non item probationes, quibus eadem petitio nititur, hae sunt in actis post oblatum libellum exhibendae, quibus exhibitis reus in judicium vocatur, ut respondere possit, atque ita litis contestatio inducatur. Id vero fit per citationem, quae judicialis est actus, per quem reus, actore rogante, judicis auctoritate litis exercendae causa in jus vocatur. Proprie haec citatio in jus vocatio est, et utraque saepe confunditur, quamquam citatio latius pateat, quippe quae in qualibet judicii parte adhibetur, quoniam singuli judiciarii actus litigantibus nunciantur; verum in jus vocatio tantum pertinet ad primam citationem, unde judicium exorditur (1). Veteri jure Romano in jus vocatio, et citatio in eo praesertim differebant; quod illa privata auctoritate, haec vero mandato judicis per praeconem, et interdum etiam per edictum fiebat; nec tantum reus, sed etiam actor, patroni, et testes in judicium citabantur.

(1) Confer Vinnium *commentar. ad Instit. lib. 4. tit. 16. §. 5. num. 5.* et Brissonium *de verb. signific. verb. citare.*

§. X. Omnium judiciorum initium a citatione capiendum est, eaque omissa nihil agitur; et hinc ejus defectum pragmatici *insanabilem* appellant, quoniam sanari non potest judicium, quod sine citatione actum est (1). Vetat enim omnis et naturalis, et scripti juris ratio damnari aliquem, qui auditus, ac defensus non sit. Est autem citatio vel juris, vel hominis; illa ab ipso jure procedit, cum scilicet lex certum constituit terminum, intra quem debet quis judicio se sistere; altera adhibetur, cum quis mandato judicis in jus vocatur. Utraque dividitur in generalem, et specialem. Per illam vocatur in jus quicumque sua interesse putaverit; per specialem vero certa persona. Alia item est citatio realis, quae fit in reum publica auctoritate manibus, vel verbalis,

quae procedit ab imperio judicis, cujus jussu, verbis, vel literis quis in judicium vocatur. In civilibus judiciis verbali citatione plerunque utimur; nam in iis citatio realis ante sententiam non emittitur, nisi reus sit valde contumax, ita ut despecta verbali citatione in judicium venire noluerit, vel sine causa deseruererit susceptum, vel nisi sit fugitivus, aut de fuga suspectus in negocio aeris alieni, et nisi primum res cognita. et explorata sit.

§. XI. Verbalis citatio vel est privata, vel publica. Privata est quando quis privatim ad faciem, vel si ejus copia haberi nequit, ad domum citatur; publica, quae publice per proclama, seu vocem praeconis, vel per tubam, aut campanam, vel per edictum palam in publicis locis positum fieri solet. Citatio haec, quae per edictum expeditur, edictalis dicitur, eaque tantum permittitur judicibus ordinariis, et delegatis Principis, reliqui vero delegati, et pedanei per nuncium citari debent. Neque ei locus est, nisi, cum aliquis alio modo citari non potest, quod incertus est, aut minime tutus locus, in quo ipse commoratur, aut incerti singuli, qui in judicium venire deberent; quia tunc per edictum vocantur generatim omnes, quorum interest, uti fit in adeunda hereditate, quae pluribus obnoxia existimatur creditoribus. Edictum affigitur in locis publicis, in quibus cetera hujusmodi affigi solent, ibique retinendum est aliquo temporis spatio, ut ab omnibus legi, noscique possit.

§. XII. Denique verbalis citatio alia simplex, alia peremptoria est. Simplex continet praeceptum merum, ut reus in judicium veniat; sed ipse contumax non efficitur, nisi eadem citatio post tres terminos certis dierum intervallis praefinitos tertio repetatur (1). Quae intervalla jure veteri decem dies singula continebant (2), jure Novellarum ampliata sunt ad dies triginta (3); sed jure Decretalium arbitrio judicis pro temporum, ac locorum ratione constituuntur (4). Peremptoria citatio instar est omnium simul simplicium, atque ita rem perimit, ut si reus praestituta die in judicium non venerit, etiamsi nulla alia citatio simplex praecesserit, contumax habeatur. Nam peremptorium praecidit, et abscindit omnes adversarii tergiversationes, eoque comminatur judex, sese cogniturum, et expediturum causam, etiam absente illo, qui

sese judici sistere recusat (5). Edictum peremptorium jure civili emittitur post tres simplices citationes, interdum post duas, interdum etiam statim, quod vocatur *unum pro omnibus*; pendetque ab arbitrio judicis pro conditione causae, vel personae, vel temporis ordinem edictorum (6), et compendium moderari (7).

(1) Trium tantum edictorum mentio est in *L.* 53. *ff. de re judic.* et apud Paulum *recept. sentent. lib* 5. *tit.* 5. *num.* 7., ac trium item denunciationum, aut literarum in *L.* 8. *Cod. quomod. et quand. Judex senten.* Quare mirum est, Ulpianum in *L.* 70. *ff. de judic.* tradere, post tertium demum edictum peremptorium emitti. Gerardus Noodtius *observ. lib.* 1. *cap.* 8. ita illum Ulpiani locum legendum putat: *quibus propositis et tertium tunc peremptorium impetret.* Ego in ejus sententiam facile descendo, neque de ea dimoveor illis ejusdem Ulpiani verbis, quibus dimotus est Antonius Schultingius *in Paulum receptar. sententiae. lib.* 5. *tit.* 5. *not.* 32. *Jurisprud. vet. ante-justinian. pagin.* 450. *edition. cit.* Sunt autem verba Ulpiani in *L.* 72. *ff. de judic.* omnino haec: » nonnumquam hoc edictum » post tot numero edicta, quae praecesserint, datur, nonnumquam post unum, vel alterum, nonnumquam statim, quod appellatur unum pro omnibus. » Hic quidem Ulpianus etiam post tria edicta denique peremptorium dari statuit; sed loquitur non de ordinaria, et usitata edictorum methodo, quae tribus tantum edictis constat, et quam respicit *L.* 70., verum agit de arbitrio judicis, quod extra ordinem est. Nam, ut ipse inquit Ulpianus, totum hoc negocium » aestimare oportet eum, qui jus dixit, et » pro conditione causae, vel personae, vel temporis ita ordinem edictorum, » et compendium moderari. Hinc judici pro suo arbitrio licet tria dare edicta, antequam peremptorium emittat. Itaque Ulpianus in *L.* 70. ordinariam, et usitatam constituit edictorum methodum; in *L.* 72. exceptionem ponit, ut judex possit ab hac methodo discedere suo arbitratu, ac non tertio, sed quarto loco peremptorium dare.

(2) *L.* 69. *ff. de judic.*

(3) *Novell.* 112. *cap.* 3.

(4) *Cap.* 7. *de dol. et contumac.*, *Clem.* 1. *de judic.* Quae de tribus edictis, aut de uno pro omnibus dato a jure civili sancita sunt, eadem videtur constituisse Innocentius III. in *cap.* 24. *de offic. et potest. delegat.* Sed et ante Innocentium III. Parisiense Concilium apud Gratianum *can.* 6. *caus.* 24. *q.* 3. Romanam legem de tribus edictis, aut uno pro tribus approbavit.

(5) *L. tertium* 70., *et L. nonnumquam* 72. *ff. de judic.*, *Cap.* 6. *de dol. et contumac.*

(6) Edicta haec interdum etiam *contestationes*, ab Aniano autem *in Paul. recept. sentent. lib.* 5. *tit.* 5. §. 7. apud Schultingium *Jurispr. vet. ante justinian. pag.* 450. *edit. Lipsiae cit.*, et *in can.* 6. *caus.* 24. *q.* 3. *Anctoritates* appellantur. Proprie a Latinis *denunciationes* dicuntur, sed corruptae Latinitatis scriptores *auctoritates* vocant; cujus rei exempla sunt apud Du-Cangium *Glossar. med. et infim. Latinit. verb. auctoritas.*

(7) *L.* 72. *ff. de judic.*

§. XIII. In citatione observanda sunt haec. Scilicet exprimendum est nomen actoris, quo instante citatio emittitur, quia tantum in causis publicis judex ex officio procedit (1); itemque nomen rei, ne quis in ancipiti persona decipiatur. Praeterea nomen exponendum est judicis, cujus mandato fit citatio, tum quod jure novo sine mandato judicis nemo in jus vocari potest, tum quod citatus scire debet, num proprius, et competens judex sit, ad quem venire debet. Et quoniam delegatus judex alienam jurisdictionem exercet, citationis decreto inserendum est exemplum literarum, quibus ei causa commissa est (2); ut qualis illi jurisdictio sit, reo compertum esse possit. Si manifestum est, judicem non esse competentem, reus ad eum ire non cogitur; si id manifesto non constet, reus omnino cogitur sistere se judici, cujus est aestimare, num sua sit jurisdictio (3).

(1) *Cap. 9. de accusat.*
(2) *Cap. 2. de dilat.* Quod forte primum jure canonico expresse constitutum est, sed tamen alienum non est a juris Romani sententia, *L. unic. Cod. de mandat. Princ.*, *L. 5. Cod. de jur. fisc. lib.* 10.
(3) *L. 2. ff. si quis in jus vocat. non ierit.*, *L. 5. ff. de judic.*

§. XIV. Designanda est etiam causa, propter quam reus in jus vocatur, ut is negocium meditetur suum, et paratus ad judicium veniat; posteaquam re cognita, et perspecta statuit impugnare actionem contra se institutam. Antiquo jure Romano postulatam, impetratamque a Praetore actionem reo edebat actor, cum ille in judicium venerat, atque ita vocationis causam cognoscebat (1). Sed antiquo vocationis jure sublato, sancitum est a Justiniano (2), ut in ipsa vocatione libellus conventionalis reo tradatur; atque ita in unum judicialem actum in jus vocatio, et actionis editio coaluerunt. Decretales de exprimenda vocationis causa, reoque simul offerendo libello parum solicitae sunt; sed jam fere ubique gentium moribus, usque fori receptum est, ut decreto ipso citationis causa significetur, vel simul reo libellus offeratur.

(1) Pluribus sane modis id fieri potuisse scribit Ulpianus in *L. 1. ff. de eden.* Confer Heineccium *Antiquit lib.* 4. *tit.* 6. §. 19. *opp. tom.* 3. *pag.* 432. *edit. Neapol.* 1766., Raevardum *lib. pro tribunal cap.* 4. *opp. tom.* 2. *pag.* 200. *edit. Neapol. cit.*, Cujacium *in Cod. lib.* 2. *tit.* 1. *opp. t.* 10. *col.* 828.

*edit. cit.* Donellum *in Cod. lib. 2. tit. 1. opp. tom. 7. col. 21. et seq. edit. cit.* ceteros interpretes *in tit. de eden.*

(2) *Novell. 53. cap. 4.*

§. XV, Neque omittendus est dies , et locus agendi judicii. Dies inquam notandus est, tum ut reus sciat, quando ipse sese judici sistere debeat , tum ut noscat , num in dicto die fieri judicium possit. Nam diebus feriatis , veluti die festo , aut vindemiarum, vel messis nemo in judicium venire compellitur , nisi tale negocium sit, ut nullam patiatur moram. Qui dies arbitrio boni viri a judice constituitur , habita ratione temporum, locorum , personarum. Nam iniquum est reum vocare ad id tempus, quo ipse sui copiam facere vel omnino non potest , vel nonnisi cum magno incommodo potest.

§. XVI. Locus praeterea denunciandus est , ut reus intelligat , num tuto ad eum venire possit. Praesertim vero si delegatus sit judex , certus in citatoris literis omnino indicandus est locus, quoniam illi nullus est firmus , certusque locus , ad quem reus sese conferre possit. Si ordinarius est judex , qui certo loco tribunal habet , nihil attinet hunc locum exprimere ; nisi ipse velit alio loco jus reddere , quam quo reddere consuevit (1). Nec tantum locus , in quo judicium agendum est, sed et locus , per quem necessario fit transitus, monstrandus est reo (2) ; adeo ut si manifestum sit , locum non esse tutum , nulla sit citatio ipso jure (3), si non ita sit manifestum , valeat quidem citatio , sed reus demonstrare debeat , eum sibi locum tutum non esse (4). Denique citatio complecti debet justum , et idoneum terminum , intra quem citatus commode in judicium venire possit.

(1) *L. 59. ff. de judic.*

(2) *Clement. 2. de senten. et re judic.*, *Cap. 4. ut lite non contest.*, quem in locum videndus Emanuel Gonzalez.

(3) *Clement. 2. cit.* , *Cap. ex parte 47, de appellat.* , *L. si locus 56, ff. de judic.*

(4) *Cap. 7. §. 3. de senten. excommunic. in 6.* At enim reus per procuratorem respondere potest , cum tutus non est judicii locus. Est hoc sane verum ; sed reo justa executio ob hanc ipsam causam est , quod per se seipsum respondere non potest.

§. XVII. Reo significanda , et exhibenda citatio est per apparitorem , sive publicum nuntium ; idque fit vel denunciatio-

ne, vel literis, vel edictis (1). Denunciationes per officia, et exequutores fiunt, literae ad reum mittuntur; edicta publico loco affiguntur, ubi recte legi possint (2). Nuntius reo denunciare decretum citationis debet (3), praesenti in faciem, absenti, suique copiam non facienti ad domum, in qua ipse habitat, et si plures habuerit domos, ubi frequentius commoratur, aut commorari debet. Quod si reus absit, neque resciri possit, quo in loco versetur, edicto publico loco affixo evocandus est, ut ita reus absens per propinquos, aut amicos, quibus edictum patet, admoneatur.

(1) Tria haec discriminat Paulus *Recept. sentent. lib.* 5. *tit.* 5. §. 7. apud Schultingium *loc. cit. pag.* 450.
(2) Vide Cujacium in illum Pauli locum *not.* 32.
(3) *L.* 13. §. 1. *ff. de excusat. tut.* Confer etiam Cujacium *Observat. lib.* 7. *cap.* 15. *opp. tom.* 3. *col.* 161., *et* 162. *edit. cit.*, ubi multas habes de denunciatione ad domum.

§. XVIII. Verum cum certus est locus, in quo reus versatur, sed tamen jacet in alieno territorio (1), ubi nequit exerceri jurisdictio, vel ab ipso actore ad eum nuntius mittitur, qui citando futuram litem insinuet, vel ejus loci judex rogatur, ut citationem aut per suos ministros exequatur, aut per alienos exequi permittat, aut in finitimis locis palam edictum proponitur. Facta vero citatione nuntius id in acta referre debet, et vero expressis omnibus, quae scire opus est, nimirum die, loco, modo factae citationis, ceteris adjunctis, atque ejus relationi creditur propter publicam, quam habet, fidem.

(1) *L. ult. ff. de jurisd. omn. judic.*

§. XIX. Multa sunt, quae ex rite, recteque facta citatione efficiuntur. Scilicet citatus ad veniendum in judicium cogitur, fitque non veniens reus contumaciae, nisi justa se excusatione tueatur (1); lis inducitur, qua pendente nihil innovari potest (2); litigiosa fit res, de qua disceptatur actione reali, adeo ut lite pendente alienari nequeat (3); rumpitur praescriptio (4); perpetuatur judicis delegati jurisdictio, adeo ut ex delegantis obitu non extinguatur (5); prorogatur jurisdictio

judicis, adeout etiamsi quis postquam citatus est, alieni fori esse caeperit, jus non habeat domum revocandi, sed ire debeat ad judicem, qui eum citavit (6); actori potestas adimitur adeundi alium judicem, cui postea subjectus evasit, (7); reus efficitur legitime contradicens, adeout ab actore amplius repelli nequeat. Pendet autem lis post citationem quoad hoc, ut nihil debeat innovari; nam alias nonnisi post contestationem lis pendet (8).

(1) *Cap. ex literis 2. de dol. et contumac.*, *L. ex quacumque 2. ff. si quis in jus vocat. non ierit.*

(2) *Clem. 2. ut lit. penden. nihil innovet.*

(3) *Clem. 2. cit.*, *Auth. litigiosa Cod. de litig.*

(4) *L. ult.*, *Cod. de annal. except.*, *L. 7. Cod. de praescript. 30. annor.*

(5) *Cap. 20. de offic.*, *et potest. delegat.*

(6) *L. si quis postquam 7. ff. de judic.*, *L. cum quaedam 19. ff. de jurisd.*

(7) *Cap. proposuisti 19. de for. compet.*, *L. si quis 5. ff. de judic.*

(8) *Cap. 30. de verb. signific.*, ibique Gonzalez, *et in Cap. unic. de lit. contest.*

§. XX. Cuncta haec efficit citatio, quae rata firma est, riteque, et recte expedita (1); sed cum nulla, et irrita est, impune despicitur, nisi posteriore facto vim, qua antea carebat, et robur acceperit. Quod fit vel cum Principis auctoritate citationis vitia tolluntur, vel cum citatus in judicium veniens citationem probat, vel cum Procuratore constituto, se tamquam citatum gerit, talemve se habendum esse declarat. Verum si non valet citatio, quia nulla est judicis jurisdictio, hoc sane vitium litigantium consensu neque tacito, neque expresso removetur.

(1) *Clem. causam. 3. de elect.*



# DE MUTUIS PETITIONIBUS

## TITULUS IV.

I. Quid mutua petitio.
II. Quomodo fiat ?
III. Et a quo ?
IV. Ejus finis.
V. Effectus.

*Lib. II. Tit. III. in* 6. Codex *lib.* 3. *tit.* 9., et sparsim *Tit. ff.*, *et Cod. de Judic.*

### §. I.

Solet saepe reus, cognito actoris libello, vicissim aliquid ab eodem petere, sive eum coram eodem judice, et judicio alia proposita actione reconvenire. Quod fit per mutuam petitionem, quae est mutua actio, seu reconventio (1), per quam reus a judice postulat, ut sibi jus suum ex actore reddatur. Ita si actor petat decem ex causa mutui, reus vicissim ex testamento petat alia decem, vel amplius, mutua petitio est.

(1) Mutua petitio actio est, non exceptio, ut quibusdam visum, qui tamen a *Cap.* 2. §. 2. *de ordin. cognit.* aperte refutantur.

§. II. Itaque reus, si quam habet actionem contra ipsum actorem, eum reconvenire potest, sive eadem, sive alia sit causa (1), aut in personam, aut in rem actio instituta sit (2); Id vero fit coram eodem judice, ad quem reus vocatus est, neque huic licet pendente judicio actorem trahere ad alium judicem, ne ipse ab instituta actione distrahatur (3), ac ne plures uno tempore causae sint judices (4). Verum si causa, in qua reus vult actorem reconvenire, ejus indolis, et naturae sit, ut a Judice coram quo mota lis est, nullo modo cognosci possit, puta si causa sit spiritualis, de qua laicum judicare nefas est, tunc potius natura ipsa causae,

quam reus hujusmodi judicem rejicit, ac recusat. Similiter si reus ad suspectum sibi judicem vocatus fuerit; potest ipse reus suspicionis causas afferre, intra viginti dies post datum libellum, iisque demonstratis coram alio judice utramque causam expendere.

(1) *Auth. consequenter Cod. de senten.*, *et interloq.*, *Cap.* 1. *de ordin. cognit.* Errat autem Antonius Faber *conject. lib.* 20. *cap.* 5. contendens, non licere reo actorem ex diversa causa reconvenire.

(2) Ab omnibus generatim rejecta est opinio Antonii Fabri *conject. lib.* 20. *cap.* 8., qui subtiliter more suo, sed minus vere demonstrare conatur, eum, cum quo actione in rem actum est, reconvenire non posse.

(3) *L. si idem* 11. §. *sed etsi* 1. *ff. de jurisd. Auth. consequenter cit.*

(4) *Cap. ult. de mutuis petit.*, *Cap. dispendia* 3. *de rescript. in* 6.

§. III. Cum datur mutuae petitioni locus, ea facienda est coram eodem judice, ad quem reus vocatus fuit, quemque actor, qui eum semel elegit, recusare non potest; et vero fit coram judice tam ordinario, quam delegato (1). Verum non permittitur coram arbitris, quorum est judicare de iis rebus, quae compromissi lege continentur (2). Qui agere in judicio nequeunt, ii et faciendae reconventionis carent facultate; quoniam reconvenire est agere, ideoque inutiliter reconvenit excommunicatus, propterea quod inutiliter agit (3). Uni reo proponere mutuam petitionem licet, actori non licet, ne longius producantur lites; quaeque in judicio conventionis data est agendi ratio, eadem etiam in reconventione servanda est. Non enim actoris, et rei dissimilis condictio esse debet (4).

(1) *Cap.* 3. *de rescript. in* 6. Id vero locum habet, si postulante reconvento datus fuerit delegatus *Cap.* 1. *de mutuis petition.*, quia hic demum obtinet ratio allata in *L.* 14. *Cod. de senten.*, *et interloq.* repetita *in can.* 1. *caus.* 3. *q.* 8 Si delegatus motu proprio fuerit constitutus, locus reconventioni non est, cum actor judicem illum non elegerit Confer Emmanuelem Gonzalez *in cit. Cap.* 1. *de mut. petit. num.* 10.

(2) *Cap.* 6. *de arbitris.*

(3) *Cap.* 5. *de except.*

(4) *Cap.* 2. *de mut. petition.*

§. IV. Mutuae petitionis finis est compensatio (1): ideoque in causis, in quibus haec non obtinet, frustra illa proponitur. Ex eo genere sunt causae criminales, in quibus agitur criminaliter (2), quoniam *innocentia*, *non relatione crimi-*

*num reus purgatur* (3), praejudiciales (4), depositi (5), spolii (6), in quibus spoliatus respondere non cogitur; nisi antea fuerit restitutus, causae momentaneae possessionis, quaeque expeditae sunt, celeremque exitum postulant, nisi ejusdem naturae sit reconventio (7), denique in negociis ecclesiasticis coram laico judice reconventio fieri non potest (8). Nec praetereundum, quod non permittitur reconventio reconventioni, ne hoc negocium de mutuis petitionibus pene infinitum evadat.

(1) Tertullianus *contr. Marcion. lib. 2. cap. 20. pag.* 392. *edit. Venet.* 1744. inquit, Hebraeos Egyptiis ab se vasa aurea, et argentea petentibus opposuisse mutuas petitiones ajentes, sibi etiam deberi mercedem pro labore, atque opera, quam impenderant in portandis lateribus, in civitatibus, ac villis aedificandis, quod postea *compensationem* rectissime appellat. Quae compensatio vel fit ipso jure, vel per exceptionem doli inducitur, vel per mutuam actionem. Nam mutua hac actione alia actio tollitur, et debitum compensatur, ut est in Capitularibus Caroli M. *lib. 7. cap.* 303. *col.* 730. *tom.* 1. *edit. Balutii Venet.* 1772. Ita per recautionem, ut inquit Augustinus *lib. de cur. pro mortuis cap.* 11. *opp. tom.* 6 *col.* 524. *edit. cit. cautio evacuatur*, hoc est dissolvitur; et ita per *evacuatoriam* quam memorat Marculphus *Formul. lib. 2. cap.* 27. *et* 35. apud Baluzium *Capitul. Reg. Francor. tom* 2 *col.* 289., *et* 291. *edit. cit.*; nimirum per syngrapham, qua creditor confitetur, suam sibi pecuniam fuisse solutam, *vacua*, et *inanis permanet* obligatio.

(2) *Can.* 1. 2. *et* 4. *caus.* 3. *q.* 1., *L.* 1., *et L.* 19. *Cod. de his qui accus.*

(3) *L.* 5. *ff. de publ. jud.*

(4) *Cap.* 1. *de ordin. cognit.*

(5) *Cap.* 2 *et ult. de deposit.*

(6) *Cap.* 1. *de restit. spoliat. in* 6.

(7) *Glossa in cap. ult. de ordin. cognit.*

(8) Vide Glossam in *can.* 1. *caus.* 3. *q.* 8. *verb. judicem, et in cap.* 4. *de judic. verbo non tenet.*

§. V. Duo parit mutua petitio, seu reconventio; primum est, quod jurisdictio prorogatur, adeout qui coram certo judice reconvenit, eumdem amplius recusare non possit (1); alterum, quod actio, et reconventio simul uno, eodemque judicio cognoscuntur (2). Sed ut haec duo efficiat, initio ipso litis proponenda est, antequam litigantes ad alios judiciales actus progrediantur (3). Nam si reconventio fiat in progressu, aut in exitu litis, prorogabit quidem jurisdictionem (4); sed non etiam faciet, ut eadem reconventio una cum actione eodem judicio expediatur.

(1) *Cap.* 1. *de mut. petition.*
(2) *Cap.* 1. *cit.*
(3) Reum *statim* mutuo agere debere, scriptum est in *Auth. et consequenter Cod. de senten. et interloq.*, et *in Clem.* 2. §. 1. *de verb. signific.* dicitur *in ipso litis exordio.* Neque aliud suadet *Cap.* 2. §. 1. *de rescript. in* 6., ubi verba *eodem durante judicio* ita sunt intelligenda, ut *apud eumdem judicem* reconventio fieri debeat, non autem ad reconventionis tempus referenda sunt.
(4) Videndus Remigius Maschat *Instit. Canon. lib.* 2. *tit.* 4. *num.* 6.



# DE LITIS CONTESTATIONE

## T I T U L U S V.

I. Quid litis contestatio ?
II. Quomodo fiebat antiquo jure ?
III. Litis contestatio in judicio necessaris.
IV. Ejus effectus.

Sextus *lib.* 2. *Tit.* 3., Codex *lib.* 3. *tit.* 9. , et sparsim *Tit. ff.*, et Cod. *de judic.*

§. I.

Omnis inchoandi judicii initium est in jus vocatio, inchoati litis contestatio (1); videlicet legitimus ille actus, per quem suam coram judice petitionem proponit actor, reus vero judicium suscipit, seque fortiter huic petitoni restiturum profitetur (2). Hic sane actoris, reique conflictus initium constituit litis, quam libellus, et citatio praeparaverant. Neque enim lis ulla est, cum reus non contradicit, lubensque affirmat, quod ab actore proponitur (3). Num jure civili ad contestandam litem actoris, ac rei praesentia, et voce opus sit, incertum, controversumque est ; sed jus canonicum tantum requirit petitionem in jure propositam, et responsionem sequutam, praeterea nihil (4).

(1) *Cap. super quaestionum* 27., ibique Glos. *verb. litis exordium de offic. Delegat.* Neque aliud statuit Imperator §. *ult. Inst. de poen. temer. litig.*, cum inquit : *Omnium instituendarum actionum principium ab ea parte Edicti proficiscitur , quando Praetor edicit de in jus vocando.* Citatio enim hoc loco dicitur *principium instituendarum actionum*, non vero proprii, ac veri judicii constituendi. Nam priusquam judicium constituatur, edi libellus, et reus citari debet, et ideo *L. edita* 3. *Cod. de eden.* dicitur, quod *edita actio* non ipsam litem constituat, sed *futurae litis speciem demonstret* : judicium enim proprie per contestationem suscipitur.

(2) *Cap. un. de litis contest.* Haec Gregorii IX. constitutio valde similis est constitutioni Severi, et Antonini, *L.* 1. *Cod. de lit. contest.* Nam in utraque quaeritur, quomodo, et quando litis contestatio rite, et ex ordine celebrata haberi posset, quoniam inductis positionibus, et responsio-

mibus litigantium, per eas litis contestatio facta videbatur, sicuti ante Severi, et Antonini constitutionem per editionem, vel per postulationem, et impetrationem actionis, lis contestata, et in Judicium deducta videri poterat.

(3) Itaque probari non potest, quae multis est probata, divisio contestationis litis in negativam, et affirmativam, uti ostendit Joannes Voetius *in Pandect. lib. 5. tit. 1. num.* 146. Confer etiam Vinnium *select. quaestion. lib. 1. cap.* 17.

(4) Videndus Gonzalez *in cap. un. num.* 8. *de lit. contest.*

§. II. Antiquo jure Romanorum lis contestata dicebatur, cum apud Praetorem per mutuam actoris, reique narrationem controversiae statu constituto, eamque datam Judici, litigantes judicium suscipiebant, ac testes, qui rei totius fidem facerent, vocabant his verbis: *testes estote* (1). Inde litis contestatio dicta est, quia scilicet testibus adhibitis res tota declarabatur(2). Jure novo quamquam testes non adhibeantur, tamen retentum est vocabulum contestationis ad designandam concertationem verborum inter litigantes, quorum alter petit, alter petitioni adversatur (3).

(1) Festus *lib.* 3. » Contestari, *inquit*, dicuntur duo, aut plures adversarii, quod ordinato judicio utraque pars dicere solet: testes estote, » *et alibi*: contestari est, cum uterque reus dicit: testes estote. » Consule Brissonium *de formulis lib.* 5. *formul* : 146. *pag.* 398. *edit. Halae* 1731., Heineccium *antiq. Rom. lib.* 4. *tit.* 6. *opp. tom.* 3. *pag.* 449. *edit. Neapol.* 1769., Cujacium *observ. lib.* 9. *cap.* 21. *opp. tom.* 3. *col.* 214. *edit. cit.*

(2) Veterem contestationis formam vel ante sublata formularum solemnia desiisse *ex L. unic. Cod. de lit. contest.* ostendit Vinnius *select. quaest. lib.* 1. *cap.* 17.

(3) Confer Wincklerum *dissert. de discrim. inter lit. contest. jur. vet. et hodier. et utriusque effectibus.*

§. III. Litis contestatio pertinet ad vim intimam, et naturam judicii, atque ab actore facienda est intra viginti post oblatum libellum dies, eaque omissa quidquid est gestum in judicio nihil valet (1). Poenae causa alterutrius litigantis contumacia contestationis loco est, quae etiam ficta contestatio dicitur (2); neque expressa, et solemnis contestatio requiritur in causis quibusdam, quales sunt summariae, causae appellationis, quae contra certam personam institutae non sunt, quae item sine libello expediuntur (3).

(1) *Cap. un. de lit. contest.*, *L.* 4. ibique Glossa *verb. solitum Cod. de senten.*, *et interloq.* Vide *Cap.* 20. *de jurejur.*, *Cap.* 4. *de procurat.*, *Cap.* 5. *ut lit. non contest.*

(2) Confer Voetum *ad Pandect. lib. 5. tit. 1. num. 145.*
(3) Videndus Voetus *loc. cit. num. 147.*

§. IV. Per litis contestationem inducitur mala fides (1); fit quasi contractus inter litigantes, itaut altero invito liceat nemini judicium deserere, sed uterque debeat praestare id, quod judicabitur (2), litigiosa efficitur res in judicium deducta, ita ut alienari nequeat (3); perpetuantur, atque ad heredes transmittuntur actiones tempore, vel morte perituræ (4); mandata jurisdictio fit perpetua (5); exceptiones dilatoriae excluduntur, ac judicis recusandi facultas adimitur (6), nisi postea causa suspicionis emerserit; denique inchoata usucapio, et praescriptio rumpitur (7).

(1) *L. 4. ff. fin. regund.*, *L. 1. Cod. de petit. hered.*, *L. 22. Cod. de rei vindic.*, *L. 10. Cod. de acquir. et retinen. possess.* Sed ante litem contestatam etiam motam controversiam ad inducendam malam fidem satis esse, scriptum est *in L. 28. §. si ante litem ff. de petit. hered.*

(2) *L. 3. §. idem scribit ff. de pecul.*

(3) *Auth. litigiosa Cod. de litigios.*. *L. 4. Cod. eod.*, *Cap. 3. et 4. ut lit. penden.*

(4) *L. 6. §. ult. ff. de re judic.*, *L. ult. ff. de fidejuss.*, *et nominat.*, *et hered. tut.*, *L. 57. ff. de action.*, *et obligat.*, *L. 88. ff. de regul. jur.*, *L. unic. Cod. ex delictis defunct. in quant. hered. tenean.*, *§. 2. Instit. de perpet.*, *et tempor. action.*

(5) *Cap. 19. de offic. delegat.*

(6) *L. ult. Cod. de except.*

(7) *L. 10. Cod. de praescript. long. tempor.* Verum sola conventione, etiam ante litem contestatam, praescriptionem rumpi sancitum est *L. ult. Cod. de annal. except.*, *L. 1. et 2. Cod. de praescript. long. tempor.*, *L. 3. 4. 7. Cod. de praescript. 30. vel. 40. annor.*



# UT LITE NON CONTESTATA
## NON PROCEDATUR AD TESTIUM RECEPTIONEM, VEL AD SENTENTIAM DEFINITIVAM.

## TITULUS VI.

I. Lite contestata judiciales actus expediuntur.

II. et III. Causae, in quibus recipiuntur testes lite non contestata.

§. I.

Lite contestata judiciales actus, qui pertinent ad cursum et progressum judicii, expediuntur, et hi quidem certo ordine, ac methodo faciendi sunt, ne qua rerum confusio, perturbatioque exoriatur. Litis contestatio, uti diximus, exordium est judicii, et ante hanc contestationem totum negocium, quod agitur, non lis, aut judicium, sed controversia censetur (1). Initium sequuntur cetera, quae agenda sunt, antequam judicium per definitivam sententiam absolvatur, cunctaque in altero hoc Decretalium libro explicat Raymundus partite, ac diligenter. Ac primum ut ostendat, quam necessaria sit in omni judicio litis contestatio, sic statuit, *ut lite non contestata, non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam.*

(1) *L.* 28. §. *si ante ff. de petit. hered.*

§. II. Quod recte sane, ac sapienter constitutum est. Cum enim testes in judicio tantum, ac super re in judicium deducta recipi, et audiri debeant, ut ex iis judex rem omnem cognoscat, feratque sententiam; ante litis contestationem, unde incipit judicium, res in idem deducta minime haberi potest, ideoque testes recipi nequeunt, multoque minus emitti sententia. Sunt tamen causae, in quibus lite non contestata recipiuntur testes, et hae quidem sunt causae, in quibus celeritate,

et festinatione opus est ob periculum amittendorum probationum, quia tunc locus est examini *ad perpetuam rei memoriam* (1); praeterea quaestiones incidentes, veluti de exceptione spolii, de legitimatione ad causam, relaxatione juramenti, ut liceat agere (2): postremo causae, in quibus judex ex officio procedit, ut in vim, et pondus inquirat canonicae electionis, aut matrimonii, quod propter dirimens impedimentum irritum habetur. Nam ne mora diuturnior damnum afferat Ecclesiae, aut ne ex continuatione conjugii plus turpitudinis oriatur, etiam lite non contestata, citato tamen primum, et refugiente judicium reo, testes recipi, atque etiam probata causa, definitiva sententia emitti potest (3). Verum cum agitur de separatione thori ob crimen adulterii, dotisve restitutionem, neque testes recipere, neque ferre sententiam ante litis contestationem licet (4).

(1) *Cap. 5. ut lit. non contest.*, *Cap. 4. de confirm. util. vel inutil.* Edita ea de re est an. 1776. Heildebergae dissertatio, cui titulus *de examine testium ad perpetuam rei memoriam.*
(2) *Cap. 4. de procurat.*, *Cap. 20. de jurejur.*
(3) *Cap. ult. §. porro ut lit. contestat.*
(4) *Cap. 1. eod. tit.*

§. III. Eadem obtinet juris disciplina adversus Episcopum, aut Parochum, contra quos inutiliter in judicium vocatos recipiuntur testes, et re cognita fertur sententia etiam lite non contestata, cum agitur de vi ipsa electionis, et institutionis, non item cum ipsis infertur crimen, cujus causa a dignitate et officio legitime acquisito removendi videntur (1). Quod si Episcopus, aut Parochus reus contumaciae non sit, sed tamen absit, dandae sunt induciae sex mensium, ut vocatus in judicium venia; dum vero agitur de matrimonio, *tamdiu alteruter conjugum*, inquit Innocentius III., *expectetur donec de ipsius obitu verisimiliter praesumatur* (2).

(1) *Cap. ad hoc 1. ut lit. non contest.*, *Cap. ult. eod.*
(2) *Cap. ult. cit. §. si autem.*

# DE
# JURAMENTO CALUMNIAE

## TITULUS VII.



Sextus *lib.* 2. *tit.* 4. Decretum ca. 22. *q.* 1. 5. Pandectae *lib.* 2. *tit.* 59.

§. I.

Ne qua in judiciis calumnia, ne qua fraus, ne qui dolus adhibeatur, bene Majores nostri stringendam putarunt fidem litigantium vinculo jurisjurandi, ut omnes metu Dei immortalis, quem judicem testemque interponunt, ab injusta vexatione deterreantur. Prima hujus origo juramenti repetenda est a Graecis, apud quos dabatur juramentum, quod ἀνωμοσία dicebatur (1); et in Areopago quidem, antequam actionis initium fieret, gravissimo jurejurando sese litigantes obstringere jubebantur (2). His exemplis Romani introduxerunt juramentum calumniae (3), quod pertinet ad repellendos a judicio calumniatores, qui scilicet *per fraudem, et frustrationem alios vexant litibus* (4). Praestant hoc juramentum et actor, et reus, et eorum procuratores cum speciali mandato venientes (5), et omnes generatim litigantes sive suo, sive alieno nomine judicium exerceant (6). Universitas jurat per syndicum, aut oeconomum, qui rem norit, et hunc quidem in propriam animam jurare oportet (7). Actor juratus affirmat, se agere justam causam, animumque gerere alienum a calumnia, et dolo, reus vero, bona etiam sui juris opinione sese adversario resistere. Hinc uterque pollicetur, sese vera in judicio dicturos, nihil acturos judicio

corrumpendi gratia, nullam allaturos probationem falsam, aut non necessariam, neque aliquid acturos, ut judicium per calumniam differatur (8).

(1) Confer Joachimum Stephanum *de jurisd. vet. Graecor. cap.* 10. apud Gronovium *antiquit. Graecar. tom.* 6. *col.* 2723.

(2) Videndus Sigonius *de Republ. Atheniens. lib.* 3. *cap.* 2. apud Gronovium *tom.* 5. *antiq. Graecar. col.* 1569.

(3 Plures sunt qui juramenti calumniae auctorem putant Justinianum, et moventur §. 1. *Instit. de poenis temer. litigant.*, ubi Tribonianus illud inductum tradit constitutione Justiniani, quae extat in *L* 2. *Cod. de jurejur. propt. calumn.* Sed revera ejus origo antiquior est. Nam hoc jusjurandum diserte memorant Paulus *recept. sentent. lib.* 2. *tit.* 1. §. 2. apud Schultingium *jurispr. vetus ante-justinian. pag.* 268. *edit. Lipsiae cit.* itemque ejus mentio est in *L.* 45. §. *si familiae ff. famil. erciscun.*, (quam legem a Triboniano aut fictam esse, aut corruptam perperam aliqui existimant) *in L.* 34. §. *qui jusjurandum*, et *L.* 37. *ff. de jurejur.* et apud Senecam *controv. lib.* 3. *cap.* 17. *pag.* 257. *tom.* 3. *edit. Amstaelod.* 1672. Verum ante Justinianum tantum speciale calumniae juramentum obtinebat, quoties pendente lite malitiae suspicio aderat, atque ita saepius repetebatur. Solus actor, et in certis tantum causis de calumnia jurabat, uti ostendunt Paulus *loc. cit.*, et Ulpianus *L.* 13. §. 3. *ff. de damn. infect.* Nam in plerisque nuda repromissione actor cavebat, se, nisi vicisset, daturum reo deciniam partem rei, quam petebat, unde *repromissionis remedium* in Codice Hermogeniano *tit. de calumniat.* apud Schultingium *loc. cit. pag.* 713. Atque haec erat vetus actio calumniae ex stipulatu, quae jam ante aetatem Justiniani desueverat. Sed Justinianus in omnibus civilibus causis, et ab utroque litigante jusjurandum de calumnia emitti voluit, praeterea veteris calumniae actionis loco sarciri damnum, et expensas restitui jussit. §. 1. *Instit. de poen. temer. litigant.* Sed postea *Novell.* 112. *cap.* 2. decimariam illam actionem redintegravit, atque illud addidit, ut decimae cautio satisdationem habeat. Confer Cujacium *observ. lib.* 7. *cap.* 5. *opp. tom.* 3. *col.* 156. *edit. cit.* Jamvero cum constet, Juramentum calumniae, quod initio speciale erat, a Justiniano factum fuisse generale, ita ut in primordiis litis super universa causa a litigantibus emitti deberet, non ita exploratum est, num ipse Justinianus illud etiam speciale juramentum sustulerit. Nihil ipse ea de re constituit *in L.* 2. *de jurejur. propt. calumn.*, sed id demum praestitisse videtur in *Novell.* 49. *cap.* 3., ubi animadvertit, quod olim in uno negotio frequenter jusjurandum dari solebat: *sancimus itaque*, inquit, *hanc perimentes injuriam, et nolentes crebro in eodem negotio jusjurandum praeberi . . . . non crebro cogi quemquam sacramenta subire, generaliter semel hujusmodi sacramento perhibito.* Quibus ex verbis colligi videtur posse, a Justiniano fuisse sublatum speciale calumniae juramentum, idque etiam videtur suadere *Auth. hoc sacramentum Cod. de jurejur. propt. calumn.*, ubi item generatim decernitur: *hoc sacramentum hodie remittitur, cum initio juretur, nihil se calumniose in toto negotio exigere.* Inde tamen ortum est dubium, quod Justinianus loqui videatur de juramentis, quae olim ab illis emittebantur, qui probationes subire volebant; quod in *Novella* 63. *cap.* 7. adhuc speciale juramentum calumniae desideretur ab eo, qui literarum comparationem postulavit. Quamvis autem mul-

ti observarint, in hac *Novella* contineri exceptionem, cujus ratio specialis in *Novellae praefatione* data est, ut eo magis coerceatur malitia, quae tunc frequens erat, illorum, qui documenta vitiare solebant, nihilo tamen minus res nondum satis comperta, atque explorata fieri potuit. Sed omnem sustulit dubitationem Bonifacius VIII. *in Cap. 2. de juramen calumn. in* 6. ubi statuit, *quod* » in omnibus causis nedum ante, sed etiam postquam » lis fuerit contestata, sive de veritate, sive de calumnia sit juratum in ipsis, » potest judex a partibus exigere juramentum malitiae, quoties viderit ex» pedire.

(4) *L.* 233. *ff. de verb. signific.*

(5) *Cap.* 2. *et ult. de juram. calumn. in* 6.

(6) *Cap.* 3. 4. 6. *de juramen. calumn.*

(7) *Cap.* 3. *et* 4. *de juram. calumn.*, *Cap. ult. eod. in* 6.

(8) *L. ult. Cod. de jurejur. propter calumn.* Glossa *in cap.* 1. *de juram. calumn.*

§. II. Datur hoc juramentum in omnibus causis, in quibus probationes requiruntur (1); atque etiam in causis appellationis, quamquam juratum primo judicio fuerit (2); sed in causis criminalibus, maxime capitalibus multi juris interpretes dandum negant, propterea quod in his sufficit subscriptio accusatoris in crimen, et reus cogi non potest ad praestandum juramentum, per quod in vitae discrimen adducitur (3). Parentes quoque, et patroni non coguntur jurare ob reverentiam, qua eos prosequi oportet (4). In causis spiritualibus olim de calumnia non videtur juratum (5); sed postea Bonifacius VIII. in his quoque causis juramentum dari voluit, quoniam experientia compertum est, etiam in causis spiritualibus saepe calumnias adhiberi (6).

(1) *L.* 1. *Cod. de jurejur. propt. calumn.*

(2) *Cap.* 1. *et* 2. *de juram. calumn. in* 6.

(3) Videndus Cujacius *in Decret. cap.* 1. *de juram. calumn. opp. tom.* 6. *col.* 794. *edit.* cit., ubi et Honorii constitutio in *Cap.* 1. *de juram. calumn.*, et ceterae, quae huic sententiae adversari videntur, leges explicantur. Confer etiam Schmalzgrueber *Jus eccles. univers. par.* 2. *tit.* 7. *num.* 12., a quo multa afferuntur, quae ad hoc idem argumenti genus pertinent

(4) *L. licet.* 7. §. *nec deferentes* 3. *et* §. *seq. ff. de obseq. parent. et patron. praestand.*, *L. si patronus* 16. *ff. de jurejur.*, *L. de die* 8. §. *jubetur* 3. *ff. qui satisd. cog.*, *L. qui bona* 13. §. *sed si* 14. *ff. de damn. infect.*

(5) *Cap.* 2. *de juramen. calumn.*

(6) *Cap.* 1. §. *ult. eod. tit. in* 6. Per hanc decretalem, quae est Bonifacii VIII, abrogatum est jus antiquum ab Honorio II. constitutum *in cit. cap.* 2. Id ipse Bonifacius apertissime declarat, ut proinde otio, et tempore abusi sint quidam juris interpretes, cum alio modo Honorium, et Bonifacium componere voluerunt. Inquit enim *in causis spiritualibus. . . . canones non*

*indicere alicui calumniae juramentum*, se tamen, quia *frequenter calumniari viderat in ipsis*, juramenti necessitatem in iisdem etiam imponere.

§. III. Jus Civile ab judice necessario exigendum statuit juramentum calumniae (1), eoque omisso judiciarium ordinem vitiari, plerique interpretes docent. Sed Jure Canonico, quo ubique utimur, tacite omitti posse, eoque omisso valere judicium statuit Bonifacius VIII. (2), quae Baldi, et aliorum contra Azonem, Martinum, aliosque nonnu llos sententa fuit, Sed pacto convento remitti non potest (3); et petitum omnino praestandum est, itaut nisi juret actor, protinus causa cadat, reus vero confessus, et judicatus habeatur. (4).

(1) *L.* 1. §. 4. *Cod. de jurejur. propt. calumn.*
(2) *Cap.* 1. §. 1. *de juram. calumn. in* 6.
(3) Vide Glossam in *Cap.* 1. *verb. tacita de juram. calumn in* 6.
(4) *Cap. ult. de juram. calumn.*, *L. ult. Cod. de jurejuran. propter calumn.*

§. IV. Omnes nunc jurant tum laici, tum clerici (1), sed hi olim illorum more non jurabant. Marcianus Imperator (2): *ecclesiasticis*, inquit, *regulis*, *et canone a beatissimis Episcopis antiquitus instituto clerici jurare prohibentur.* Jus hoc a Marciano constitutum pro solis clericis Ecclesiae Constantinopolitanae ab Henrico II. Imperatore traductum est ad omnes universe clericos (3), quod postea summus Pontifex Honorius II., vel III. confirmavit (4). Hodie jurant et clerici; sed Episcopi cum venia Summi Pontificis, clerici inferiores cum venia sui Antististis (5). Hoc inter laicos, et clericos discrimen est, quod hi propositis, illi autem tactis Evangeliis jurant (6).

(1) *Cap.* 1. *de juramen. calumn.*
(2) *L.* 25. §. 1. *Cod. de Episc., et cleric.* Eadem haec disciplina est *in can.* 1. *et* 5. *caus.* 2. *q.* 4., *et can. penult. et ult. caus.* 22. *q.* 5., eamque laudat Honorius II. in *Cap.* 1. *de juram. calumn.*, quo loco Marcianus mendose *Marcus* dicitur.
(3) Vid. Gonzales *in not. ad cap.* 1. *de juram. calun.*
(4) *Cap.* 1. *de juram. calumn.* Et secundum hanc Honorii constitutionem intelligendas arbitror constitutiones Lucii III., et Gregorii IX., quae extant In *cap.* 5. *et* 7. *eod.* Nam hi duo Pontifices, qui recentiores sunt Honorio II., sine dubio sese referunt ad jus novum ab eodem Honorio constitutum de juramento ab Episcopo, aut clericis emittendo cum venia Summi Pontificis, aut proprii Antistitis, cujus quidem veniae necessitas

in his quoque recentioribus constitutionibus tacite intelligenda est, quamquam nulla ejus fiat expressa mentio. Atque haec quidem pertinent ad jusjurandum, quod calumniae dicitur, quodque in judiciis emittitur. Sed etiam extra judicium clerici ob gravem causam jurasse constat ex Anastasio Bibliothecario *in Pelagio tom.* 3. *pag* 292. *edit. Romae* 1728., et ex *can.* 10. 18. 19. *caus.* 2. *q.* 5.; similiter eos jurasse, cum justa urgeret causa, ostendunt Sozomenus *Histor. eccles. lib.* 6. *cap.* 30. *pag.* 242. *edit. Valesii Taurin.* 1747., et Justinianus *Novell.* 23. *cap.* 1. et *Novell.* 187. *cap.* 2.; ac Patres Concilii Constantinopolitani OEcumenici VI. Gregorium Diaconum in singulis propositis quaestionibus jurare coegerunt.

(5) *Cap.* 1. *de juramen. calumn.* De juramento calumniae ab Episcopo praestando Glossa verbi *inconsulto* scribit haec: » Istud difficile videtur, » ut Episcopus propter hoc debeat requirere Romanum Pontificem, sed hoc » non servatur; unde si Episcopus litigat in propria persona, ipsemet » praestet juramentum de calumnia, nec est necesse requirere Papam. » Recte tamen animadvertit Schmalzgrueber *Jus eccles. univers. lib.* 2. *tit.* 7. *num.* 9., quod *magis decens, et conveniens est*, ut Episcopus *per Syndicum agat in judicio, et per eum juret.*

(6) *Cap. ult. de juramen. calumn.* Clericos adinstar laicorum Evangelia, aut martyrum reliquias manu tangere canones vetuerunt. Presbyteri, et Episcopi *vice juramenti per sanctam consecrationem interrogabantur. Can.* 4. *caus.* 2. *q.* 5. Interdum etiam *ante corpus* alicujus Sancti *tantummodo* quaesiti respondebant *can.* 8. *et* 9. *ead. caus. et quaest.* Verum cum gravior aliqua urgere videretur causa, non solum Diaconos, quod de Evagrio Constantinopolitano tradit Sozomenus *loc. cit.*, sed ipsos etiam Episcopos tactis Evangeliis jurasse constat. ex *cap.* 4. §. *ult. de jurejur.* et *Cap.* 5. *de purgat. canon.* Ad hunc sane modum Severum Episcopum jusjurandum dare, ac deferre debuisse, non obscure tradit S. Basilius *ep.* 188. *can.* 1. *ad Amphiloch. cap.* 10. *opp. tom.* 3. *pag.* 275. *edit. Paris.* 1730.

§. V. Juramentum, quod modo descripsimus, calumniae generale juramentum est, quod praestare oportet in ipso litis exordio, quodque respicit universum negocium, de quo in judicio agendum est. Sed et aliud speciale juramentum est, quod in progressu litis, atque in singulis actibus judiciariis, prout judici videbitur, defertur, etiamsi generale sacramentum calumniae emissum fuerit, eoque jurans affirmat, se non ex dolo, aut calumnia certum aliquid petere, ex. gr. dilationem, damni infecti cautionem, describendi testamenti facultatem, cetera generis ejusdem. Quod juramentum a Bonifacio VIII. *malitiae* juramentum dicitur, ut a generali juramento calumniae distinguatur (1).

(1) *Cap.* 2. §. 2. *de juramen. calumn.* in 6. Ceterum juramenti calumniae formulam describit Paulus IC. in. *L. inter Coheredes* 45. §. *si familiae ff. famil. erciscun.*

# DE DILATIONIBUS

## TITULUS VIII.



Extravga. Commun. *h. t.* Decretum 3. *q.* 2. 3. Pandectae *lib.* 2. *tit.* 12. Codex *lib.* 3. *tit.* 11.

§. I.

Lite contestata, datoque juramento calumniae solent litigatores inducias, seu dilationes petere, ut interim parare, et ordinare possint, quae sunt ad absolvendum judicium necessaria. Actor eas postulat, ut probationes confirmet, reus, ut exceptiones paret: idque fit ab utroque non initio solum, sed etiam in progressu litis. Dilationem vocamus justum aliquod temporis intervallum, quod litigantibus conceditur ad aliquem judicialem actum commodius expediendum.

§. II. Dilationes vel a lege dantur, et hae quidem certa habent designata tempora (1), vel mutua definiuntur voluntate litigantium, vel a judice conceduntur. Sed Jus Canonicum tribuendarum dilationum omne fere arbitrium judici commisit (2). Quod non ita intelligendum est, quasi hoc arbitrium tam late pateat, ut eo judex suo lubitu uti, et abuti possit. Nam ut dilationes concedantur, justa causa opus est, eaque rite demonstrata, denegari non possunt. Hinc si forte aequo breviores, aut longiores datae sint, justa est appellandi causa (3); novaque etiam tribuenda dilatio est, cum quis juste, et legitime impeditus statuto tempore, quae ad sustinendum judicium necessaria sunt, comparare, atque in jus venire non potuit (4).

(1) Sic a lege dantur dies decem ad appellandum post latam sententiam,

ne transeat in rem judicatam, *Cap. quoad consultationem* 15. *de senten. et re judic.* De dilationibus, quae legales dicuntur, propterea quod a lege dantur agitur in titulo Codicis *de dilationibus.*

(2) *Cap.* 24. *de offic. et potest delegat.*

(3) *Cap.* 1. *de dilation.* Vide etiam Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 10. *in fin. de reform.*

(4) *Cap. ult. eod.*

§. III. Quemadmodum in judicio sunt partes tres, ita singulae suas habent dilationes. Hinc triplex earum genus distinguitur. Nam aliae dantur in prima judicii parte, videlicet a citatione ad litis contestationem, et hae vel citatoriae, vel deliberatoriae, vel recusatoriae, et declinatoriae sunt. Citatoriae dantur, ut reus in jus vocatus venire, et respondere libello actoris possit. Deliberatoriae conceduntur reo, ut deliberet, num subire judicium velit, an potius actori cedere; et hae quidem dandae non sunt actori, qui nonnisi paratus, ac bene instructus litem movere debet. Quin et reo denegandae sunt non solum quando ex literis citatoriis plane noscere rem omnem potuit, ac de consilio capiendo deliberare (1), sed etiam cum ea, quae in libello obscura sunt, et ambigua, per ea, quae sunt expressa, declarantur (2). Denique recusatoriae, seu declinatoriae dilationes pertinent ad omnes opponendas exceptiones dilatorias, seu declinatorias, antequam fiat litis contestatio (3); puta si reus suspectum judicem recusare velit (4); si impugnaret rescriptum, cujus gratia vocatus est ad judicem non competentem (5); si neget actorem legitimam habere personam standi in judicio (6); si auctori suo denunciare debeat de evictione litem (7). His dilationibus dandum est tempus idem, quod exceptionibus, de quibus alius erit agendi locus.

(1) *Cap. praeterea* 2. *de dilation.*

(2) *Cap. literae tuae* 3. *eod. tit.*

(3) *Cap. pastoralis* 4. *de except.*

(4) *L. apertissimi* 16. *Cod. de judic.*

(5) *L. si quando Cod. de dilation.*

(6) *Cap. exceptionem* 12. *de except.*

(7) *L. si quis* 2. *Cod. ubi in rem actio*, *L. emptor.* 8. *Cod. de eviction.*

§. IV. In parte altera judicii, videlicet a litis contestatione usque ad sententiam, dantur dilationes, quae probato-

riae dicuntur, propterea quod pertinent ad conquirendas, parandasque probationes, quibus indigent tum actor, tum reus, ut judicium rite, recteque absolvatur. Eas a judice postulant litigatores; sed etiam cum necessariae, utilesve videntur, ab eo dantur ex officio, petente nemine. Spatium harum dilationum ita lex moderata est, ut si ex eadem provincia, ubi lis agitur, conquirendae sint probationes, tres menses concedantur, sex, si ex aliena continenti, novem denique, si ex ultramarina provincia (1). Sed hodie res tota pendet ab arbitrio judicis, qui tamen curare debet, ut aequa sit conditio actoris; et par utrique gratificatio (2). Probatoriae dilationes in causis civilibus, et pecuniariis semel dantur, nisi justa sit causa, propter quam iterandae sint (3).

(1) *L. quoniam 1. et L. ult. Cod. de dilation.*, *Novell. 59. cap. 2.*
(2) *Cap. cum inter, ibique* Glossa *verb. claudicare de exception.*, *Cap. cum aeterni 1. de senten. et re judic. in 6.*
(3) *Auth. At qui semel Cod. de probat.*, *Novell. 90. cap. 4.*; *Cap. in causis 15., ibique* Glossa *verb. productionem de testib.*

§. V. Denique in tertia judicii parte dilationes dantur vel ad causam definiendam, quae definitoriae dicuntur, ac bis, et tertio iterantur, nisi prima peremptoria sit (1); vel ad exequendam sententiam, atque ad praestandum id, quod ea decretum est, eaeque executoriae appellantur. Hae in actionibus personalibus impartiuntur, ac spatium continent quatuor mensium (2), quod tamen interdum justis de causis a judice contrahitur, ac prorogatur (3); in realibus autem executio fit a jure sine dilatione, nisi eam judex tribuendam putet, cum reus, aut possessor negat rem se posse statim restituere, idque negat non dolose, et fallaciter, ac praeterea per fidejussores caveat, eam se daturum, vel ejus aestimationem (4).

(1) *L. 68. et seq. ff. de judic.*, *arg. cap. consuluit 24. de offic. delegat.*
(2) *Cap. quaerenti 26. de offic. delegat.*, *Cap. quod ad 15. de sentent. et re judic.*
(3) *Cap. 15. cit.*, *L. debitoribus 31. ff. de re judic.*
(4) *§. etsi in rem 2. Instit. de offic. judic.*, *L. qui restituere 68. ff. de rei vindic.*

§. VI. **Dilationum tempore judicis officium conquiescit.** Et quia arbitrarias tribuere dilationes actus est judicialis, idcirco concedendae sunt a judice pro tribunali sedente, causaque cognita (1). Porro ut prima detur probatoria dilatio, satis est modica, et levis causae cognitio; sed ut altera, quaeque alteram sequuntur, dilationes tribuantur, noscenda sunt omnia diligenter, et quod postulans dilationem proponit momentum, demonstrandum est per testes, vel saltem per juramentum, cum non alia suppetit illius comprobandi ratio. In dilationibus, quae a lege dantur, nulla causae cognitionie opus est. Denique uni litiganti concessa dilatio, alteri etiam prodest, ita ut ejus beneficio, illo invito, sese abdicare quis nequeat (2); atque in ejus tempore aestimando feriae sive repentinae, sive solemnes sint, non excipiuntur, sed praefinitis dilationis temporibus connumerantur (3).

(1) *Can. ult. caus. 3. q. 3.*
(2) *L. petendae 6. in fin. Cod. de tempor. in integr. restitut.*
(3) *L. sive pars 3. Cod. de dilation.*

# DE FERIIS

## TITULUS IX.



Decretum 15. *q.* 4. *et c.* 1. *de consecr. dist.* 3., Pandectae *lib.* 2. *tit.* 12., Codex *lib.* 3. *tit.* 12.

### §. I.

Feriae (1) ad dilationes referuntur, ideoque in Pandectis eodem titulo agitur de feriis, et dilationibus; sed Raymundus sequutus est ordinem Codicis, in quo post titulum de dilationibus exhibetur titulus de feriis. *Feriarum, festorumque dierum ratio*, inquit Cicero (2), *in liberis requietem habet litium, et jurgiorum, in servis operum, et laborum.* Feriae igitur sunt dies, in quibus vacare oportet ab omnibus negociis, litibus, et jurgiis, atque ab omni opere servili, quaeque, feriati, aut feriatici dies vocantur (3), et quibus *communes* dies opponuntur (4). Hoc ipso feriarum nomine vocantur dies omnes hebdomadae, non quod omnes feriati esse debeant, sed quod eorum primus, unde hebdomada orditur, feria est (5). Reliqui, qui sequuntur, dies ab hoc ipso nomen accipiunt, et numeris distinguuntur, hoc est secunda feria, quae proxime sequitur initium hebdomadae, tertia; quarta, et sic deinceps (6).

(1) S. Isidorus Hispalensis *ethimolog. lib.* 5. *opp. tom.* 3. *pag.* 221. *edit. Romae* 1797. » a fando autem, *inquit*, feriae nuncupatae sunt, quod » in eis nobis sit tempus dictionis, idest in divino, vel humano officio fari. » Alias hujus nominis ethymologias vide apud Cl. Arevalum *in not.*

(2) Cicero *de legibus lib.* 2. *num.* 12. *opp. tom.* 3. *pag.* 203. *edit. Olivet. Genevae* 1744.

(3) Ulpianus *in L.* 2. *ff. de feriis.*

(4) *L.* 2. *Cod. de stat. et imagin.*

(5) Sic Beda *de tempor. ration. cap.* 6. *opp. tom.* 2. *pag.* 55. *ed. Colon. Agrippin.* 1612. » Non quod omnes, *inquit*, sabbathorum, hoc est requie» tionum dies esse potuerint, sed quod a requietionum die, quae suo nomi» ne, et cultu singularis excellebat, prima, vel secunda, vel tertia, vel cae» terae: suo quaeque censerentur ex ordine.

(6) S. Augustinus *enarrat. in psalm.* 93. *num.* 3. *opp. tom.* 4. *col.* 1000. *ed. cit.* » Nos ergo, *inquit*, secundum quod loquimur, quarta Sabbatorum quartus » dies intelligitur a die dominico, » et *in psalm.* 150. *col.* 1693. » In illo enim » (in veteri testamento) observatur, *inquit*, sabbatum, quod significat quietem, » in isto (in novo testamento) Dominicus dies, qui significat resurrectionem, Sab» batum autem est dies septimus: Dominicus vero post septimum, quid nisi octa» vus, idem qui primus habendus est? Ipse enim dicitur etiam una Sabbati, » ut deinde sit secunda, tertia, quarta, et deinceps usque ad septimum » Sabbatum. A Dominico autem usque ad Dominicum octavus est dies. »

§. II. Cum enim veteres Christiani laterculum septem dierum ab Hebraeis accepissent, dies quoque hebdomadae, ut hi, a Sabbato nominabant; et dicebant primam Sabbati, secundam, ac tertiam Sabbati, ordine, quo unusquisque dies feriam sequebatur, hoc est Sabbatum, quod erat hebdomadae initium (1). Interdum et ferias vocabant reliquos post Sabbatum hebdomadae dies (2). Ex quo facile intelligitur, cur Christiani dies hebdomadae ferias appellaverint. Feria enim, idem est ac Sabbatum. Itaque ut Judaei primam, secundam, tertiam Sabbati, et sic deinceps usque ad septimum diem, quem Sabbatum vocabant, ita Christiani primam, secundam, ac tertiam feriam nominarunt, hoc unum mutantes, quod non Sabbato feriam instituerunt, ut Judaei, sed prima die post Sabbatum, quem et Dominicam appellarunt (3).

(1) Tertullianus *de jejun. cap.* 14. *pag.* 552. *edit. Venet.* 1744. *Cur stationibus*, inquit, *quartam, et sextam Sabbati dicamus.*

(2) Tertullianus *loc. cit. cap.* 2. *pag.* 543. *Proinde nec stationem*, inquit, *quae et ipsae suos quidem dies habebant quartae feriae, et sextae.* Ex quo patet minus vere scripsisse Innocentium Cironium *paratil. in quinq. libros Decretalium Gregorii IX. lib.* 2. *tit.* 9. §. 5. *pag* 147. *edit. Vindobonae* 1761., quod et ego ejus auctoritate scripsi *in Instit. lib.* 3. *tit.* 10. *tom.* 3. *not.* 1. *pag.* 141. *edit. Romae* 1792., primum paschalis hebdomadae diebus feriarum nomen fuisse attributum. Similiter ex hoc ipso Tertulliani loco manifestum est, errasse Bedam *loc. cit.*, cum scriptum reliquit, quod *ferias habere clerum primus Papa Sylvester edocuit*, cum feriae multo antiquiores sint, jamque essent Tertulliani aetate usitatae. Confer Valesium *in Eusebium de martyr. Palaestin. cap.* 2. *pag.* 358 *edit. Taurin.* 1746, et Du-Cangium *glossar. med., et infim. latinit. verb. feriae.*

§. III. Jamvero ex feriis quaedam sunt, quae civiles, quaedam, quae ecclesiasticae appellantur; hoc est quaedam hominum, quaedam Religionis causa sunt institutae. Illae variae sunt pro more, et legibus populorum, praecipuae tamen pertinent ad commoda messium, et vindemiarum (1); hae sunt *dies devotionum*, *et orationum* (2), seu festi dies, quibus rebus Religionis operam dare oportet, neque fas est servilia opera exercere.

(1) Harum feriarum mentio est apud Statium *Silv. lib. 4. vers.* 39. *seq. pag.* 198. *edit. Lugdun. Batavor.* 1671.

*Certe jam Latiae non miscent jurgia leges.,*
*Et pacem piger annus habet, messesque reversae*
*Dimisere forum.*

A. Gellium *Noct. Attic. lib.* 9. *cap.* 15. *pag.* 498; *edit. Lugdun. Batav.* 1666. Plinium *lib.* 8. *ep.* 21. *pag.* 21. *pag.* 212. *edit. Oxonii* 1703., Ulpianum *L.* 1. 2. 3. *ff. de feriis in L.* 2. *et* 7. *Cod eod. ean.* 2. *caus.* 15. *qu.* 4. S. Augustinum *confess. lib.* 9. *cap.* 2. *opp. tom.* 1. *col.* 157. *edit. cit.* In *L.* 2. *Cod. Theodos. de feriis,* omnes dies juridici esse jubentur, exceptis mensibus messium, et vindemiarum, Kalendis Januariis, natalibus Urbium maximarum Romae, et Constantinopolis, natalibus Imperatorum, ac diebus, quibus imperium auspicati fuerant, quindecim diebus Paschalibus, qui et ecclesiastica, et civili lege feriati erant, et omnibus diebus Solis per integrum annum. Multa de feriis tum civilibus, tum ecclesiasticis habent Binghamus *antiquit. eccles. lib.* 20. *cap.* 2. *seq. tom.* 9. *pag.* 1. *et seq. edit. Halae Magdeburg.* 1760., Gothofredus *in cit. L.* 2., *Cod. Theodos. de feriis tom.* 1. *pag.* 140. *seq. edit. Lipsiae* 1736., et Selvagius *antiq. Christian. lib.* 2. *par.* 2. *cap.* 4. §. 2. *pag.* 228.

(2) Sic hi dies vocantur *in L. ult. Cod. Theod. de navicul.*

§. IV. Justum enim est, ac rationi consentaneum, quod certos habeamus dies, quos integros Deo, et Religioni tribuamus; atque haec est, quae dicitur festorum sanctificatio, quae in eo est posita, ut ceteris amotis curis, et studiis non tantum sacrosancto Missae sacrificio praesentes simus, sed etiam diem in divinis laudibus, in precibus, in ceteris religionis officiis transigamus (1). Porro si ipse jussisset, nos quotidie Religionis cultum sibi tribuere, nonne pro innumeris, quibus ab eo cumulati sumus, beneficiis, omni ope, et opera eniti nos oporteret, ut ei prompto, alacrique animo pareremus? Nunc vero paucis ad ejus cultum institutis diebus, non socordes, et negligentes esse nos decet in hoc officio persolvendo, quod sine gravissima culpa praetermittere non possumus (2).

(1) Catechismus Romanus *par.* 3. *praecept.* 3. *cap.* 4. §. 25.
(2) Catechismus Romanus *loc. cit.* §. 26.

§. V. Jure civili judiciales actus festis diebus fieri non possunt (1), nisi litigantes sua sponte ad judicium veniant (2); sed jure canonico, ne ipsis quidem litigantibus consentientibus eosdem actus expedire licet (3), et quidquid est actum nullius momenti est (4). Vetita sunt etiam iisdem diebus cuncta opera, quae servilia dicuntur, quod apud Romanos a servis praesertim gerebantur (5), nisi urgeat necessitas (6), veluti si fruges ingenti periculo obnoxiae sint, aut praeclara sit occasio piscandi, quae alio die haberi non possit, quia tunc Episcopus metendi, et piscandi tribuit facultatem (7); et vetiti mercatus rerum venalium, quamquam nundinae longo usu receptae cum certis legibus tolerentur (8).

(1) *L.* 2. *Cod. de feriis.*
(2) *L.* 8. *Cod. eod.*
(3) *Cap. ult. de feriis.* Sed obstare videtur *Cap.* 6. *de dol.*, *et contumac.*, ubi habentur haec: » Ipsi mandavimus ut usque ad Dominicam » .... per se, vel procuratorem .... ad praesentiam nostram accederet, » itemque *Cap.* 15. *de accusat.*, ubi scriptum est: » Episcopum ad festum » Dominicae peremptorie nos meminimus citavisse. » Has Decretales aliqui ita explicant ajentes *usque* ad, et *ad* idem esse quod *infra*, ut in *Cap.* 9. *de fid. instrum.* Sed aliud *ex cit. cap.* 6. non obscure deprehenditur, ut proinde alia earum decretalium sententia sit. Scilicet utroque loco reus citatus fuerat jussu Summi Pontificis, qui derogaverat legi, quae festis diebus judicia exerceri vetat. Ceterum disertissime Gregorius IX. in *cit. Cap. ult. de feriis* debere inquit *judicialem strepitum diebus conquiescere feriatis*, idemque jam erat ante Gregorium IX. jure canonico constitutum. Nam Concilio Compendiensi, quod descriptum est in *Cap.* 1. *de feriis*, *in eis*, inquit de Dominicis diebus, *mercatus minime fiat*, neque *placitum*, hoc est *judicium*, quo sensu illud vocabulum saepe usurpatur in Capitularibus Regum Francorum, in legibus Ripuariorum, Longobardorum, aliarumque gentium, unde ortum est verbum *placitare*, nimirum judicio contendere. Idem habet Concilium Triburiense an. 895. *can.* 35. *tom.* 11. *Concil. col.* 647., et Aquisgranense II. *can.* 18. *tom.* 9. *col.* 840. Quod autem addit Gregorius, judiciales actus festis diebus gestos plane irritos esse, id forte ante ipsum nullo canone expresse statutum fuerat, quamquam id esset nominatim sancitum a jure civili in *L.* 2. *Cod. de feriis.* Sed quoad dies festos Gregorius jus civile emendavit, quoniam ne cum consensu quidem litigatorum iis diebus judiciales actus fieri permisit.
(4) *L.* 2. *et* 3. *Cod. de feriis*, *Cap.* 1. *et* 5. *de feriis.*
(5) Opera servilia, quae diebus festis expedire nefas est, numerat Lucius Ferraris *Biblioth. canon. verb. Festa num.* 12. *et seq.* Vide etiam Benedictum XIV. *Instit.* 43. *et* 65.
(6) Virgilius *Georgic. lib.* 1. *ver.* 268. *p.* 261. *edit. Lugdun. Batav.* 1680. scribit haec

*Quippe etiam festis quaedam exercere diebus*
*Fas et jura sinunt.*

Quae latius explicat Columella *de re rustic. lib.* 3. *cap.* 3., quod tamen diebus dominicis non est passus Leo Imperator *novell.* 54. Canones temperamentum addiderunt, nisi propter inopiam, vel aliam aliquam necessitatem otiari non possint, *εἴγε δύναιντο σχολάζειν si possunt otiari*, inquit Concilium Laodicenum *can.* 29. apud Beveregium *pandect. canon tom.* 1 *pag.* 465. *edit. Oxonii* 1672. qui latus est contra superstitionem Hebraeorum, qui Sabbato ita otiabantur, ut nec operari, nec etiam divinis canticis vacare auderent; ait Balsamon *loc. cit.*, iden Dominum interficere volebant, quia solvebat Sabbatum, eoque die sanabat aegrotos *Joan. cap.* 5. *v.* 16. Hujus Sabbati exemplo etiam annus sabbaticus institutus fuit *Levit. cap.* 25. *v.* 4., quo ab omni agrorum cultura septimo quoque anno cessare oportebat, et haec cessatio Semitah, hoc est *quies et cessatio* vocabatur. Et huc referuntur celebres septuaginta hebdomadae Danielis, quae totidem sabbaticos annos comprehendunt.

(7) *Cap.* 3. *de feriis*, Cathechismus Romanus *par.* 2. *procc.* 3. *cap.* 4. §. 23. Vide etiam Benedictum XIV. *Constit. ab eo tempore* 144 §. 26, *et* 27. *tom.* 1. *ejus Bullar. edit. Romae seu Venet* 1754.; *et cit. Instit.* 65. Edicto S. Caroli Borromaei etiam spectacula, ac publici ludi interdicuntur, de quo edicto vide ipsum Benedictum XIV. *de synod. dioeces. lib.* 11. *cap.* 1. *num.* 7.

(8) Consule Benedictum XIV. *cit. Const.* 144.

§. VI. Omnes sane gentes habuere dies festos, quibus suos Deos honore prosequebantur, et in quibus magnam religiosi cultus partem constituebant. Sed eorum, qui Deum vivum, ac verum colunt, et venerantur, vera sunt festa; reliqua hoc nomine appellantur, sed revera hominum figmenta sunt, neque ulla ratione divino cultui consentanea (1), et colluvio scelerum, ac vitiorum. Jam inde ab Apostolorum aetate apud Christianos instituti, et acti sunt dies festi. Antiquitate ceteros vincunt omnes dies Dominici (2), Pascha, Ascensio (3), Pentecostes (4). Postmodum alii quoque accesserunt, videlicet Natalis Christi Servatoris (5), Circumcisio (6), Epiphania (7), solemnitates B. Mariae Virginis (8), Apostolorum (9), Martyrum (10), Confessorum, Virginum, Viduarum, ceterae (11).

(1) Consule Origenem *contr. Cels. lib.* 8. *num.* 20. *et* 21. *pag.* 758 *opp. tom.* 1. *edit Paris.* 1733., *et* S. Augustinum *in psalm* 41. *num.* 9. *opp. tom.* 5. *col.* 477. *et de cathech. rud. cap.* 25. *tom.* 11. *col.* 692. *edit. cit.*

(2) Ab ipsis Ecclesiae primordiis loco Sabbathi solemnem fuisse diem Dominicum, ostendunt non modo omnes ecclesiastici Scriptores, sed etiam Apostoli Actus Apostol. *cap. XVI. v.* 13. *et cap. XX. v.* 7. Matthaeus *cap. XXVIII. v.* 1. Marcus *cap.* 16. *v.* 1. *et seq.* Lucas *cap. XXIV. v.*

1. Videndi Innocentius I. *ep.* 25. *ad Decentium* apud Coustantium *ep. Roman. Pontif. col.* 860. , Baronius *annal. eccles. ad an.* 58 *num* 81. *et* 88. *tom.* 1. *pag.* 519. *seqq. edit. Lucae* 1738., et Grotius *in Joan. cap.* 20. *num.* 26. *opp. theol. tom.* 2. *pag.* 570. *edit. Basil.* 1732. , *et in act. Apostol. cap.* 20. *num.* 7. *pag.* 641. Hujus autem celebritatis SS. Patres plures afferunt rationes ex mirabilibus pietatis operibus , quae a Christo Domino ea die peracta sunt. *Solis autem die* ( scilicet *dominico* , quo nomine saepe hic dies appellatur, ut in Codice Theodosiano *L.* 1. *et* 2. *de feriis* ) inquit Justinus Martyr. *apolog.* 1. *pro Christian. num.* 67. *pag.* 84. *edit. Maurin. Paris.* 1742. » omnes simul convenimus , tum quia prima » haec dies est , qua Deus tenebras , et materiam vertisset, mundum crea- » vit , tum quia Jesus Christus Salvator noster eadem die ex mortuis resur- » rexit. » Vide etiam Ambrosium *enarrat. in psalm.* 47. *num.* 1. *opp. tom.* 2. *col.* 280. *edit. Maurin. Venet.* 1748. Augustinum *serm.* 169. *opp. tom.* 7. *cap.* 2. *col.* 809. *edit. Maurin. Venet.* 1762. , Leonem M. *ep.* 9. *cap.* 1. *opp. tom.* 1. *col.* 630. *et ep.* 15. *cap.* 4. *col.* 699. *ed. cit.* , aliosque passim. Quomodo autem Christiani Dominicum diem celebrarent , egregie declarat Plinius *ep.* 97. *ad Trajanum Imp. lib.* 10. » Soliti sunt stato die » ( quem diem dominicum esse ostendit Bucherus *in not.* ) ante lucem con- » venire , carmenque Christo , . . . dicere secum invicem ; seque sacramen- » to non in scelus aliquod obstringere , sed ne furta , ne latrocinia , ne » adulteria committerent , ne fidem fallerent , ne depositum appellati abne- » garent : quibus peractis mos eis discedendi fuit , rursusque coeundi ad » capiendum cibum promiscuum tamen , et innoxium » Ceterum diei Dominici solemnitas loco Sabbati haud ita instituta est , ut Christiani non etiam Sabbato suos agerent conventus , et orationi vacarent non more Judaeorum , qui totam diei festivitatem in cessatione a labore ponebant , sed modo multo sublimiore , et Servatoris doctrina digniore *Non amplius igitur sabbatizemus* , inquit S. Ignatius M. *ep. ad Magnesianos num.* 9. , apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 2. *pag.* 59. *edit. Antuerp.* 1698. , Judaico more , ac feriis » gaudentes ; qui enim non operatur non manducet ; in sudore enim vultus tui » edes panem tuum , ajunt eloquia ; sed unusquisque vestrum sabbatizet spiri- » tualiter , meditatione legis gaudens , non corporis remissione , opificium Dei » admirans , non pridiana comedens , et tepida bibens , et ad praescripta spa- » tia obambulans , et saltationibus , plausibusque insanis oblectans se. » Vide etiam Justinum M. *dial. contra Tryphonem num.* 12. *pag.* 112. *et num.* 29. *pag.* 127. *edit. Maurin. Paris* 1742. Tertullianum *ad Judaeos cap.* 4. *pag.* 186. *edit. Venet.* 1744. , Concilium Laodicenum *can.* 29. *tom.* 1. *Concil. collect. Labbaei col.* 1546. *edit. Coleti.*

(3) Auctor *Apostol. Constit. lib.* 8. *cap.* 33. apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 1. *pag.* 415. *Ascensio sit dies feriatus* , inquit , *propter finitam tunc oeconomiam Christi.* Vide etiam Chrysostomum *homil. de ascens. opp. t.* 2. *p.* 447. *edit. Venet.* 1734., et Augustinum *ep.* 54. *ad inquisit. Januar. opp. tom.* 2. *col.* 164. *et serm.* 221. *seqq. col.* 1065. *seqq. tom.* 8.

(4) S. Irenaeus *in lib. de Paschate inter fragm. tractat. deperd. opp. tom.* 1. *pag.* 342. *ed Venet.* 1734. consuetudinem non flectendi genua die Dominico , et *Pentecoste* ab Apostolis repetit. Vide etiam Tertullianum *de idolatr. cap.* 14. *pag.* 94. *edit. Venet.* 1744. , Origenem *contr. Cels. lib.* 8. *num.* 22. *opp. tom.* 1. *pag.* 758. *edit. Paris.* 1733. , Constitutiones Apostol. *loc. cit.*, Concilium Eliberitanum *can.* 43. *concil. tom.* 1. *col.* 997. *collect. Labbaei*, Basilium *de Spiritu S. cap.* 27. *num.* 66. *opp. tom.* 3. *pag.* 56. *edit. Maurin.*

*Paris* 1721. . Ambrosium *in Evang. sec. Lucam lib.* 8. *num.* 25. *opp. tom.* 2. *vol.* 1176. *edit. Maurin. Venet.* 1748. Quamquam autem festivitates dierum Dominicorum, Paschatis, Ascensionis, Pentecostis ab Apostolis celebratas tradat Augustinus *ep.* 54. *cap.* 1. *opp. tom.* 2. *col.* 124. *edit. Venet.* 1756. , tamen Ascensionem Domini non uno, et eodem ubique ritu, sicuti observabatur Pascha, et Pentecostes, observatam fuisse, monet Martenius *de antiq. Eccles. rit. lib.* 4. *cap.* 28. §. 1 *tom.* 3. *pag.* 192. *edit. Venet.* 1764.

3 Certo statui non posse videtur, quod etiam diem festum Natalis Christi Apostoli instituerint; et vero Augustinus, uti nunc demonstratum est, cum memorat dies festos ab Apostolis constitutos, nullam hujus diei mentionem facit. Prima ejusdem diei diserta mentio a multis refertur ad exitum saeculi III. , hoc est ad aetatem Diocletiani Imperatoris, quem Nicephorus *Histor. lib.* 8. *cap.* 7. *pag.* 545. *edit. Paris.* 1620. narrat ingentem Christianorum multitudinem natalem Christi noctu celebrantem igne injecto combussisse. Hoc certum est, in Occidente ab antiquissimis inde temporibus festum hunc diem celebrari consuevisse. Testatur id Chrysostomus *Hom. in diem Natal. Christ. tom.* 2. *num.* 1. *p.* 355. *edit. Venet.* 1734. inquiens, quod hic dies *jam inde a primordio ab ipsa Thracia Gades usque incolentibus manifestus, et celebris fuit.* Memorant etiam hanc solemnitatem tamquam ubique receptam, et jamdiu pervulgatam Augustinus *ep.* 55. *cap.* 1. *opp. tom.* 2. *col.* 169. *et serm.* 51. *et* 287. *tom.* 7 *col.* 282. et 1152. *edit. Maurin. Venet.* 1756. , Paulinus Nolanus *poem.* 26 *vers.* 45. *seqq. pag.* 623. *edit. Veron.* 1736. , Constitutiones Apostolicae *lib.* 8. *cap.* 33. *tom.* 1. *PP. Apostol. pag.* 415. *edit. Antuerp.* 1698. , In Orientali quoque Ecclesia hanc solemnitatem antiquissimam fuisse constat, sed pars maxima ejusdem Ecclesiae per tria, aut quatuor priora saecula natalem Christi celebrare consuevit eo ipso die, qui hodie dicitur Epiphania, hoc est VI. mensis Januarii, quo Christi *manifestatio* significatur. Latini vero semper distinctas habuere solemnitates Natalem Christi, et Epiphaniam, et illam sane, uti nunc fit, die 25. Decembris celebrarunt. Kalendarium Bucherianum, quod anno 354. scriptum fuisse viri eruditi sentiunt, ab hoc festo initium ducit *VII. Kalendas Januar. natus Christus in Betheleem Judaee*; eumdem diem servant Polemeus Silvius, et Auctor Kalendarii Carthaginensis, uterque proximus eorum temporum: eumdem quoque Constitutiones Apostolicae *lib.* 5. *cap.* 13. apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 1. *pag.* 312. *edit. Antuerp. citat.* , et Augustinus *de trinit. lib.* 4. *cap.* 5. *opp. tom.* 11. *col.* 80. *edit. cit. et serm.* 287. *in Natal. S. Jo. Baptistae cap.* 2. *tom.* 8. *col.* 1152. Demum quarto Saeculo Orientales Latinae Ecclesiae consuetudinem acceperunt, duasque distinctas fecere solemnitates Natalem Christi, atque Epiphaniam, et hanc quidem die VI. Januarii, illam vero die XXV. Decembris Latinorum more celebrarunt. Certe aetate Gregorii Nazianzeni, quae incidit in IV. saeculum, duae erant distinctae solemnitates, Natalis Christi, et Epiphaniae, quod manifestum est ex ejus *orat.* 39. *in Epiphan. opp. tom.* 1. *pag.* 632. *edit. Coloniae* 1690. , et Joannes Chrysostomus, qui an. 386. , primo scilicet anno sui Sacerdotii ipso die 25. Decembris in Antiochena Ecclesia orationem habuit, quae est *Homil.* 36. *in Natal. Christ. opp. tom.* 2. *pag.* 354. *edit. Venet.* 1734. » nondum, *inquit*, decimus annus » est, ex quo hic dies manifeste nobis innotuit, et ab exordio iis, qui in Occidente habitant; cognitus. » Profectam deinde a Romanis eam disciplinam dicit, quam ipsos ex veteri traditione multo ante servasse affirmat. Ex quo patet, in Ecclesiis Antiochenae Patriarchae subjectis ante annum 376. viguisse consuetudinem celebrandi eodem die Epiphaniam, et Nativitatem, et circa hunc eumdem annum alteram ab altera solemnitatem fuisse discretam, ac tum primum die 25. Decembris solemnitatem Nativitatis fuisse celebratam. Confer Baronium

*appar. ad annal. circ. fin. num.* 23. *pag.* 475. *edit. Lucae*, Florentinium in vetustissimo suo *martyrologio exerc.* 2. *pag.* 195. *seqq.*, Cotelerium *not. in Constit. Apostol. lib.* 5. *cap.* 13. *tom.* 1. *PP. Apostol. pag.* 312. *edit. Anturp. citat.*, Honoratum a S. Maria *animadv. in regul. et usum critic. lib.* 3. *dissert.* 2. *tom.* 2. *pag.* 96. *seqq. edit. Venet.* 1751., Binghamum *origin. eccles. lib.* 20. *cap.* 4. *pag.* 66. *tom.* 9. *edit. Halae Magdeburg.* 1760., Tillemontium *Histoir. ecclesiast. not.* 4. *tom.* 1. *p.* 418. *edit. Venet.* 1732. Tanta autem erat ejus diei solemnitas, ut vetitum esset jejunium, sicut in diebus Dominicis S. Leo M. *ep.* 15. *ad Turribium cap.* 4. *tom.* 1. *col.* 699. *edit. Fr. Ballerin. Venet.* 1753. Concilium Bracarense II. *can.* 4. *tom.* 6. *Concil. Labbaei col.* 518., et vetita opera servilia Auctor *Constitut. Apostol. lib.* 8. *cap.* 33. *tom.* 1. *pag.* 413. *edit. cit.*; et vetitum ejus solemnitatem in villa celebrare, nisi quem aliud facere infirmitas cogeret, Concilium Aurelianense I. *can.* 25. *tom.* 7. *Concil. col.* 547.; et clerici ea die gravibus constitutis poenis a suis Ecclesiis abesse prohiberentur, Concilium Agathense *can.* 64. *d. tom.* 5. *col.* 531., laici vero suos Episcopos communionis, ac benedictionis gratia convenire juberentur, Concilium Agathense *can.* 63. *loc. cit.*, Aurelianense I. *can.* 25. *col.* 547., et Epaonense *can.* 35. *col.* 716. *d. tom.* 3.

(6) Vetustissimum esse in Ecclesia Circumcisionis festum constat, ejusque mentio est VI. saeculo in Concilio Turonensi II. *can.* 17. *tom.* 6. *Concil. col.* 539.; sed quo primum tempore expresso circumcisionis nomine dies octava nativitatis Domini celebrari caeperit, non satis exploratum est. Ea de re late disputant Honoratus a S. Maria *animadvers. ad art. critic. lib.* 3. *dissert.* 3. *artic.* 1. *et* 2. *tom.* 2. *pag.* 101. *seqq. edit. Venet. citat.*, Pelliccia *de Christian. Eccles. polit. lib.* 4. *cap.* 2. §. 1. *sect.* 2. *tom.* 2. *pag.* 58. *edit. Bassani* 1782., Selvagius *antiq. Christian. lib.* 2. *par.* 2. *cap.* 5. §. 2. *pag.* 245. *edit. Patavii* 1780., Mazochius *in Kalendar. Eccles. Neapol. ad diem* 1. *Januar. tom.* 1. *pag.* 1. *seqq. edit. Neapol.* 1744., Card. Thomasius *sacram. Rom. Eccles. opp. tom.* 6. *pag.* 9. *edit. Romae* 1754.

(7) Epiphania proprie *apparitio* est, eoque vocabulo, ut ostendit Honoratus a S. Maria *animadvers. in regul. et us. critic. lib.* 2. *dissert.* 1. *tom.* 2. *pag.* 106. *edit. cit.*, etiam ethnici Scriptores usi sunt, ut indicarent inusitatum eventum, quo suos Deos sese hominibus ostendisse existimabant. Ecclesia huic vocabulo veram dedit significationem, cum tribuit manifestationi, et praescientiae Dei, qui humanam carnem suscepit, ut inter homines versaretur. Qui separatim a nativitate Epiphaniam celebrabant, ii pluribus de causis id faciebant: nimirum propter Christi baptismum, et stellam, quae apparuit, magosque ex Oriente duxit ad adorandum Salvatorem, propter miraculum patratum in Cana Galilaeae, cum aquam in vinum convertit, ac propter aliud miraculum, quando quinque hominum millia quinque panibus saturavit. Cuncta haec passim memorant Patres, quorum testimonia collegerunt Honoratus a S. Maria *loc. cit.* et Binghamus *origin. eccl. lib.* 20. *cap.* 4. *tom.* 9. §. 6. *pag.* 79. *seqq.*, S. Maximus Taurinensis *Homil.* 23. *pag.* 66. *edit. Romae* 1784. tria membrat acta ea die, et annua solemnitate celebrata. » Ferunt hodie, *inquit*, Christum Dominum » nostrum vel stella duce a gentibus adoratum, vel invitatum ad nuptias » aquam in vinum vertisse, vel suscepto a Joanne Baptismate consecrasse » fluenta Jordanis, suumque simul purificasse Baptistam: sed quid potissimum hoc praesenti factum sit die, noverit qui fecit.

(8) Multa sunt festa B. Virginis Mariae, sed non omnia eodem tempore sunt instituta. De singulis agunt Bollandus *ad diem* 2. *Februar. pag.*

268. *seqq. edit. Antuerp.*, ceterisque locis; in quibus haec festa singillatim explicantur; Binghamus *origin. eccles. lib.* 20. *cap.* 8. §. 4. *et* 5. *tom.* 9. *pag.* 170. *seqq. edit. Halae Magdeburg. cit.*, Bailletus *in vit. SS.*; Benedictus XIV. *de festis tot. lib.* 2. *opp. tom.* 9. *pag.* 162. *seqq. edit. Venet.* 1768. Festa haec serius originem habuisse, multi existimant, sed aliud ostendit Sebastianus Paulus *in not. ad S. Petrum Chrysologum serm.* 140. *pag.* 200. *edit. August. Vindelic.* 1758.

(9) Apostolorum festa a vetustissimis inde temporibus in Ecclesia celebrari consuevisse certum est, eo praesertim nomine, quod pro Christo martyrium pertulissent. Auctor Constitutionum Apostolicarum *lib.* 8. *cap.* 33. apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 1. *pag.* 415. *edit. Antuerp.* citat. » in Apostolorum, *inquit*, diebus opus non faciant; doctores enim » vestri fuerunt in Christo, vosque spiritu donarunt. » Ea de re lex quoque extat Valentiniani, quae descripta est in Codice Theodosiano *lib.* 2. *tit.* 8. *L.* 2. Constantinus M. Constantinopoli ingens templum Apostolorum memoriae dicatum aedificavit, uti narrant Eusebius *in vit. Constantin. lib.* 3. *cap.* 58. *pag.* 596. *edit. Taurin.*, et Hieronymus cum puer Romae esset, et liberalibus studiis erudiretur, cum ceteris ejusdem aetatis, et propositi diebus Dominicis sepulchra Apostolorum, et Martyrum circuire solitum fuisse, testatur *in Ezechiel lib.* 12. *cap.* 40. *opp. tom.* 5. *col.* 468. *edit. Veron. cit.*

(10) Martyrum solemnitates antiquissimae in Ecclesia sunt, et festa Apostolorum, uti paulo ante diximus, celebrata sunt potissimum, quod ipsi pro Christo mortem oppetiissent. Ignatii Martyris annua solemnitas memoratur in ejus actis, quae inanissimis quibusdam conjecturis reprobat Basnagius, sed quae vera habentur ab Usserio, Dodwello, Ruinartio, Bailleto, Fleuryo, Tillemontio. Paulo post Ignatium, eodemque II. saeculo martyrium passus est Polycarpus, et ejus quoque memoria festive colebatur, uti ostendit Smyrnensium epistola apud Eusebium *hist. eccles. lib.* 4. *cap.* 15. *pag.* 138. *edit. cit.* Memorat etiam has Martyrum solemnitates Tertullianus *de coron. cap.* 3. *pag.* 102., S. Cyprianus *ep.* 12. *pag.* 188., et *ep.* 39. *pag.* 223., qui clero suo mandat, ut diligenter notetur dies, quo Martyres ex hac vita migrant, sibique significetur, *ut*, inquit, *celebrentur hic a nobis oblationes, et sacrificia ob commemorationes eorum*, S. Basilius *ep.* 95. *tom.* 3. *opp. col.* 189., *et ep.* 176. *col.* 263., S. Augustinus *de Civit. Dei lib.* 8. *cap.* 27. *num.* 1. *col.* 217. *tom.* 7., *et contr. Faustum Manichaeum lib.* 20. *cap.* 21. *tom.* 8. *col.* 346., ubi refutat Manichaeorum calumnias, qui falso accusabant Catholicos, quod mortuos adorarent. Sigismundum Burgundiae Regem in memoriam Martyrum Legionis Thebaeae Basilicam, et monasterium Monachorum assidue psallentium aedificasse, scribit Gregorius Turonensis *histor. Franc. lib.* 3. *cap.* 5. *col.* 108. *et de glor. martyr. lib.* 1. *cap.* 75 *col.* 805. *edit. Paris.* 1699., itemque his Martyribus extant carmina Venantii Fortunati *lib.* 2. *cap.* 18. *pag.* 62. *edit. Romae* 1786. In his Martyrum solemnitatibus legebantur eorum passiones, quorum dies festus agebatur Concilium Carthaginense III. *can* 47. *tom.* 2. *concil. col.* 1409., atque hae forte ea de causa dictae sunt legendae, quod publice in Ecclesia legerentur.

(11) Citius martyribus, serius autem confessoribus, omnibus scilicet, qui vitae sanctitate enituerant, nec tamen martyrium pertulerant, publicus ab Ecclesia cultus tributus fuit; atque haec causa est, propter quam in canone Missae soli martyres, non item confessores nominentur, quod observant Innocentius III. *Myster. Missae lib.* 3. *cap.* 10., et Mycrologus *lib.*

*de Eccles. observ. cap.* 48. Jacobus Laderchius edito ab se libro demonstrare conatus est, SS. Confessorum, ac mulierum cultum a prima usque aetate perpetuum in Ecclesia catholica fuisse. Equidem non inficior, ab ipsis Ecclesiae primordiis privatum cultum fuisse tributum SS. Patriarchis, Prophetis, Confessoribus, Virginibus, ac Viduis, cum Catholica Ecclesia id semper certum habuerit, non solum martyres, sed etiam ceteros, quorum insignis fuit in Deum pietas, aeternam gloriam consequi, eosque etiam colendos, et invocandos esse; atque haec Patrum omnium sententia semper fuit. Sed publicus, de quo hic tantum loquimur, cultus serius tributus est Confessoribus: et hic porro IV. saeculo non videtur antiquior. Nam hac aetate floruerunt Hilarion, Antonius, duo Macarii, Paphnutius, ceteri confessores, quorum Sozomenus *Histor. Eccles: lib.* 3. *cap.* 14. *pag.* 102. *edit. Valesii Taurin. cit.* a Palaestina celebratam fuisse solemnitatem tradit. Hieronymus quoque in *vit. Hilarionis cap.* 30. *opp. tom.* 2. *par.* 1. *num.* 30. *col.* 31. *edit. Vallarsii Veron.* 1734. narrat Hilarionem IV. saeculo celebrasse diem anniversarium mortis S. Antonii. Primus ut videtur, in Occidente ex confessoribus publicum cultum obtinere caepit S. Martinus Turonensis, qui obiit an. 402., atque hunc cultum probavit Concilium Turonense II. *can.* 1. *tom.* 6. *Concil. Labbaei col.* 535., et Matisconense I. *can.* 9. *col.* 660., eique S. Benedictus in Monte Casino monasterium aedificavit. Consequenti aetate, valde auctus, propagatusque est cultus confessorum; ac merito Synodus Atrebatensis *cap.* 11. *tom.* 11. *Concil, col.* 1179. damnavit haereticos ajentes, solis Apostolis et martyribus venerationem ab Ecclesia esse impendendam. Consule Cardinalem Bonam *rer. liturgic. lib.* 1. *cap.* 15. §. 2., *ibique* Salam *in not. num.* 5. *tom.* 1. *pag.* 304. *seq. edit. Taurin.* 1747., Mabillonium *praefat. in saec. V. Benedict. num.* 93. *et* 97, *pag. XLVI.*, *et XLIX. edit. Venet.*, Cardinalem Thomasium *praefat. ad Cod. sacram. Eccles. Roman. num.* 5., et ipsius Thomasii vindicias Panormi editas an. 1723., praesertim *cap.* 4. *pag.* 52., *et seqq.*, Cardinalem Bellarminum *de Missa lib.* 6. *cap.* 8. §. *tertio objecto opp. tom.* 3. *pag.* 429. *edit. Venet.* 1721., Joannem Filesacum *de Sanctorum festis diebus*, Ludovicum Anton. Muratorium *de Sanctorum Martyrum natalibus*, utrumque apud Fleuryum *disciplina populi Dei dissert.* 25. *et* 26. *tom.* 3. *pag.* 89. *et* 90. *edit. Venet.* 1782.

§. VII. Festi dies vel mobiles, vel immobiles sunt. Mobiles dicuntur, qui non eodem die quovis anno celebrantur; immobiles, qui certis semper diebus haerent; atque hi sunt Natalis Domini, Circumcisio, Epiphania, dies festi B. Mariae Virginis, et Apostolorum. Dierum festorum mobilium celeberrimus est Paschalis, a quo omnes reliqui mobiles pendent. Pascha antecedit jejunium quadragesimale, ad quod praeparantur animi tribus hebdomadis, quae proxime antevertunt; et quarum prima *septuagesima*, altera *sexagesima*, postrema *quinquagesima* est (1). Pascha sequitur Ascensio Domini post dies quadraginta, post quinquaginta Pentecostes. Reliqui dies Dominici usque ad Adventum, et ab Epiphania usque ad Septuagesimam numeris distinguntur. Ergo infigendo Paschate praecipuus labor.

(1) Plures olim, ac praesertim Monachi a carnibus abstinentes sese ad Quadragesimam praeparabant; et vero Graeci hanc abstinentiam inchoabant a die, qui Dominicam Sexagesimae sequebatur: post Dominicam vero Quinquagesimae non solum carnibus, sed ne lacte quidem, et ovis vescebantur. Itaque a Graecis hebdomada Quadragesimae dicitur Ἀπόκρεως, hoc est *carnis privium*; qua de re videndi Meursius *in glossar. verb.* *ἀπόκρεως opp. tom.* 4. *pag.* 194. *seq. edit. Florentiae* 1741., et Svicerus *thesaur. eccles. eod. verb.*; quo vocabulo non raro utuntur mediae aetatis Scriptores, ut designent tempus Baccanalium, quoniam tune Christiani carnibus privabantur. Inde ortum forte est vocabulum *carnevale*, quia tune Christiani carni valedicebant; et hinc a tollendis deserendisque carnibus hoc idem tempus *carnelevamen*, et *carnem laxa* appellatum putat Muratorius *Antiquit. Italic. dissert.* 72., unde etiam vocabulum *carnevale* effici potuit. Confer etiam Du-Cangium *glossar. med. et infim. latinitatis verb. carnelevamen* et *carnisprivium*.

§. VIII. Magnae olim de Paschatis celebrandi tempore fuerunt controversiae. Asiani antiquam traditionem a Joanne Apostolo profectam sese observare contendebant, ipsaque luna XIV., quo die jussi erant Hebraei agnum immolare, horum more Pascha celebrabant. Contra Romani Pontifices secundum Apostolorum traditionem hanc solemnitatem differebant ad diem dominicum, qui post aequinoctium vernum ipsam lunam XIV. proxime sequitur. Romam ea de re venit Polycarpus Smyrnensium Episcopus, ut cum Aniceto Pontifice consilia conferret; sed re infecta discessit, integro remanente vinculo pacis, et communionis, atque Asianae Ecclesiae in sua sententia perseverarunt (1). Diu res eo statu mansit; atque interim plura habita sunt concilia, quibus probata est sententia eorum, qui die dominico post lunam decimamquartam celebrandum Pascha existimabant (2).

(1) Irenaeus *ep. ad Victor.* apud Eusebium *histor. eccles. lib.* 5. *cap.* 24. *pag.* 216. *edit. Taurin.* 1746.

(2) *Eusebius lib.* 5. *cap.* 23. *et* 25. *pag.* 209. *et* 217. Hieronymus *de vir. illustr. cap.* 43. *opp. tom.* 2. *col.* 870. *edit. Vallarsii Veron. citat* memorat ea de re epistolam Theophili Cesareae Palestinae Episcopi quam *valde utilem dicit* Confer etiam Synodicum apud Justellum *Biblioth. Jur. canon. tom.* 2. *pag.* 1169. *et* 1170.

§. IX. Sed Victore Pontifice recruduit controversia, cum Polycartes Ephesinus Episcopus post habitam Asianorum Episcoporum synodum magna cum pertinacia defendit, non diem Dominicum, at ipsam lunam decimamquartam esse oportere Paschatis celebrandi diem (1). Tantam hanc pervicaciam mi-

nime tolerandam putavit Summus Pontifex, ideoque omnes, quia ea die figerent paschalem solemnitatem, a communione abscindere minatus est (2). Durior, et asperior haec agendi ratio visa est quibusdam Episcopis, et Irenaeus Gallicanae Ecclesiae caput, licet in eadem esset cum Victore sententia, tamen eum modeste hortatus est, ut mitiora sequerentur consilia, neque expelleret ab Ecclesiae Catholicae communione insignes Ecclesias, quod sibi in antiqua traditione haerendum putabant (3). Sed Victor majorem ab se adhibendam credidit severitatem, propterea quod Blastus Romanae Ecclesiae Presbyter in hac Paschatis celebritate schisma suum constituerat; quod diutius tolerari non poterat (4). Denique Nicaeno Concilio probatum, confirmatumque est quod a Romanis Pontificibus decretum fuerat Atque hi, qui Pontificiae, et Nicaenae sententiae de celebrando paschate pervicacius obsistere sunt ausi, haeretici, et schismatici habiti sunt, et Quartadecimani, Protopaschiti, Tessarescaedecatitae, atque ab eorum ducibus Audiani, et Sabbatiani appellati, in quo etiam civiles leges animadverterunt (5).

(1) Eusebius *Histor. eccles. lib.* 5. *cap.* 24. *pag.* 211.

(2) Eusebius *ibid. pag.* 212., quem in locum videndus Valesius *in not.* qui ostendit, Victorem graves quidem in Asianos Episcopos edidisse minas, sed eos revera numquam a sua communione sejunxisse.

(3) Eusebius *ibid.*

(4) Confer Fleuryum *Histoir. eccles. lib.* 4. *num.* 45. *pag.* 594. *seqq. edit, Paris,* 1691,

(5) *L.* 9. *et* 59, *Cod. Theodos. lib.* 16. *tit.* 5., *L.* 6. *lib.* 16. *tit.* 6., *L.* 24. *lib.* 16. *tit.* 10, Confer Epiphanium *lib.* 2. *heres.* 50. *tom.* 1. *pag.* 419., *et lib.* 3. *haeres.* 20. *tom.* 1. *num.* 9. *pag.* 820. *edit. Coloniae* 1682., et Augustinum *de haeres. tom,* 8, *col.* 10. *opp,*

§. X. Quamquam vero omnes catholicae Ecclesiae de celebrando Paschate in die Dominico consentirent; non una tamen, eademque erat cunctarum sententia in hoc die constituendo. Cum enim mobile esset festum, non ita facile erat decernere, quo die Dominico illud agere oporteret. Interdum enim eveniebat, ut aliquae Ecclesiae una hebdomada, vel mense citius, quam reliquae, festum illud celebrarent; et Ambrosius quidem (1), pascha ter distinctis temporibus anno 387. celebratum narrat, ab aliis scilicet XII. Kal. Apriles, ab aliis XIV. Kal. Majas, ab aliis VII. Kal. Majas. Idem accidit anno 577.,

quoniam Ecclesiae, quae in Gallia erant, XII. Kal. Apriles, quae in Italia, Kal. Majas, quae in Egypto, VII. Kal. Majas Pascha celebrarunt (2). Similiter Leo M. tradit an. 455. octo dierum intervallum inter Romanorum, et Alexandrinorum Pascha intercessisse (3).

(1) S. Ambrosius *ep.* 23. *num.* 15. *seqq. col.* 94. *tom.* 3. *edit. Venet. cit.*
(2) Consule Binghamum *antiq. eccles. lib.* 20. *cap.* 5. §. 4. *tom.* 9. *p.* 99.
(3) S. Leo M. *ep.* 121. *cap* 2. *col.* 1229., *et ep.* 122. *col.* 1232. *opp. tom.* 1.

§. XI. Tanti hujus discriminis ratio, *quod* non omnes uno, et eodem cyclo uterentur. Priscos christianos Hierosolymitanos adhibuisse constat cyclum judaicum annorum 84, quo Judaei aliquanto ante ad constituendam anniversariam paschati sui celebritatem usi fuerant. Cyclum hunc per ducentos fere annos Christiani adhibuerunt, quamquam pascha suum die Dominico, non quartadecima luna cum Hebraeis observarent (1). Post judaicum statum prorsus ab Hadriano sublatum, Christiani alios cyclos adhibere caeperunt, cum novissent judaici errores, qui interdum pascha aequinoctio verno praeponebat, ita ut illud aliquando bis in uno anno fieret. Hippolitus Portuenis in Arabia Episcopus circa annum 220. cyclum composuit annorum sexdecim; alium annorum octo non multo post dedit Dionysius Alexandrinus Episcopus; alium an. 270. undeviginti annorum Anatolius similiter Alexandrinus (2). Sed cum res nondum esset satis comperta, et explorata, Synodus Nicaena, quae die tantum Dominico Pascha celebrandum decreverat, omnem hanc curam Alexandrinis Episcopis commisit, ut ipsi reliquos Episcopos quoquo anno certiores facerent de die Dominico, quo Pascha celebrare oporteret (3).

(1) Aliud sane visum est Josepho Scaligero *de emendat. temp. lib.* 2., sed cum egregie refutant Guillelmus Beveregius *in can.* 7. *Apostol.*, et Jacobus Usserius *Prolegom. ad Ignatium cap* 9., uterque apud Cotelerium *PP. Apostol. tom.* 1. *pag.* 464., *et tom* 2. *pag.* 218. *edit. Amstelod.* 1724. Vide etiam Petavium *de doctrin. temp. lib.* 2. *cap.* 51. *seqq. tom.* 1. *pag.* 106. *seq. edit. Veronae* 1734., ubi de his cyclis copiose disseritur.
(2) Omnia narrat Eusebius *Histor. eccles. lib.* 6. *cap.* 22., *et lib.* 7. *cap.* 20. *et* 32. *pag.* 248. 301. *et* 320.
(3) S. Leo M. *ep.* 121. *col.* 1228. *et ep.* 127. *col.* 1248.

§. XII. Verum Nicaenum hoc decretum, vel non ubique

observatum, vel progressu temporis antiquatum est. Nam Cyrillus Alexandrinus (1) de gravi queritur confusione, quae de tempore celebrandi Paschatis ubique dominabatur, cum Romanorum, et Alexandrinorum rationes una quandoque hebdomada, vel mense inter se discreparent. Romana enim Ecclesia adhuc vetusto cyclo judaico annorum 84., non autem novo Alexandrino annorum 19. utebatur. Denique rem perfecit Dionysius Exiguus an. 525., qui in Romanam Ecclesiam induxit canonem Alexandrinum, atque ita omnes inter Romanos, et Alexandrinos ea de re controversiae sublatae sunt. Sed adhuc magna erat confusio ob discrimen, quod est inter annum astronomicum, et civilem, quo utimur, neque recte novilunia constabant; ideo Gregorius XIII. P. fastos emendandos curavit, et nunc post Gregorianam emendationem ex fastis perpetuis, et Kalendariis, quae singulis annis evulgantur, facile deprehendimus ordinem anni tum civilis, tum ecclesiastici (2).

(1) Cyrillus Alexandrinus *ep. paschal.* apud Bucherum *de doctrin. tempor. pag.* 481. *seqq. edit. Antuerp.* 1634.

(2) Saeculo superiori hujusmodi argumentum, quod pertinet ad Gregoriani Kalendarii emendationem, atque ad tempus celebrandi paschatis, late pertractavit Jacobus Bettazzius Pratensis, qui anno 1732. Florentiae librum edidit, cui titulus: » Epitome operis paschalis proferens necessita- » tem emendandi correctionem Gregor., deinde opportunam ejusdem Gre- » gor. emendationem sine Kalendarii, et martyrologii variatione, atque » exhibens dissertationes IV., et appendices II. ad materiam de Cycli Pas- » chalis constitutione emendandam. » Cujus operis deinde ipse Bettazius defensionem edidit.

§. XIII. Festi dies quidam universe toto orbe observantur, uti sunt dies dominici, Pascha, Pentecostes, ceterae majores solemnitates; quidam vero certarum regionum proprii, et peculiares sunt. Ita unaquaeque fere Civitas suum habet patronum, cujus festum diem agit cum venia Sedis Apostolicae (1); atque in Provinciis quibusdam certi sunt festi dies antiquissima majorum traditione constituti. Sed et quidam sunt festi dies, in quibus ubique Christiani tum Missae sacrificio interesse, tum ab omnibus servilibus operibus sese abstinere debent; et quidam sunt minus solemnes, in quibus alicubi Christianis post auditam Missam suis rebus vacare permittitur, ac pauperibus licet victum sibi ex suis laboribus comparare.

(1) De eligendo sancto patrono alicujus civitatis, aut provinciae, cujus ab universo populo festus agatur dies, habes apud Lucium Ferraris *Bibliot. verb. festa num.* 4. decretum sac. Congregationis Rituum, quod jussu Urbani VIII. editum est 23. Martii an. 1630. Ejus autem decreti summa est, ut ii tantum eligantur Patroni, qui Sanctorum albo adscripti sunt, non item qui tantum beati dicuntur; ut haec electio fiat per secreta suffragia ab universo populo cum Episcopi, et Cleri consensu: ut hujus electionis causae sac. Rituum Congregationi aperiantur, ab eaque noscantur, et approbentur.

§. XIV. Summus Pontifex, cujus potestas in totam fertur Ecclesiam, constituit festos dies, qui ab omnibus de praecepto observandi sunt (1). Idemque diminuit numerum minorum festorum (2); quod superiori saeculo factum est a Benedicto XIV., qui rogantibus Episcopis, et conquerentibus, quod propter festorum multitudinem, vetitosque labores pauperibus eriperetur occasio sibi comparandi victum, et universa fere festa minus religiose observarentur, diebus festis minus solemnibus, integro praecepto audiendi missam, laborandi facultatem attribuit (3). Quod iisdem de causis ab aliis quoque Summis Pontificibus simili rogatu Episcoporum plus semel factum est.

(1) Consule Urbanum VIII. *Const. universa* 720. *Bullar. tom.* 6. *par.* 2. *pag.* 341. *edit. Mainardi Romae*. Episcopus in sua dioecesi dies festos praecipere posse quidam negant; sed mihi a Synodo Tridentino *sess.* 25. *cap.* 12. *de Regular.* haec facultas Episcopo perspicue concedi videtur. Urbanus autem VIII. in laud. Constitutione *universa* §. 3. monet quidem Episcopos, ut se a novis festis praecipiendis abstineant, ne nimia eorum copia mali aliquid pariat, non tamen ipsis adimit hanc facultatem. Consule Gonzaletium *in cap. ult. num.* 17. *de feriis*, et Lucium Ferraris *Biblioth. verb. Festa in nov. addit. num.* 2. Sunt autem etiam a Regularibus, ceterisque exemptis observandi dies festi, quos Episcopus in sua dioecesi observari jussit Concilium Tridentinum *loc. cit.* Vide Giraldium *Exposit. Jur. Pontific. par.* 2. *sect.* 166. *pag.* 1042.

(2) Extant inter epistolas selectas Cardinalis Bonae duae ipsius literae, nimirum 258. et 259. datae ad Jo. Baptistam Thiersium auctorem operis *de dierum festorum imminutione*, atque postrema ipsa reprehendit Thiersium, qui putaverat, Episcopum posse in sua dioecesi tollere dies festos in universa Ecclesia receptos, atque id tantum a Summo Pontifice fieri posse animadvertit. Confer ea de re peculiarem dissertationem editam a Benedicto XIV., quae descripta est in opere, quod refertur *tom.* 9. ejus *opp.*, *de Canonizatione Sanctorum lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 16.

(3) Adeundus est Benedictus XIV. *Const. non multi* 63. *ejus Bullarii tom.* 2. *pag.* 303. *ed. Romae.*

# DE
# ORDINE COGNITIONUM

## TITULUS X.



Decretum 2. *q.* 2. *et* 3. *q.* 1. 2., Codex *lib.* 3. *tit.* 8. *de ordin. judic.*

### §. I.

Lite contestata, et emisso calumniae juramento, datisque, et finitis dilationibus reo concessis ad parandas, proponendasque exceptiones, fit progressus ad cursum judicii expediendum. Si reus lapsis dilationibus in jus non veniat, neque respondeat, ob ejus contumaciam actor mittitur in possessionem bonorum rei; contra si se judici sistat, tum actoris probationes, tum rei exceptiones a judice expendendae sunt. Sed quoniam antequam reus actoris petitioni respondeat, saepe ipse quaestionem aliquam proponit vel per modum actionis, vel per modum, quod frequentius est, exceptionis; hinc evenit, ut saepe duae pluresve quaestiones in eodem judicio definiendae judici offerantur. Itaque hoc titulo videndum est, quo ordine quaestiones hujusmodi noscendae, ac ferenda sententia sit; ne ex praepostero rerum ordine perturbatio oriatur, et magna confusio. Huc nimirum spectat cognitionum, seu judiciorum ordo; scilicet cum plures in eodem judicio, et inter easdem personas concurrunt quaestiones, videndum est quae antea, quae postea cognoscenda sit; qua in re certae observandae sunt regulae, ut omnia suo loco, suoque ordine expediantur.

§. II. Sunt autem quae in medio cursu judicii interdum existunt, causae, et quaestiones vel *prejudiciales*, quae praejudicium faciunt, ita ut ex earum judicio pendeat decisio totius negocii, de quo disceptatur; vel *incidentes*, quae nimirum incidunt in ipsa lite, cujus gratia institutum est judicium; *praeparatoriae*, quarum decisio alterius decisionem faciliorem reddit; vel quae quidem *ex eodem negocio* oriuntur, sed tamen ad *diversa* tendunt, neque a se invicem pendent.

§. III. Praejudiciales quaestiones expediendae sunt ante causam, quae primum postulat, earum judicium, ut recte definiatur. Sic exceptio excomunicationis actori objecta, et probata eum a judicio repellit (1); sic exceptio clericatus facit, ut judex suo fungi officio nequeat, nisi primum competens demonstretur; sic exceptio natalium dirimit controversiam de successione, et hereditate, quam quis petiit jure cognationis (2); sic demum exceptio impedimenti dirimentis explanat judicium de veritate alicujus matrimonii (3). Quae omnes hujusmodi exceptiones dijudicandae sunt, antequam cognoscatur actio praecipua, cujus gratia judicium institutum est.

(1) *Cap* 19. *de judic.*
(2) *Cap.* 3. *de ordin. cognit.*
(3) *Cap.* 1. *eod.* Sed tamen rectissime animadvertit Jacobus Cujacius *in cit. cap.* 1. *opp. tom.* 6. *col.* 802. *edit. cit.* id quidem obtinere, cum reus actoris intentionem confitetur, verum praejudicialem, et peremptoriam exceptionem proponit. Sed contra cum reus non confitetur actoris intentionem, haud ante est probanda exceptio sive dilatoria, sive peremptoria, quam actor probaverit intentionem suam *L.* 9. *Cod. de praescription. long. temp.*, *L.* 9. *Cod. de excep.*, *L.* 19. *Cod. de probat.*, nimirum quia actore non probante reus absolvitur, quamquam ipse exceptionem suam non probaverit, *L.* 4. *Cod. de eden.*, *Cap.* 3. *de caus. possess.*

§. IV. Causae incidentes ab eodem cognoscendae sunt judice, cujus est de praecipua causa judicare, quamquam ipse minus competens esset, si de iis praecipue judicium institutum fuisset (1); nisi causa civilis incidens sit ecclesiastica, quam ne incidenter quidem cognoscere laicus judex potest (2); quamquam contra integrum sit judici ecclesiastico de causa civili incidente judicare (3).

(1) *L.* 1. *Cod. de ord. judic.*, *L.* 3. *Cod. de judic.*

(2) *Cap. 3. de ordin. cognit. Cap. 7. qui fil. sint legit.*
(3) *Cap. 3. de donat. int. vir. et uxor.*

§. V. Causam quoque *praeparatoriam* prius definiri judiciali ordini aptum, et conveniens est (1). Sic prius possessionis, quam proprietatis causa cognoscenda est (2), quoniam illa praeparat judicium petitorium, , eaque definita constat, quis in hoc judicio possessionis beneficio frui debeat, et probandi onere solutus sit. In quaestionibus civilibus, quae diversae sunt, neque a se invicem pendent, licet ex eodem negocio oriantur, videndum est, quomodo exceptiones propositae sint. Si per modum *actionis* separato judicio, utraque actio in proprio foro expeditur, si per modum *reconventionis* in eodem foro vicissim tractanda, atque eadem sententia utraque definienda est (3); si per modum *exceptionis peremptoriae*, haec quidem priori loco cognoscenda est, quoniam ea cognita, nulla amplius de praecipua causa, quae ab illa pendet, controversia esse potest.

(1) *L. 35. ff. de acquir. et amitten. possess., L. 13. Cod. de rei vindicat.*
(2) *L. incerti 3. Cod. de interdict.*
(3) *Cap. 2. de ordin. cognit.*

§. VI. Sed adversus hanc incidentem quaestionem necesse non est peculiarem sententiam emittere; quoniam tacite rejecta habetur per sententiam huic exceptioni contrariam, quae super praecipuo negocio lata est (1). Ita si petenti hereditatem jure cognationis opposita sit exceptio natalium, hanc sane exceptionem refutat sententia, quae actori successionem adscribit. Quod sane verum est, cum unus, idemque est actionis, et exceptionis judex. Nam si duo, iique diversi sunt, definienda est per sententiam exceptio ab hujus judice, antequam alter de actione sententiam ferat (2). Verum non est ita, cum in medium allatae sunt dilatoriae exceptiones, quae non solum ante causam praecipuam cognoscendae sunt, sed etiam per sententiam judicandae, ac definiendae. Ex eo genere sunt exceptio latae sententiae, juramenti, transactionis, per quas opponitur, quod lis ab actore mota finita est per sententiam, juramentum, transactionem; ita ut ea de re amplius disputari non possit. Huc etiam vo-

canda est exceptio adversus judicem, et actorem, quod alteruter, vel uterque excommunicatus sit.

(1) *Cap. suborta 21. vers. nimirum de senten. et re judic.*
(2) *Cap. per tuam 3. de ordin. cognit., Cap. lator. 5. qui fil. sint legit.*

§. VII. Causa major ante minorem cognoscenda est, nisi ista sit praejudicialis (1). Sic causa spiritualis praecedit temporalem (2), criminalis civilem (3), nisi illa plane ab hac pendeat (4), causa proprietatis causam servitutis; et ideo si quis fundum petat, et simul huic fundo servitutem itineris per fundum vicini affixam esse contendat, primum de proprietate, postea de servitute quaerendum est (5). Cum ejusdem momenti sunt causae, ambaeque praecipuae, civilesque, et aequales, quae primum est proposita; primum item judicanda est (6).

(1) *L. per minorem. 54. ff. de judic.*
(2) *Arg. cap. quod in dubiis 3. de consecr. eccles. vel altaris.*
(3) *L. 3. et 6. Cod. de ordin. cognit.*
(4) *L. 1. Cod. de appellat.* Verum haud raro judex utramque causam et civilem, et criminalem uno judicio absolvit, cum scilicet actor quaestionem utramque proposuit, *L. 4. §. 4. ff. fin. regund., L. 1. de publ. judic., L. 3. Cod. de ordin. judic., L. unic Cod. quand. civil. act. crimin. praejud.* Quod si actio criminalis praecipue mota est, et reus civilem quaestionem instituit, primum illa tamquam gravior noscenda est, *L. 5. §. 1. ff. ad Leg. Jul. de vi publ. L. 33. Cod. ad L. Jul. de adulter.* Quod etiam dicendum videtur, si quaestio civilis instituta sit, ac reus actorem criminis accusaverit; nam causa civili tamdiu supersedendum est, quamdiu criminalis absoluta fuerit, *L. 4. Cod. de ordin. judic.*
(5) *L. fundum 16. ff. de except. L. de servitutibus 2. §. [illegible] 1. ff. si servit. vind.*
(6) *L. qui prior 29. ibique* Glossa *ff. de judic.*

§. VIII. Etiam exceptio spolii praevertit actionem, cujus gratia reus in jus vocatus est. Nimirum si reus adversus actorem spolii exceptionem proponat, priore quidem loco haec exceptio noscenda, ac per sententiam interloqutoriam definienda est, neque ipse reus cogitur respondere, nisi primum, judicio probata exceptione spolii, fuerit restitutus. Nam haec dilatoria exceptio cursum retardat judiciarii processus in causa principali; idcirco prius cognosci, ac finiri debet. Cum spolium per actionem est propositum, ante omnia qui spolium admisit,

rem domino cogitur restituere. Quod si et reus, et actor de spolio agant, duae existunt praecipuae causae, in quibus uterque reus est, et utraque causa conventionis, et reconventionis simul tractari, ac definiri debet. Reliqua quae ad spolii judicium pertinent, peculiari titulo explicabimus.



# DE PLUS PETITIONIBUS

## TITULUS XI.

I. Plus petitio quid? II. et III. Poenae contra plus petentes

Institutiones *lib. 4. tit. 6. §. 33.* Codex *lib. 3. tit. 10.*

§. I.

Inter incidentes quaestiones, et exceptiones, quae actori vel ante, vel post litis contestationem opponi possunt, illae etiam recensentur, quod ille plus petierit, quam sibi revera debeatur. Hinc post titulum *de ordine cognitionum* statim occurrit titulus *de plus petitionibus.* Est autem plus petitio inordinata petitio actoris, qui a reo apud judicem plus petit, quam quod sibi revera debeatur; idque fit quatuor modis, re, tempore, loco, et causa. Re plus petitur, si ex. gr. petantur triginta, cum viginti deberentur, aut si is, cujus ex parte res est, vel eam totam, vel majorem partem suam esse contendat; tempore, si ante constitutum diem, vel ante impletam conditionem actio institutatur: loco si quis quod sibi certo loco dari stipulatus est, alio petat, nulla illius loci facta mentione; causa si quis certam rem petat, cum debitor posset dare, quod mallet suo arbitratu (1).

(1) *Instit.* § 33. *de action.*

§. II. Jure veteri plus petens actor causa cadebat (1); sed jure novo civili aliae adversus plus petentium importunitatem poenae sunt constitutae (2). Jure canonico, qui re, aut causa plus petunt, in expensas condemnantur; qui loco, in id, quod debitoris interest; denique qui tempore plus petierit, duplo majores inducias reo tribuere debet, neque hic cogitur judicium suscipere, nisi antea prioris litis expensae solvantur (3). Nunc fere ubique receptum est, ut reus ante tempus

conventus tantum a judicii observatione liberetur, et actor quidem in litis expensas condemnetur; sed ei tamen integrum sit reum in judicium vocare, cum primum obligationis diem venisse constat. In ceteris hujusmodi petitionibus reo licet offerre plus petenti, quod se debere judicat; id vero si non accipiat actor, neque aliud revera judex deberi intelligit, idem uti temere litigans in expensas condemnatur (4).

(1) Paulus *recept. sentent. lib.* 1. *tit.* 10. §. 1. apud Schultingium *Jurispr. vet. antejustin. pag.* 241. *edit. Lipsiae citat.*, §. 33. *Instit. cit.* Hine illud Plauti *in Mostellar. act.* 3. *scen.* 1. *vers.* 123. *pag.* 528. *tom.* 1. *Lugdun. Batav.* 1669. *velim quidem hercle, ut uno nummo plus petas.* Num autem id lege decem tabularum, an potius edicto Praetoris statutum fuerit, non satis exploratum est. Consule Raevardum *variar. lib.* 3. *cap.* 14. *pag.* 69. *tom.* 2. *edit. Neapol.* 1779., et Cironium *Paratil. in Decretales Gregorii IX. lib.* 2. *tit.* 11. §. 2. *tom.* 1. *edit. Vindobon.* 1761.

(2) Zeno Imperator adversus eum, qui ante tempus petiit, temporis inducias duplicari, atque his finitis reum non cogi posse voluit ad suscipiendam litem, nisi prioris litis expensae solutae fuissent. Constitutio haec desideratur, sed ejus epitomen ex Basilicis edux. Cujacius *observat. lib.* 12. *cap.* 21. *opp. tom.* 3. *col.* 319. *edit. cit.* Contra eos, qui re, aut loco, aut causa plus peterent, tripli poenam constituit Justinianus *cit.* §. 33. *Inst. de action.*

(3) *Cap. unic. de plus petition.*

(4) Consule Vinnium *in Instit. lib.* 4. *tit.* 6. §. 3., et Voetum *in Pandect. lib.* 5. *tit.* 1. §. 25.

§. III. Silent tamen hae poenae, cum legitima fuit plus petendi excusatio. Quo referendae probabilis ignorantia expers cujusvis doli (1), et libello expressa denunciatio petendi re vera quod magis est justum, et mutata importuna petitio ante litis contestationem (2), et a reo non opposita plus petitionis exceptio, et minor aetas, quae in integrum restitutionis beneficio fruitur (3), et justa causa petendi rem vel ante tempus, vel alio loco. Sic cum debitor fugitivus est, aut de fuga suspectus, licet cautionem petere; cum vir ad inopiam vergit, etiam constante matrimonio, dos repetitur, aut saltem cavendum est, ut ea tuta sit; cum debitor in constituto loco reperiri, aut in jus vocari non potest, recte alio loco solutio petitur. Horum similia et alia esse possunt, quae sapientis judicis arbitrio aestimantur.

(1) *L. penult. Cod. ad L. Falcid.*

(2) *L. ult. Cod. de plus petition.*, *Cap. unic. eod. tit.*

(3) §. *si quis agens* 33. *Inst. de action.*

# DE
# CAUSA POSSESSIONIS,
## ET PROPRIETATIS

### TITULUS XII.



Clementin *h. t.*, Institutiones *lib.* 4. *tit.* 15. Pandectae *lib.* 40. *tit.* 1. 2. praesertim *lib.* 43. *per totum*, ubi agitur de interdictis, Codex *lib.* 8. *tit.* 1. *ad* 13.

§. I.

De causa possessionis, et proprietatis saepe in judicio quaeritur; et ideo videndum est, quo ordine utraque haec causa tractanda sit. Nam possessio, et proprietas duo diversa sunt (1), et ideo suo peculiari judicio, suoque ordine utraque haec causa cognoscenda est. Rectus autem judiciorum ordo est, ut prius de possessione, postea de proprietate disputetur (2), et ideo, cum duo inter se de re aliqua contendunt, primum agendum est de possessione sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda. Sunt enim haec tria possessoria judicia, seu remedia, quae interdicta vocantur, hoc est actiones a Praetore introductae, per quas aliquis de possessione judicium exercet, sive ut consequatur possessionem, quam non habet, sive ut retineatur in ea, quam habet, et in qua turbatur, sive ut recuperet eam, quam amisit (3).

(1) *L. naturaliter* 12. §. *nihil* 1. *ff. de acquir. vel amitten. possess.*

(2) *L.* 3. *Cod. de interdict. L.* 3. *Cod. de rei vindic.*
(3) §. *sequens* 2. *Instit. de interdict.*

§. II. Absoluto per judicis sententiam possessorio judicio, fit progressus ad petitorium, quod recte Jurisconsusultus *dominii* litem appellat (1), et in quo non de possessione quaeritur; sed de dominio, et proprietate. Illud autem de possessione judicium discretum a proprietate, et dominio facit, ut qui ex eo superior discessit solutus sit ab onere probandi, ac victus debeat in petitorio judicio jus suum ostendere, quod nisi praestet, res a possessore retinetur (2). Similiter neque titulum edere possessor cogitur (3); et in pari causa melior ejus conditio est, ac pro eo ferendum judicium, cum dubia res est, et obscura (4).

(1) *L.* 18. *ff. de usur.* §. 4. *Inst. de interdict.*
(2) *L. cogi* 11. *Cod. de petit. hered.*, *L. res alienas* 28. *Cod. de rei vindic.*
(3) *L. ait Praetor* 1. *et L. justa* 2. *ff. uti possid.*, *et L. in pari* 171. *ff. de regul. jur.*

§. III. Utrumque judicium possessorium et petitorium ab uno eodemque judice agendum est (1); quia licet possessio a proprietate distincta sit, tamen altera alteri connexa est, et utraque rem eamdem attingit, quique causam possessionis cognovit, facilius definire potest causam proprietatis (2). Quod adeo verum est, ut etiam judex delegatus, cui commissa est generatim, atque universe causa vel possessionis, vel proprietatis, non singillatim, et speciatim alterutra tantum, recte de utraque judicet (3). Verum id secus est, cum aliud est rei, aliud actoris forum. Nam si actor sit clericus, et causam in possessorio obtinuerit coram judice saeculari rei, eo finito frustra vocatur super proprietate ad eumdem judicem, qui competens non est adversus ecclesiasticum (4).

(1) *Cap. susceptis* 1. *de caus. possess. et propriet.*
(2) *Cap. nulli* 10. *Cod. de judic.*
(3) *Cap. ad hoc vers. Caelestinus de sequestr. possess.* Itaque regula, quod judex delegatus, postquam sententiam tulit, suo functus officio habeatur, ac tantum curare debeat, ut ea exitum consequatur, *Cap. in literis* 9. *de offic. jud. delegat.* intelligi debet, si judex de toto negocio, non si tantum de ejus parte pronuntiavit.
(4) *Cap. ult. de judic.*

§. IV. Sed ut celerius judicia properent ad suum finem, qui est dominium, et proprietas, (nam victor in possessorio judicio rem ad tempus retinet, sed ea demum deferenda est ad eum, qui se rei dominum esse ostenderit) rectissime constitutum est, ut aliquando judicium possessionis conjungi cum proprietatis judicio possit, et utrumque una, et eadem sententia definiri. Magna olim ea de re disputatio fuit inter Martinum, cui placuit haec possessorii, et potitorii judicii copulatio, interque Azouem, Joannem, Accursium, quibus ea displicuit; sed Jus Canonicum Martini opinionem probavit, quae juri Civili adversatur (1). Verum non cuivis possessorio interdicto haec de cumulando possessorio, et petitorio judicio juris disciplina apta, et conveniens est.

(1) Confer Cujacium *observ.* 39. *lib.* 7. *opp. tom.* 3. *col.* 176 *edit. cit.*

§. V. Interdictum adipiscendae, et recuperandae possessionis recte congruit cum hac possessorii, et petitorii judicii conjunctione; sed eam non patitur interdictum unde vi, quod proponit per vim dejectus ex rei suae possessione, qui primum restituendus est, antequam de possessione disputetur (1). Interdictum uti possidetis, sive retinendae possessionis utrumque judicium aliquando consociari permittit, quando scilicet aliquis petitorio agit nesciens se in possessione versari, aut cum tantum civilem retinet possessionem amissa naturali, aut cum adversarius rem tantum detinet, contra quem agitur, ut desinat detinere, denique cum quaestio est de rebus incorporalibus, ex. gr. juribus, servitutibus. In his enim licet aliquis in possessione sit; si tamen ab altero molestias perferat, potest una cum interdicto retinendae possessionis simul instituere judicium petitorium, videlicet actionem in rem confessoriam, per quam petat declarari a judice, quod Adversarius jus nullum habeat, et ideo cunctis molestiis modum, et finem facere cogatur (2). In ceteris qui agit interdicto retinendae, cumulare nequit petitorium, per quod adversarium possidere fateretur.

(1) *L. si de vi* 37. *ff. de judic.*
(2) *Cap. cum super* 4. *de caus. possess.*, *et propriet.* §. *aeque* 2. *Inst. de action.*

§. Est autem possessorium retinendae vel summarium, vel ordinarium. Summarium non servato juris ordine, ac sine longo litis ambitu expediendum est, et in eo solum quaeritur, quis praesentem possessionem quomodocunque demonstrare possit, ut inde constet; quis interim, dum uterque sese possessionem habere contendit, possidere debeat. Quod sapienter est constitutum, ne duobus inter se de possessione contendentibus, dum uterque tuetur suam, mala gravissima exoriantur. In hoc summario judicio plane non definitur causa possessionis; tantum providetur, ut interim pendente lite sit possessor, et quasi custos rei, quae demum ejus domino in petitorio judicio adjudicanda est. Hinc possessor cavere debet, se rem deteriorem non facturum, eoque non cavente possessio trasfertur in petitorem, qui cavit (1), eo fere modo, quo jus civile in adscribenda interim bonorum possessione ex Carboniano edicto fieri mandat (2).

(1) *L. unic. Cod. uti possidetis.*
(2) *L. de bonis 6. §. ult. ff. de Carbonian. edict.*, eoque facit Paulus *recept. sentent. lib. 1. tit. 11.* ibique Schultingius *Jurisprud. vet. ante justinian. tom. 1. pag.* 242.

§. VII. Ordinarium est, in quo de antiquiori, et potiori possessione disputatur, et ita cui possessio adjudicanda sit, omnino definitur. Potest enim contingere, ut aliquis in praesenti possessione deprehendatur, et hic quidem in ea retinendus est, quamquam clam, aut precario acquisita fuerit, dum summarium judicium exercetur. Nam hoc judicio non quaeritur, qualis illa sit; nuda simplexque possessio satis est, ut qui eam habet habere pergat per modum provisionis, cujus rei vestigia habemus in antiquis vindiciis Romanorum (1). Sed cum ventum est ad ordinarium, et in eo non tantum hujus possessio vitiosa, sed actoris possessio antiquior, et praestabilior demonstrata est, tunc demum plane definitur controversia de possessione, eidemque adscribitur possessio, quae interim tantum, et per modum provisionis reo data fuerat, ac deinceps vitiosa deprehensa fuit. Neque enim interdictum retinendae amplius tuetur possessorem, cujus postea vitiosam esse possessionem constat (2).

(1) *L.* 2. §. 24. *ff. de orig. jur.*: ubi vindicias dare secundum libertatem idem est ac decernere, ut interim in possessione sui, ac libertatis esset » Lis vindiciarium est, inquit Asconius Praedianus *in Ciceron. verrin.* 3. , » cum litigatur de ea re apud Praetorem , cujus incertum est quis » debeat esse possessor , et ideo qui eam tenet satisdat pro praede litis » vindiciarum adversario suo , quo illi satisfaciat, nihil se deterius in pos- » sessione facturum , de qua jurgium esset , rursus sponsione ipse provo- » catur ab Adversario certae pecuniae , aut aestimationis , quam amittat , » ni sua sit hereditas , de qua contendit. Praedes ergo dicuntur satisdatores » locupletes pro re , de qua apud judicem lis est ; ne interea , qui tenet » diffidens causae , possessionem deteriorem faciat , tecta dissipet ; excidat » arbores , et culta deserat » Hinc postulare vindicias , et vindicare est possessionem petere, dare vindicias postulantibus est possessionem alteri postulanti concedere. Late de prisco jure vindiciarum agit Revardus *in Leg. XII. tabul. cap.* 6. *pag.* 11. *tom.* 1. *edit. Neapol.* 1779. Confer etiam Heineccium *antiq. Roman. lib.* 4. §. 24. *opp. tom.* 3. *pag.* 436. *edit. Neapol.* 1769. , et Pitiscus *Lexicon antiq. Roman. verb. vindiciae* , ubi plures laudantur , de hoc argumenti genere disserentes.

(2) *Cap. licet.* 9. *de probat.*



# DE RESTITUTIONE SPOLIATORUM

## TITULUS XIII.



Sextus Decretalium *h. t.*, Decretum 2. *q.* 2. *et* 3. *q.* 1. 2. Institutiones §. 6. *de interdict.* Pandectae *lib.* 43. *tit.* 16. Codex *lib.* 8. *tit.* 4. 5. sparsim *tit. ff. et Cod. ad L. Jul. de vi privata et publica.*

### §. I.

Superiori titulo actum est de cumulando possessorio adipiscendae, ac potissimum recuperandae possessionis cum petitorio; hoc titulo seorsim agitur de remedio recuperandae possessionis, seu interdicto unde vi, quod ab aliis distinguitur, propterea quod haec possunt vel conjunctim, vel separatim cum proprietate tractari, interdictum unde vi, non potest; quoniam prius restituendus est qui per vim ex rei suae possessione dejectus fuit (1). Remedium recuperandae possessionis de jure Digestorum ad eos pertinet, quibus est ablata violenter possessio rei immobilis; jure Codicis productum est ad quamcunque iniquam privationem possessionis alterius, quamquam sine vi facta fuerit (2). Neque tantum veram possessionem rerum corporalium, quae sensibus subjiciuntur, sed etiam quasi possessionem rerum incorporalium, et quorumcumque jurium, et beneficiorum hoc remedium comprehendit.

(1) *Cap* 1. *et* 5. *de restit. spoliat.*
(2) *L. ult. Cod. unde vi.*

§. II. Omnis igitur vi spoliatus re, quam possidet, restituendus est, etiam praedo (1), non quod huic generi hominum jura faveant, sed quod ita postulat publicae tranquillitatis ratio; nisi sit latro publicus, aut agros populetur, aut eorum incendium faciat, quibus hominibus parcendum non est (2); aut nisi illico dejiciatur a domino, quae dejectio vim defensionis habet; item notus omnibus praedo, saltem ex aequitate, non videtur restituendus adversus eum, quem verum rei dominum esse omnibus compertum est (3). Similiter feudatarius, fructuarius, usuarius, cum in suis juribus vere possessores sint, restituuntur; non ita coloni, custodes domus, laici in rebus spiritualibus, ceteri similes, quibus nulla propriè possessio est (4). Sed et restitutio debetur iis, qui suo se beneficio, aut jure per vim, et inique abdicare coacti sunt (5); quibus denegantur pensiones, quas hactenus perceperunt (6); qui excluduntur ab electionibus, quibus hactenus interfuerunt (7); qui fraudantur jure sepeliendi, delato cadavere ad aliam Ecclesiam (8). Quin et judex, qui neglecto juris ordine judicium exercuit, spoliare dicitur (9). Quo referendi sunt etiam qui per contractum nullum, et irritum possessione exciderunt.

(1) *L.* 1. *ff. de vi armat.*, *L.* 1. *Cod. ad L. Jul. de vi public. Cap.* 5. *de restit. spoliat.*
(2) *L.* 1. *Cod. quand. liceat.*
(3) *Argum. L.* 8. *ff. de dol. mal except.*, *Cap. ult. de restit. spoliat in* 6.
(4) *L.* 1. §. 22 *ff. de vi armat.*; *Cap.* 7. *de praescript.*
(5) *Cap.* 2. *et* 3. *de restit. spoliat.*
(6) *Cap.* 9. *eod.*
(7) *Cap.* 3. *de caus. possess. et propriet.*
(8) *Cap.* 5. *et* 6. *de sepult.*
(9) *Cap.* 7. *de restit. spoliat.*

§. III. In re matrimonii recepta sunt haec. Si mulier propria auctoritate recessit, vel a viro expulsa est, cum hunc facti poenitet, ei restituitur (1); si post matrimonium ratum eo temporis intervallo, quod ipsi datur ad deliberandum, restituitur quoad habitationem, et obsequia conjugalia, non item quoad thorum (2); si professa sit religionem, nullo

modo (3); si justa de causa discessit; puta ob viri saevitiam, haeresim, cetera similia, restituitur sublata causa; ea manente, non restituitur. Si mulier profuga opponat impedimentum dirimens, vir autem agat de vi matrimonii, non fit restitutio, quam ipse non petit, sed antea peremptoria exceptio dirimentis impedimenti cognoscenda est (4). Quod si vir maxime insistit in judicio possessorio, cum certum, atque exploratum est impedimentum, ac mulier idoneas in promptu habet ejus rei demonstrationes, primum de impedimento quaeritur; verum cum dubia res est, ac minime demonstrata, plena restitutio facienda est, quoniam impedimentum malitiose a muliere propositum censetur (5).

(1) *Cap.* 13. *de restit. spoliat.*
(2) *Cap.* 8. *et* 10. *eod.*
(3) *Cap.* 14. *de probat.*
(4) *Cap.* 1. *de ord. cognit.*
(5) *Cap.* 13. *de restit. spoliat.*

§. IV. Interdictum *unde vi* tantum datur adversus eum, qui vi possessorem dejecit, sive id per semetipsum, sive per alium fecerit mandato, aut doloso consilio, ratumve habens quod gestum est (1); sed non datur contra eum, qui non mandatum, aut consilium dedit, remve gestam notam non habuit (2); neque adversus eum, qui clam possessionem vacuam ingressus est, nisi revertenti domino vi resistat, seque ita in possessione constituat (3); neque liberis contra parentes, aut libertis contra patronos, sed actione in factum agendum erit, quia *interdictum hoc atrocitatem facinoris in se habet*, nisi pater, aut patronus vim armatam adhibuerint (4); neque contra dominum, cujus nullo jussu, sed famulorum lubito spolium est patratum (5); denique contra heredes spoliantis, contra quos praesto est actio *in factum*, quatenus ad eos pervenit hereditas (6). At spoliati heredes, qui in omne jus defuncti succedunt, recte contra spoliantem hoc judicio experiuntur (7).

(1) *L.* 1. §. 12. 13. 14. *ff. de vi armat.*
(2) *Cap.* 15. *de restit. spoliat.*
(3) *L.* 6. §. *ult. ff. de acquir. possess.*
(4) *L.* 1. §. 43. *ff. de vi armat.*

(5) *Cit. L. 1. §. 11.*
(6) *L. 26. ff. de dol. mal.*
(7) *L. 37. ff. de acquir. heredit.*

§. V. De tertio; qui rem ab alio spolio sublatam mala fide retinet, quaesitum est, num adversus eum spoliatus restituendus sit; et restitui respondit Innocentius III. (1), quamquam initio bonam fidem habuerit, ac postea spolium noverit. Quid si tertius hic bonae fidei possessor sit? Num et adversus eum spolii judicium in re civili exerceri potest (2)? Mihi nullus esse videtur dubitandi locus, quin res spolio abrepta domino restituenda sit; verum hoc apto, et congruenti judicio, non autem judicio spolii faciendum puto. Revera si et tertius bonae fidei possessor in re civili huic judicio subjectus esse deberet, haud illa opus erat peculiari lege, qua criminali negocio provisum est (3). Verum in tribunalibus quibusdam longo usu recepta sententia est, ut etiam in re civili spolii judicio experiri liceat. In bonis ecclesiasticis, quae ab haereticis, vel infidelibus occupata sunt, posteaque empta a Catholicis, videndum est, mobilia ne, an immobilia ea sint. Illa scilicet, modo empta sint cum animo eadem restituendi soluta pecunia, quae impensa est, rite, ac recte a tertio possessore retinentur; haec vero una cum fructibus nullo soluto pretio restituenda sunt (4).

(1) *Cap. saepe contingit. 18. de restit. spoliat.*
(2) Haec quidem sententia est Glossae *in Cap. 18. de restit. spoliat.*, et aliorum, sed aliud visum est Bartholo, aliisque compluribus.
(3) *Cap. 1. de restit. spoliat. in 6.*
(4) Consule Benedictum XIV *Const. Urbem Antibarum 57. ejus Bullar. tom. 3. pag. 259. edit. Romae 1754.*

§. VI. Restitutio ex interdicto unde vi petenda est intra unum annum utilem (1); post annum datur actio in factum de eo, quod ad dejicientem pervenit; sed a Jure Canonico nullum certum tempus praefinitum est. Spoliatus, modo se possedisse, et vi dejectum fuisse demonstret, ante omnia restituendus est, scilicet non tantum rem, fructusque recuperat, sed etiam illata damna resarcienda sunt (2). Neque impedimentum, moramve, et tarditatem afferunt reconventio (3), aut compensatio (4), aut appellatio (5), non item ex-

ceptiones dominii, criminis (6), minoris aetatis; quoniam spoliatus restituitur etiam adversus minorem, et pupillum, licet his contra curatorem, ac tutorem expedita, et parata sit actio (7). Sed aliter est, si spoliatus primum de dominio quaeri consentiat (8); si ei jus commune resistat, faveatque spolianti, nisi ille titulum ostendat (9); si propter restitutionem animae periculum immineat (10), aut scandalum, aut grave damnum, veluti si mulier restituatur viro, cujus comperta saevitia est.

(1) *L.* 1. §. 39. *ff. de vi et vi arm.*
(2) *Cap.* 11. *de restit. spoliat.*, *L.* 1. §. 41. *ff. de vi et vi arm.*
(3) *Cap. ult. de ordin. cognit.*
(4) *L. ult.* §. *ult. Cod. de compensat.*
(5) *L. ult. Cod. si de moment. possess.*
(6) *Cap.* 1. *et* 6. *de restit. spoliat.*
(7) *L.* 6. *Cod. unde vi.*
(8) *Cap.* 1. *de restit. spoliat.*
(9) *Cap. ult. eod.*
(10) *Cap.* 13. *eod.*

§. VII. Non solum actionis, sed etiam exceptionis loco spolium proponitur, et id recte fit contra actorem, minime contra tertium, qui in bona fide est, cum civile judicium agitur; verum in judicio criminali a quocumque detineatur res spolio ademta, primum restitutio facienda est, cum reus vel omnibus bonis, vel majori ex parte spoliatus fuit, ne nudus, et inermis in jus venire cogatur (1). Cui sane exceptioni locus est tum contra connexam, tum contra diversam, et separatam actionem (2). Verum ut omnis removeatur fraudis, et calumniae suspicio, ac ne spolii exceptio tergiversatio sit ad retardandum judicii progressum, recte sancitum est, ut eadem infra dies quindecim probari debeat (3).

(1) *Cap.* 1. *de restit. spoliat. in* 6.
(2) *Cap.* 2. *de ordin. cognit.*
(3) *Cap.* 1. *cit.*

# DE DOLO ET CONTUMACIA

## TITULUS XIV.



Decretum *c.* 3. *q.* 9. *c.* 4. *q.* 5. *c.* 5. *q.* 1. *et* 3. *c.* 11. *q.* 3. Sextus, Clementinae, et Extravagantes communes *h. t.*, Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 3. *in fin.*, *sess.* 22. *cap.* 3. *ver. crescente sess.* 23. *cap.* 1. *ver. quod si sess.* 24. *cap.* 12. *sess.* 25. *cap.* 3. *de reform.* Pandectae *lib.* 2. *tit.* 3. *cum seqq. lib.* 48. *tit.* 17., Codex *lib.* 7. *tit.* 43. *lib.* 9. *tit.* 40.

§. I.

Saepe evenit, ut quis alterius dolo malo, et contumacia jus suum consequi nequeat; et ideo provisum est, ut his impedimentis amotis unicuique tribuatur quod justum, et conveniens est. Dolus malus, ut eum ex Labeone describit Ulpianus (1), est omnis calliditas, fallacia, vel machinatio, ad circumveniendum, fallendum, vel decipiendum alterum adhibita, ac tum in judicia, tum in contractus, ceterosque humanos actus cadit. Nos exemplo Decretalium hoc titulo de dolo agimus, qui pertinet ad judicia, qui scilicet adjunctus est contumaciae, ita ut in dolo esse videatur qui renuit ea facere, quae jus praecipit, aut a judice praecipiuntur; reliquum doli genus opportuniori loco persequemur. Est autem contumacia non obedientia mandato judicis, cum quis in judicium vocatus non venit, vel illud non agit, ac praestat,

quod praestare deberet, eaque vel vera, vel ficta, et praesumpta est. Vera dicitur, quando evidens est dolus, et certa voluntas non obediendi; ficta, et praesumpta, quando quis se se judici non sistit, neque id agit, quod agere deberet. Hic quidem contumax est, sed quia de dolo non constat, tamdiu contumax est, quamdiu se non purgaverit, atque ab se contumaciae notam amoverit. Simplex contumacia non obedientiam purgari permittit, non item dolosa, et fraudulenta, quae etiam excommunicationis poena plecti potest (2).

(1) *L. 1. §. 2. ff. de dolo, et contumac.*
(2) *Cap. 1, et 3. ut lit. non contest., Cap. 1. de judic.*

§. II. Tam actor quam reus contumax esse potest, et utrique suae constitutae sunt poenae. Illa communis, quod alterutro fugente judicium judex μονομερῶς, hoc est parte altera non praesente procedit. Sed actoris contumacia eo gravior censetur, quo ipse in judicium venire promptus, ac paratus debet, suoque juri studere diligenter. Itaque cum eo durius, et asperius agitur; mitius cum reo, cui plus indulgendum, quoniam invitus in judicium trahitur. Si praescripto tempore, quo citatus est reus, actor in judicium ire neglexerit, in expensas condemnatur; neque alia ei citatio permittitur, nisi de se judici sistendo cautionem praestet (1). Sed alia ante litem contestatam, et alia post contra eum rei expediendae ratio est. Cum actor ante litem contestatam vocatus tribus edictis (2), quibus singulis triginta dies (3) assignantur, cui copiam non fecit, unus adhuc annus ei conceditur, intra quem si in jus non veniat, praesente, et rogante reo, judex ad expediendum negocium progreditur, testes recipit ac secundum veritatem sententiam pronunciat (5). Post litem contestatam non expectatur unius anni lapsus, sed post trinam citationem si adhuc actor judicium fugiat, statim judex progredi potest ad finiendam disceptationem (3). At Jus Canonicum harum dilationum nullam habet rationem, verum actore in jus non veniente, post trinam citationem statim judicium absolvitur (6).

(1) *Cap. 1. de dol., et contumac. in 6.*
(2) Contumax in Jure Canonico eodem modo definitur, quo in Jure civili, uti constat ex Paulo *recept, sentent, lib.* 5. *tit.* 5. *num.* 7. apud Schultin-

gium *loc. cit. pag.* 450; qui tribus literis, vel edictis vocatus ad judicem non venit. Quae edicta pluribus nominibus appellantur, admonitiones, auctoritates *in can. de illicita* 6. *c.* 24. *q.* 3., et comminationes, et programmata *Leg.* 1. 2. *et* 6. *Cod. comminationes epistolas etc.* Horum similia sunt edicta synodalia συνοδικὰ σημειώματα, de quibus loquitur Balsamon *in cap.* 12. *Synodi Antiochenae* apud Beveregium *Pandect. Canon. tom.* 1. *pag.* 443. *edit. Oxonii* 1672.

(3) Edicta haec, sive citationes fieri debent separatim intra praefinitum tempus προθεσμίαν ut loquuntur Graeci, dierum nempe decem, quos ad viginti prorogat Novella Justiniani 53. *cap.* 3. Jure novo singulis edictis datur spatium triginta dierum, per quos vocari quis legitime dicitur, et non per paucos dies, ut scribit Balsamon *ad can.* 74 *Apostol.* apud Beveregium *Pandect. canon. tom.* 1. *pag.* 48. *edit. Oxonii* 1672., quibus finitis adhuc dandus est annus *Novella de litigiosis* 112. contra jus vetus, quod triennium dabat. Nunciantur haec edicta reo, qui si non invenitur, Ecclesiae valvis affiguntur *Cap. ult. de dol. et contumac.*, et quidem per praeconem, si laicus sit, per clericum, si clericus, et hunc hominem, qui judicium deserit, Legi Salicae *tit.* 52. apud Baluzium *Capitular. Reg. Francor. tom.* 1. *col.* 225. Marchulphus *formul.* 21. *ibid. tom.* 2. *col.* 264., *atque alii in append. numer.* 22. 25. *col.* 308. 309., *et formul. Sirmond. num.* 46. *col.* 342., et antiquae formulae *abjectum*, *jactivum*, *et admallatum* vocant.

(4) *Cap.* 5. *de dolo, et contumac.*, *Cap.* 1. *eod. tit. in* 6.

(5) *Auth. qui semel Cod. quomod. et quand.*

(6) *Cap.* 3. *de dol. et contumac.*

§. III. Si reus est contumax ante litem contestatam, minime fertur sententia definitiva, sed actor in actione reali mittitur in possessionem rei servandae causa; in actione personali pro modo, et ratione debiti in possessionem bonorum mobilium rei, vel immobilium, cum nulla mobilia sunt; eaque possessio datur ex primo, et secundo decreto. Primi decreti possessio tantum custodia est, quoniam ea conceditur, ut tuta sint omnia, atque actor non dominus, sed tantum custos efficitur. Hinc uterque, tam actor scilicet, quam reus possident (1), hic quidem, ut fundum colat, et fructus colligat, ille autem, ut fundum, et fructus, sive fructuum pretium observet, atque custodiat (2). Intra anni spatium si reus in jus non veniat, solvatque expensas, et cautionem non praestet de se judici sistendo, emittitur secundum decretum; per quod contumax de possessione dejicitur, atque actor unus rei possessor evadit.

(1) Actor ex primo decreto ita merus est possessor, hoc est ita rem possidet, ut nullo modo fructus faciat suos, *Cap.* 2. *de sequestr. possess.*, atque ut reus possessionem non ammittat, ille proprie dicitur in possessione es-

se, hic possidère *in L. 10. § idem Pomponius. 1. ff. de acquir. possess.*, sicut aliud est in servitute esse, et aliud servum esse, Cicero *pro Quintio num. 27. opp. tom. 4. pag. 57. edit. Genevae* 1744. » Eos ita videtur in pos- » sessione esse oportere. Quod ibidem recte custodire poterunt, id ibidem » custodiant. *Et paulo post* » Proficiscenti tibi in possessionem Praetor » ipse, Sex. Naavi, palam dicit: ita possideto, ut tecum simul possideat » Quintius. »

(2) *Cap. 4. de eo qui mittit. in possess., Cap. ult. §. in aliis sunt Ut lit. non contest.*

§. IV. Cum reus est contumax post litem contestatam, causaque clara, et explorata est, fertur sententia definitiva vel pro actore, cum recte et merito ab se institutam actionem constat, vel si secus est, pro reo absente, cum *litigatoris absentia*, ut ait Imperator, *Dei praesentia repleatur* (1). Quod semper observandum, *dum eremodicium ventilatur* (2) *sive pro actore*, *sive pro reo.* Contumax autem ob poenam contumaciae semper in expensas condemnatur. Illud vero non omittendum, quod sententia hoc modo lata in re beneficiaria vim non acquirit rei judicatae quoad Superiorem, cui adhuc integrum est in rem totam diligentius inquirere, juraque eorum, qui judicium exercuerunt, expendere, maxime cum illa lata est contra absentem non defensum (3), tum ut procul sit omnis injustitiae nota, tum nè quis ecclesiasticum beneficium sine canonica institutione consequatur (4).

(1) *L. 13. §. 4. Cod. de judic.* Quo spectat etiam *L. 73. ff. eod.*

(2) Eremodicium est ἐρήμη δίκη, cum abest adversarius, ac lis deserta est; scilicet eremodicium contrahit qui litem deserit, postquam contestata est. Nam ante litem contestatam qui judicium fugit deserere vadimonium dicitur, quod levius est, quam eremodicium contrahere, uti observat Cujacius *in L. Praetor ait. 7. ff. de minor. opp. tom. 1. col. 865. edit. Venet. citat.* Qui vadimonium deserit, hoc est qui die dato se venturum promisit, nec tamen venit, non coercetur damno litis, uti coercetur qui litem deserit contestatam. Quod adeo verum est, ut si absens per contumaciam damnatus fuerit, posteaque in judicium venerit, non poterit ex integro causam agere, quam minus recte expensam putat, imo ne appellare quidem poterit, *L. ex consensu* 23. *§. ult. ff. de appellat.*, *L. et post edictum 73. §. ult. ff. de judic.* Huc referenda *L. contumacia* 53. *ff. de re judic.*, ubi dicitur, quod litis damno contumacia coercetur, quia nimirum lis ex integro agi non potest, neque a sententia fas est appellare. Itaque lis, et actio extinguitur, neque judicatum appellatione infirmatur, quod non ita fit cum deseritur vadimonium. Nam cum quis deseruit litem contestatam, judex elapso tempore legibus constituto definitivam sententiam emittit; cum vero quis indicto die liti contestandae non adest, non fert sententiam definitivam, sed si adversarius contumax esse pergat, judex de re cognoscit

summatim, et actorem praesentem mittit in possessionem rei, de qua quaestio est, non ei rem addicit, quia non fert sententiam definitivam, neque praesentem reum absolvit a judicii observatione. Vide Cujacium *in tit. 1. lib. 3. Cod. L. 3. de judic.* §. 1. *opp. tom. 9. col. 124. seq. edit. cit.*

(3) *Cap. 7. de dol. et contumac.*

(4) *Cap. 2. de regul. jur. in 6., Cap. un. de eo qui mittit. in possess. in 6.*

§. V. Quamquam vero contumax generatim habeatur qui praefinito die in jus non venit, tamen fas est judici aequitatis gratia absentem expectare in diem, qui proxime constitutum sequitur (1). Nam aequum plerumque est, ut non statim absens contumaciae condemnetur, quoniam justae esse potuerunt excusationis causae, propter quas absens ad judicem ire non potuit. Hae causae sunt adversa valetudo (2), majoris causae occupatio (3), absentia Reipublicae causa, pupillaris, vel minor aetas, vocatio ad superius tribunal (4). Eodemque jure censentur qui municipalis muneris obeundi, aut testimonii in judicio ferendi necessitate, tempestate, vi fluminis, furore, detentione publica jussu magistratus facta, funere domestico, aliisque similibus impediti fuerint (5). His de causis procul est contumacia, nisi quis speciatim quibusdam renunciaverit (6), aut eas dolo malo, et gravi negligentia exquisierit (7); cujus rei judicium arbitrio judicis servatum est. Una aut altera ex his causis, quae judici probandae sunt, poenam removet contumaciae; imo si sciens impedimentum judex sententiam tulit, ea nulla est, si ignorans, in integrum restitutio conceditur, vel alias causa ad pristinum statum revocatur (8). Verum delegatus, cui certum praefinitum est negocii expediendi tempus, quo elapso perimitur ejus jurisdictio, contra absentem procedit, ne secus totum judicium evanescat (9).

(1) *Cap. 21. de offic. deleg.*

(2) *L. contumacia 53.* §. *poenam, et L. quaesitum 60. ff. de re judic.*

(3) *L. et* §. *cit.*

(4) *L. contra pupillum 54. ff. eod. tit.*

(5) *L. non exigimus 2. L. sed et si 4.* §. *1. in fin.* §. *2. et 3., L. si is qui 6. ff. si quis cautionibus in judicio etc.*

(6) *L. sed et si 4.* § *quaesitum.*

(7) *L. non exigimus cit.* §. *8. et 9.*

(8) *L. si propter officium 1. Cod. quib. ex caus. major. in integr.*

*restit.*, *L. quia absente* 4. *Cod. de procurat.*, *L. ea quae* 7. *Cod. quomod. et quand.*, *L. ult. ff de restit. in integr.*

(9) *Cap.* 24. *de offic. deleg.*

§. VI. Aliis quoque contumaces tenentur paenis, quarum unam, aut alteram infligit judex suo arbitratu, ad alias nihilominus processurus adversus eum, qui pertinaciter judici non obtemperat (1). Nam hic et pecuniaria mulcta (2), et censuris coercetur, sed hae caute; et sobrie adhibendae, neque infligendae sunt, nisi cum contumaces re, aut persona aliter in officio retineri nequeunt (3). Interdum etiam adversus contumacem capiuntur pignora (4), reique controversae fructus ob malam administrationem deponuntur penes probum, et bonestum virum, qui finita lite rem, et fructus victori restituat (5). Quae dicitur sequestratio rei litigiosae, quam judex justa ex causa decernit, ne res, et fructus dilapidentur (6). Si maritus ad inopiam vergat, res sequestro datur (7), similiter si ille, a quo res mobilis petitur, suspectus sit (8), si de beneficio ecclesiastico agatur contra possessorem non triennalem, et contra ipsum in possessorio, vel petitorio sit lata sententia, sequestrum constituitur (9). Sed generatim sequestrum revocatur, cum reus in judicium veniens expensas restituit, et cautionem praestat, per quam omne, quod timetur periculum removeatur (10). Uxores, quae ob nimiam viri saevitiam, ab eo diverterunt, penes probam, et honestam mulierem collocantur (11); ac simili modo in negocio sponsalium cum magnus est metus; vis puellae inferatur, et impediatur libertas consensus, ea potissimum in monasterio collocanda est (12), donec de praecipua causa judicium absolvatur (13).

(1) *Cap.* 5. §. *in aliis ut lit. non contest.*

(2) *L.* 2. *ff. si quis in jus vocat*, *Cap.* 2. 5. 8. *de dol. et contumac. Cap.* 3. *ut lit. non contest.* De mulctae nomine, et natura late disputat Barnabas Brissonius *select. ex jur. civil. antiq. lib.* 1. *cap.* 3. *inter. opp. minor. pag.* 4. *et* 5. *edit. Lugdun. Batav.* 1749.

(3) *Cap.* 5. §. *ult. ut lit. non contest.*

(4) Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 3. *de reform.*, *L. temporibus* 1. §. *quid ergo* 3. *ff. de inspic. ventr. et custod. part.*

(5) *L.* 21. *et ult. ff. de appellat.*, *Cap.* 2. *de sequestr. possess. et fruct.*

(6) De sequestri nomine videndus Du-Cangius *Glossar. med. et infim. la-*

*tinitatis verb. sequester sequestrare sequestrum*, et vide quae scripsimus *in Instit. Juris Canon. lib.* 3. *tit.* 6. §. 7. *not.* 1. *pag.* 94. *edit. Romae* 1792.

(7) *L.* 23. §. *si autem ff. solut. matrim.*

(8) *L.* 7. §. *ult. ff. qui satisd. cogun.*

(9) *Clem.* 1. *de sequestr. possess. et fruct.* Consule Glossam *in Cap.* 2., ubi ostenditur diligenter, quando sit sequestrationi locus.

(10) *Cap.* 1. *de sequestr. possess. et fruct.*

(11) *Cap.* 8. *et* 10. *de restit. spoliat.*

(12) *Cap.* 14. *probat.*

(13) *Cap.* 14. *de sponsal.*

§. VII. Contumaciae paenas infligit judex non sponte, et voluntate sua; sed rogatus ab altero, cum quo fit judicium (1). Nam judex tantum requisitus officium suum impertiri debet; nisi procedat ex nobili officio, atque ad mulctam pecuniariam ob pertinaciam contumacis (2). Quod si neuter adsit eorum, quos inter exercendum est judicium, nullae sunt judicis in eo negocio partes, et unius cum alterius contumacia compensatur. Illud denique non omittendum, quod antequam mulcta, excommunicatio, aliave paena feratur in contumacem, citari debet ad sese excusandum, quia si justo impedimento detentus constituto die in jus venire non potuit, contumax haberi nequit.

(1) *L.* 68. *et seq. ff. de judic.*

(2) *L.* 2. *ff. si quis in jus voc.*

# DE EO QUI MITTITUR IN POSSESSIONEM

## CAUSA REI SERVANDAE

## TITULUS XV.

I. Qualis sit missio in possessionem ex primo, et secundo decreto?
II. Missio in possessionem ad imperium referenda. Subsidia, quae absenti a judicio praesto sunt.
III. Causae, in quibus locum non habet missio in possessionem.
IV. Quando secundum decretum emittendum?
V. Reus in jus veniens, vel non.

Sextus *hoc Tit. et Cap. ult. §. ult. ut lite non contest.* Pandectae *lib.* 42. *Tit.* 4. 5. *lib.* 43. *tit.* 4. et sparsim *Tit. ff. de damn. infect.* Codex *lib.* 7. *Tit.* 72. Nov. 53. *Cap.* 4. *lib.* 8. *Tit.* 22.

### §. I.

Actorem, quando reus contumax abest sine justa causa, mitti in possessionem ejus bonorum, superiori titulo demonstratum est. Haec non levis est poena contumaciae, cum nihil fere hominibus gravius, et acerbius sit, quam si bona a Majoribus accepta ab extraneis videant occupari. Ea de causa Jure praescripta est eadem missio in possessionem, ne actorem frustretur petitio, quam judicio proposuit, atque ut reus affectus taedio, ac moerore hujusce missionis in judicium veniat. Eam vero fieri diximus ex primo, et secundo decreto; primum actori tribuit meram rei custodiam, secundum veram possessionem, ita ut actor dejecto reo unus, et verus possessor fiat, fructusque percipiat. De utroque hoc decreto agit hic Titulus, licet initio tantum primum decretum, quod pertinet ad rei custodiam, complecti videatur. Nam utriusque decreti vim, et naturam superiori loco explicavimus, quoniam ita postulare videbatur ordo a nobis susceptae tractationis; hic cetera, quae ad hoc idem argumentum pertinent, explanabimus.

§. II. Missio in possessionem ad imperium, non ad jurisdictionem pertinet (1); quo fit, ut eam concedere nequeat judex pedaneus, sed tantum qui merum, et mixtum imperium habet (2). Duo tamen a judicio absenti subsidia praesto sunt. Primum est quod si aliquis vel consanguineus, vel amicus in judicium veniat absentem defensurus, praestita cautione de rato, admitti debeat, ut missio in possessionem arceatur (3). Alterum est, quod si reus nullo Procuratore relicto, neque aliquo veniente, qui ejus causam tueri velit, absit ex justa causa, Curator ejus bonis a judice constituit soleat, qui absentis jura in judicio defendat (4).

(1) *L. ea quae* 26. §. *magistratibus* 1. *ff. ad municip.* Sunt qui missionem in possesionem non ad imperium, sed ad jurisdictionem referendam putant, quod in *L. dies cautioni* 4. §. *duas* 3. *ff de damn. infect.* Magistratus municipales, qui imperium non habebant, minores in possessionem mittere permittituntur. Verum ibi Magistratus municipales in possessionem mittunt non jure proprio, sed loco Praesidis ex mandata sibi jurisdictione.

(2) *L. jubere* 4. *ff. de jurisdict.*

(3) Hinc viri periti juris animadvertunt. cautum esse, ut in edicto ad valvas addatur, si quis consanguineorum, vel amicorum defendere absentem velit, constituto die in judicium veniat.

(4) *L. ab hostibus* 15. *ibiq. Gloss. ff. ex. quib. caus. major,*

§. III. In omnibus generatim causis locum habet missio in possessionem, nisi eam repellat natura actionis, vel rei, propter quam aliquis in judicium vocatus est. Quo referuntur causae criminales in quibus notari solent bona contumacis (1); causae beneficiales quoad titulum, ne detur vitiosus ingressus in beneficia (2); causae matrimoniales, ne missio fiat cum animae detrimento (3); causae quoque civiles, in quibus actor nihil petit, sed tantum ab aliquo liberari desiderat, veluti si minor adversus aditam hereditatem restitutionem postulat.

(1) *L.* 1. §. *ult.*, *et L.* 2. *ff. de requirend. vel absent,*

(2) *Cap. unic. de eo qui mittit. in possess. in* 6 Secus tamen est cum agitur de proprietate Ecclesiae *Cap.* 2. *de eo qui mittit, in possess,*, ubi Moniales mittuntur in possessionem Ecclesiae rei servandae causa.

(3) *Cap,* 3. *et ult.* §. *porro ut lit. non contest.*

§. IV. Inter primum, et secundum decretum, uti pupra

demonstratum est, intercedere debet annus unus, cujus a die, quo quis actu missionis beneficium accepit, initium capiendum est. At si reus resistat actori volenti occupare bona, hic fictione juris censetur missus in possessionem bonorum a die, quo primum decretum emissum est (1), ne rei malitia, et protervitas in ejus commodum convertatur. Ceterum cum justa causa est, judici permittitur annuum illud temporis intervallum vel producere in actione personali, vel contrahere in actione reali, cum id totum videatur ejus arbitrio commissum.

(1) *Cap. 9. de dol. et contumac.*

§. V. Si reus intra annum in jus veniat, solvatque omnes expensas, ac praestet cautionem de se judici sistendo, una cum fructibus amissa bona recuperat. At si elapso anno contumax esse pergit, missus in possessionem verus dominus efficitur, neque ulla est novi decreti secundi necessitas, quamquam et hoc impetrari possit, ut negocium magis cautum, et provisum sit (1). Semper tamen integra est absenti quaestio proprietatis (2); quo fit, ut actor sua illa, quam obtinuit, possessione non verus dominus, sed tantum quasi dominus efficiatur (3). Quin etiam lite contestata, in actione reali non fit missio in possessionem ex primo decreto, sed suo lapso tempore fertur sententia definitiva, cum clara res est, et cum non satis clara, actor quasi ex secundo decreto mittitur in possessionem bonorum rei, sola huic proprietate relicta.

(1) *Cap. pastoralis* 11. § *verumtamen*, *Cap. ult. ut lit. non contest.*
(2) *Cap. 1. de eo qui mittit. in possess.*, *et Cap. ult. cit.*
(3) Atque hoc sensu intelligenda sunt jura *in L.* 15. §. 16. *et* 18. *ff. de damn. infect.*, ac cetera, quae laudantur a Gonzalez *in cap. ult. ut lit. non contest.*

# UT LITE PENDENTE
## NIHIL INNOVETUR

### TITULUS XVI.



Sextus, et Clementinae *h. tit.* Decretum *c.* 11. *q.* 1. *can. ult.* Pandectae *lib.* 44. *tit.* 6. Codex *lib.* 1. *tit.* 21. et maxime *lib.* 8. *tit.* 37. Nov. 112. *cap.* 1.

§. I.

Inferri in judicia, et intrudi novitas aliqua potest, quae damnum afferat litigantibus; hinc ejus arcendae via considerata, atque provisa est, cautumque sapienter hoc titulo, ut lite pendente nihil innovetur. Antiquo jure lis pendere dicebatur per litis contestationem (1); sed jure novo *litem pendere censemus, postquam a judice competenti in ea citatio emanavit, et ad partem citatam pervenit, vel per eam factum fuit, quo minus ad ejus notitiam perveniret, dum tamen in citatione praedicta talia sint expressa, per quae plene posisi instrui, super quibus in judicio convenitur* (2).

(1) *Cap. ex part.* 30. *de verb. signific., L. amplius* 15. *ff. rem ratam haberi, L. litigiosum* 1. *ff. de litig.*
(2) *Clem.* 2. *ut lit. penden., Auth. litigiosa Cod. de litigios.*

§. II. Quod juris praescriptum tum reales, tum personales actiones complectitur (1). Hoc inter utrasque discrimen est, quod in illis res efficitur litigiosa, in his non res, de qua actio instituta est, sed petitio, sive instantia, adeout qui eam in judicium detulit, eamdem alteri cedere nequeat, nisi simul in eum jura omnia transferat, quae habet contra adversarium suum, in quem litem intulit.

(1) Parezius *in Cod. de litig. num.* 3. atque alii tantum ad reales, non item ad personales actiones hanc juris disciplinam pertinere arbitrantur. Sed cum *cit. Clementina* nullum inter reales, et personales actiones discrimen faciat, omnium consensu receptum est, saltem de jure canonico de utroque actionum genere unum, et idem esse jus constitutum.

§. III. Multa sunt, quae litem pendentem consequuntur. Scilicet nihil novi fieri potest, unde ad litigantes damnum aliquod perveniat, et ideo qui in possessione versatur, in ea pendente lite retinendus est, ejusque fruitur commodis, atque utilitate. Quod etiam pertinet ad rem matrimonii; nam si agatur de divortio ob adulterium, aut dirimens impedimentum, non potest conjux a conjuge judicis auctoritate separari, ac de sua possessione detrudi, nisi adulterii crimen, aut dirimens impedimentum judicio demonstratum, et patefactum, sit (1). Porro in actione reali res evadit litigiosa, seu vitio litigii affecta, dum de dominio lis fervet; si vero agatur solo possessorio, non res ipsa, sed tantum possessio, fit litigiosa, in actione vero personali nec res nec possessio, sed ipsa actio, sive instantia evadit litigiosa ita ut actor eam alteri cedere nequeat, nisi sua jura cedat universe. Si quid secus est actum, id infirmandum, delendumque est, ac si nihil actum fuisset, resque omnis ad pristinum statum revocanda. Non enim ex alieno facto alterius conditio deterior effici potest, qualis certe fieret, si lite pendente inverso ordine vel in rem ipsam, vel in ejus possessionem, vel in jus, quod eo tempore vigebat, novi aliquid induceretur (2).

(1) *Cap. laudabilem* 2. *ut lit. penden.* Conjux tamen, cui certum, et exploratum est dirimens impedimentum, pendente lite liberis operam dare prohibetur.

(2) *Cap. Ecclesia* 3. *et* 4. *ut lit. penden.*, *L. omnibus ff. de alienat. jud. mut. caus.*, *L. non debet* 74. *ff. de reg. jur.*

§. IV. Hinc merito statutum est, ut res, aut actio litigiosa pendente lite non alienetur, vel in alium transferatur, et si alienetur, restituatur, aut si restitui nequeat, alia paris aestimationis, et pretii ejus vice subrogetur, quae propterea cum naturam, et qualitates accipiat rei, quae in ejus locum substituta, et supposita est, alienari non potest, nisi lis absoluta sit (1). Quod adeo verum est, ut res litigiosa ne locari quidem, saltem ad longum tempus, possit, propterea quod hujusmodi locatio, quae in longum tempus produ-

citor, alienationis nomine comprehenditur (2). Idem sit judicium de electionibus, et beneficiis, in quibus pendente lite nihil immutare fas est, ac si litigantium alter vel moriatur, vel sese plane abdicet beneficio, quo fruitur, hoc sane ad alium transferre, aut novam electionem facere non licet, nisi primum viventis plane cognita, et perspecta sint jura. Secus nullius est momenti quod factum est (4). Imo etiamsi postea constaret, nullum inesse jus in eo, qui alteri superstes vivit, adhuc irrita esset electio, quae initio vitiosa fuit, neque tractu temporis potuit convalescere (4). Sed et rescriptum, ac privilegium in perniciem litigantis, pendente lite impetrari non potest, nisi in eo litis ejusdem fiat mentio (5).

(1) *Can. ult. c.* 11. *q.* 1., *Cap.* 3. *et* 4. *ut lit. penden.*, *L. ult. ff. et L. lite* 2. *Cod. de litig.*, *et Novell.* 112. *cap.* 1.

(2) *Clem.* 1. *de reb. Eccles. non alien.*, ibique Glossa *verb. ad tempus modicum.*

(3) *Cap.* 1 *ut lit penden. in* 6. hinc tracta est Regula Cancellariae de subrogandis collitigantibus, quae nunc est XXIX. secundum ordinem in iis emittendis constitutum a Benedicto XIV. die 31. Augusti an. 1740.

(4) *L.* 29. *ff. de reg. jur.*

(5) *Cap.* 1. *et ult. h. tit.*

§. V. Neque tantum infirmantur venditio, donatio, similesque contractus rei litigiosae, sed etiam poena plectitur, qui eos facere ausus est. Si utrique contrahentium exploratum fuit, rem esse litigiosam, irritus declaratur, tolliturque contractus, resque vendita, aut donata restituitur in priorem locum; emptor amittit pretium, ac venditor tantumdem praestat, et utraque haec poena fisco adscribitur (1). Si unus venditor rem litigiosam novit, emptor suum pretium recuperat, ac praeterea tertiam partem aestimationis, quam venditor praestat, reliquae duae partes Fisco tribuuntur. Qui rem litigiosam donavit sacris duplum praestat, quod adversario adjudicatur, idque propter contumeliam in Deum, quem hic homo falsa religione colit cum alterius detrimento.

(1) *L. censemus* 4. *Cod. de litigios.*

§. VI. Saepe tamen justae occurrunt causae, propter quas res etiam litigiosae recte alienantur. Huc referenda causa dotis, vel donationis propter nuptias (1), ac transactionis, aut divisionis

rerum hereditariarum (2), nisi de his bonis lis ferveat inter heredes, eorumque adversarium, quia tunc cum istius detrimento divisio non permittitur; huc quoque causa ultimae voluntatis, sive ea contineat institutionem, sive legatum (3); sed legata re litigiosa heres litem cum defuncto incohatam commodo ac periculo legatarii prosequi debet, ita ut hic si heres vicerit, legatum consequatur, nihil autem si victus fuerit, atque ita ipsi solus eventus, et exitus litis relictus videtur (4); hunc et causa necessaria, puta pro solutione funeris, debiti, alimentorum, similium; huc et consensus adversarii, ac gratia Principis, qui rem alienari permittat; huc denique aliae, quae praesto esse possunt, justae causae judicis arbitrio constituendae, ex. gr. si res secus esset peritura.

(1) *L. ult. §. ult. Cod. de litig.*
(2) *Cit. L. ult. §. ult.*
(3) *Novel. 112. cap. 1. §. et hoc.*
(4) *Auth. nunc heres Cod. de litig. §. ult.*

# DE SEQUESTRATIONE POSSESSIONUM ET FRUCTUUM

## TITULUS XVII.

I. et II. Quis Sequester, et in quo differat a Depositario?
III. Sequestrum, vel voluntarium, vel necessarium. Quid requiritur, ut a judice constituatur?
IV. Quae res sequestro subjiciantur?
V. Quibus sequestrum committi possit?
VI. Sequester eligit vel praesentat Necessaria praestanda ei, qui sequestrum patitur.
VII. Quibus modis sequestrum tollitur?
VIII. Manuum injectio quando fiat?
IX. Quando his remediis non amplius opus sit?

Clementin. *h. tit.* Decretum *can. quoties c. 7. q. 7.* Codex *lib. 4. tit. 4. de prohib. sequestr. pecun.*

§. I.

Novus hic judiciorum ordo proponitur, quo lite pendente actor non mittitur in possessionem rei servandae causa, neque ea relinquitur penes reum contumacem, sed tertio committitur, ut eam conservet, atque custodiat; ac finita lite una cum fructibus victori restituat. Tertius hic sequester dicitur, qui certantibus, ut inquit Isidorus (1), *medius intervenit, qui apud Graecos ὁ μεσος dicitur, apud quem pignora deponi solent, a sequendo dictus, quod fidem utraque pars sequatur.* Sequester itaque custos est, apud quem duo, vel plures rem, de qua inter se litigant, interim custodiendam relinquunt, ac deponunt reddendam ei, cui judex adscribendam definiverit (2). Sequester est depositarius (3), at ab eo differt quod apud depositarium etiam unus rem suam deponit, apud sequestrem non unus sed duo pluresve deponunt (4). Hinc etiam sequester tertia persona, a Graecis εντριτος, hoc est tertia persona (5) appellatur. Duo igitur existant necesse est, qui tertii fidem sequantur, quique huic rem committant, de qua disputatur,

(1) Isidorus *etymolog*, *lib.* 10. *opp. tom.* 3, *pag.* 496. *edit. Romae* 1798.

(2) Hinc actio depositi sequestrataria, qua sequester erga victorem tenetur *L. si in Asia* 12. §. 2. *ff. deposit.*, *L. si quis affirmavit* 9. §. *Labeo ff. de dol. mal.*

(3) Sequestrum depositi speciem esse scriptum est *in L.* 17. §. 1. *ff. depositi*, et hinc Tertullianus *de resurrect. cap.* 27. *pag.* 342. corpora, » *inquit*, medicata condimentis sepulturae mausoleis, et monumentis se» questrantur; » hoc est deponuntur.

(4) *L.* 6. *et* 17. *ff. deposit.*

(5) *L.* 7. §. *cum de usufructu ff. commun. divid.*, *L. item si unus* 17. *ff. de recept. qui arbitr. recept.* Sic apud Sequestres deponi *in L* 21. §. *ult. ff. de appellat.* et in sequestre deponere, *L. penult. ff. deposit.* Occurit hoc verbum apud Plautum *Mercator. act.* 4. *scen.* 3. *v.* 36. *tom.* 2. *pag.* 748., et *Ruden. act.* 4. *scen.* 4. *v.* 79. *pag.* 1016. *edit. Lugdun. Batav.* 1669. *sequestro mihi data est*, apud Tertullianum *de resurrect. carn. cap.* 51. *pag.* 357. et *de patient. cap.* 15. *pag.* 148. *edit. Venet.* 1744., A.Gellium *Noct. Attic. lib.* 20. *cap.* 11. *pag.* 1128. *edit. Lugdun. Batav.* 1666. Hinc factum est verbum *sequestrare*, quo Tertullianum uti animadvertimus, et quo ut rem designent sub sequestro ponendam utuntur Symmachus *ep.* 46, *al* 53. *lib.* 10. hoc est sub sequestro ponere. Vegetius *de re milit. lib.* 2. *cap.* 20. *pag.* 48. *edit. Vesaliae* 1670. *ut ex donativo*, *quod milites consequuntur*, *dimidia pars sequestraretur apud signa.* Vide Cujacium *ad L.* 109. *de verb. signific. tom.* 8. *col.* 537.

§. II. Est et aliud discrimen inter sequestrem, et alium depositarium rei non controversae, sive non litigiosae, quod ejusdem rei possessio manet apud eum, qui depositum fecit, eique possidet depositarius, non sibi, unde et servus depositus non depositario, sed ipsi deponenti servire dicitur (1). Contra in sequestrem possessio transfertur, cum inter se conveniunt litigantes; ut deserat uterque rei controversae possessionem, et eam sequestri concedat. Tunc enim eorum possessio, et usucapio interrumpitur, et solus sequester naturalem rei possessionem obtinet. Verum si id aperte non agatur, ac merae custodiae causa res apud sequestrem deponatur, non sequester, sed victor, cui res jussu judicis restituitur, per sequestrem possedisse intelligitur, eique omnis accedit possessio, curritque ejus commodo, et beneficio usucapio (2).

(1) *L. si servus* 22. *de noxal. act.*
(2) *L. interesse* 39. *ff. de acquir.*, *vel amitt.*

§. III. Sequestrum, aut sequestratio vel voluntaria est, quae fit ex consensu litigantium, vel necessaria, quae judicis man-

dato, et auctoritate ex expeditur. Voluntaria, quae et conventionalis dicitur, generatim est permissa, cum nulla fiat injuria volentibus; necessaria generatim est vetita quoniam lite pendente, qui possessionem obtinet in ea retinendus est. Sed saepe plures occurrunt aequitatis causae, quae faciunt, ut merito a judice sequestrum decernatur; veluti si periculum sit, ne res, reive fructus dilapidentur; aut externus, et adventitius homo alio se conferat; si justus est metus, ne litigantes ad arma veniant, vel a marito disperdatur, ac dissipetur res dotalis; si obscura, et incerta sint jura litigantium, de veritate partus, de censu emphytheutico, qui a duobus exigitur, de beneficio, de cujus possessione duo inter se contendunt; aliaeque esse possunt graves causae, propter quas judex rem litigiosam rite, ac recte sequestrationi subjicendam putet. Similiter si possessor judicio victus appellavit, fructus sequestro deponuntur (1). Cum judex ex nobili officio procedit ad sequestrationem, gravis, et publica causa requiritur (2); cum ex officio mercenario rogante litigante, requiritur summaria cognitio de jure postulantis, ac de causa; praeterea jusjurandum, quod jure, ac merito sequestratio petatur, denique citatio alterius litigantis; nisi adsit fugae periculum, gravisque praesumptio contra reum, quod consumptis bonis satisfacere nequeat creditori.

(1) Argum *L. ab executione* 5. *Cod. quor. appell. non recip.* Hanc constitutionem spectat Symmachus *lib.* 10. *ep.* 53. *pag.* 410. *ed. Neapol.* 1617. » Interea constitutionis memor sequestravi mobilia, fructusque per» cepi, ne temporis usurpatio abutatur indebitis. » Idem habet Paulus *recept. senten. lib.* 5. *tit.* 36, *pag.* 535. *loc. cit.*

(2) *Argum. Cap.* 1. *hoc tit.*

§. IV. Generatim super rebus omnibus, quae litigiosae sunt; quaeque sub custodiam cadunt, sequestrum constitui potest, sive illae sint mobiles, sive immobiles, corporales, sive incorporales, profanae, et spirituales. Hinc et ecclesiastica beneficia sequestrum patiuntur, certis tamen praecriptis legibus quae sunt, primum, ut in Curia Apostolica lata sit sententia contra possessorem, qui nondum triennii spatio possessionem obtinuerit, deinde ut Ordinarius sequestrationem exequatur, eaque fiat penes idoneum hominem, cui beneficii administratio tuto committi possit (1). Quin etiam libera persona sequestro subjicitur. Sic puella, si cui matrimonii fidem dedit, eoque promissa expetente neget, iis sese stare oporte-

re, quoniam id ipsa fecit coacta metu, sequestrum patitur, scilicet penes honestam mulierem custoditur, donec praecipuum negocium judice (2). Sic et puella, quae a viro discessit, et ingressa est monasterium, virgineam esse se, votisque obstrictam asseverans, in illo retinenda est, donec a judice veritas evolvatur (3). Sic demum mulier si merito timeat saevitiam viri, neque hic cautione data omnem metum removeat, probae, et honestae feminae committitur, donec res a judice plane cognita et explorata sit (4). Haud tamen sequestro obnoxium debet esse cadaver, ut heres defuncti debitum solvat, quoniam inhumanum esset cadaveri denegare sepulturam, quam omnia jura divinum (5), canonicum (6), et civile (7) concedi volunt.

(1) *Clement. unic. de sequestr. possess.*
(2) *Cap. cum locum* 14. *de sponsal.*
(3) *Cap. causam* 14. *de probat.*
(4) *Cap. ex transmissa* 8., et *Cap. literis* 13. *de restit. spoliat.*
(5) Eccles. *VII.* 37.
(6) *Can. qui divina* 28. *c.* 13 *q.* 2.
(7) *L.* 6. *Cod. de sepulchr. viol., Novel.* 60. *cap.* 1.

§. V. Sequestris munere tum unus, tum plures fungi possunt, litigantibus non suspecti, probatae fidei, quique in administranda re sibi credita diligentes futuri existimantur. Imo et ipse judex, uti fert communis omnium sententia, sequester esse potest (1). Nemo invitus suscipere hoc officium cogitur, nisi aliud consuetudo, vel lex municipalis, vel justa, gravisque causa suadeat (2); sed semel suscepto nemo sese abdicare potest suo arbitratu, at justa causa, et judicis auctoritate opus est (3). Sequester autem ex contractu, vel quasi contractu obligatur (4).

(1) Quae sententia nititur praescripto *L.* 11. §. 2. *ff. de recept. qui arbitr.* ubi scriptum est » si res apud arbitrum depositae sint » et *L.* 7. §. *ult. ff. qui satisdar.* ubi habentur haec » apud officium deponi debebit.»
(2) Argum. *L.* 7. *ff. depositi*, cujus verba sunt » cum posset non suscipere talem causam. »
(3) *L. sicut* 5. *Cod. de Oblig. et Action.*
(4) *L.* 9. §. 4. *ff. de dol. mal.*

§. VI. Sequester castri, vel dignitatis, cui annexum est jus eligendi, vel praesentandi, et eligere, et praesentare potest, donec firma sequestratio est, modo ad haec praestanda aptus, et

idoneus sit (1). Potest tamen litigantes consulere, quorum si discors sententia est, eligere, vel praestare debet eum, qui magis dignus est. Quamquam autem sequester diligenter custodire, et administrare debeat rem sequestratam, ut illam absoluto negocio una cum fructibus victori restituat, (2), tamen ita fert aequitas, ut si is qui necessariam sequestrationem patitur, nihil aliud habeat, quo sese alat, litisque sumptus sustineat, ei praebeantur ex re litigiosa quae necessaria sunt.

(1) Confer Harpprecht. *in Instit. quibus mod. re contrahat. oblig.* §. *praeterea* 3. *num.* 160., aliosque complures, a quibus solide refutantur ii, quorum alia sententia est.
(2) *Clem. un. h. tit.*, *Cap.* 2. *de dol. et contumac.*

§. VII. Pluribus autem modis sequestrum tollitur. Nimirum lite finita, quia tunc res sequestro subjecta victori restituenda est; ac lis finita dicitur, cum judicis sententia vim acquirit rei judicatae. Hinc removetur sequestrum emissa appellatione, dataque a domino idonea cautione (1); sequestre susceptum officium deserente cum justa causa, et judicis auctoritate (2); eveniente conditione, cum qua sequestratio concessa fuit (3); morte sequestris, qui cum personae fides, et industria electa sit, hoc officium minime ad heredes transit, et tunc res sequestrata in aede sacra deponi solet (4). Huc quoque referendus est regressus rei intra annum, si loco missionis in possessionem ex primo decreto facta est sequestratio (5).

(1) *L. ult. Cod. de ordin. cognit.*
(2) *L. et apud* 5. §. *ult. ff. deposit.*
(3) *L. proptie* 6. *ff. deposit.*, *L. si quis affirmavit* 9. §. *Labeo* 3. *ff. de dol. mal.*
(4) *L.* 5. *in fin. ff. deposit.*
(5) *Cap.* 1. *de sequestr. posses.*

§. VIII. Saepe ita postulat rerum ratio, ut melius, et commodius sit sequestrationem omittere, manusque injicere in personam, et eam ejusque rem detinere, ut ita magis tuto, et expedite petitori satisfiat. Quod fit vel privata voluntate, et arbitrio, vel auctoritate judicis, qui ex officio, aut parte rogante negocium conficit ex justa causa, unde constet, vel utile, vel necessarium esse in partem alteram manus injice-

re, ejusque rem detinere. Quod si postea, quod actum fuit injustum deprehenditur, qui damnum dedit damni tenebitur, atque adversus eum intendi quoque poterit actio injuriarum. Privato arbitrio, et voluntate licet in debitorem manus injicere, cum inter eum, et creditorem ita pacto cautum est; verum si id fiat sola voluntate creditoris, tale facinus vetitum est, cum nemini liceat in propria causa sibi jus dicere, nisi periculum sit in mora, quia debitor de fuga suspectus est, nam tunc licet debitorem detinere, quoniam id vim habet defensionis.

§. IX. Verum tuta et tranquilla fiunt omnia, cum debitor creditori satisfaciat, aut bonis cedit, aut idoneam praestat cautionem de stando juri, et judicatum solvendo; quae cautio fieri debet per pignora, vel fidejussores, quoniam juratoria generatim satis non est, nisi agatur de persona probatae fidei, et praeclarae nobilitatis, ac dignitatis, in quam nulla prorsus cadere suspicio perjurii possit. Sic etiam laxatur vinculum, quo quis adstrictus fuerat, cum patet, nullam idoneam fuisse causam, propter quam illud injiceretur.

# DE CONFESSIS

## TITULUS XVIII.



Sextus *hoc. tit.* Decretum *can. nos in quemquam c.* 2. *q.* 1. et *c.* 15. *q.* 3. 6. 8. *per tot.* Pandectae *lib.* 42. *tit.* 2. *et tit. de interrogat.* Codex *lib.* 7. *tit.* 59.

§. I.

Hactenus quae ad modum, et formam pertinent ordinandi judicii, Raymundus persecutus est; nunc accedit ad vim intimam, et naturam judicii; atque ad ea, quae cognoscenda, expendendaque sunt, ut judicium rite, et recte absolvatur. Hujusmodi sunt probationes, per quas rei veritas demonstratur, ita ut judici ad ferendam sententiam cuncta prompta, et aperta sint. Inter probationes locum obtinet praecipuum confessio, cum nulla sit probatio major ea, quae a proprii oris confessione procedit (1). Ea vel judicialis est, quae fit in judicio verbis, aut facto, vel extrajudicialis, quae extra judicium emittitur.

(1) *L.* 1. *ff. de confess.*, *L.* 13. *Cod. de non numer. pecun.*

§. II. Alia item est confessio, quae simplex, alia quae qua-

lificata appellatur. Simplex confessio est, quando quis plane, ac simpliciter confitetur quod ab Adversario proponitur, nec aliquid addit, quod confessionem explicet, et adstringat, ut si quis homicidii accusetur, seseque hujus criminis reum aperte fateatur. Qualificata est, quando quis confitetur quidem actoris propositum, sed modum adjungit, et conditionem, ut si quis dicat, fecisse quidem homicidium, sed fecisse necessariae defensionis causa. Rursus confessio est, quae discreta, seu determinata, quaeque indiscreta dicitur; in illa exprimitur obligationis causa, ut debeo centum ex mutuo, in hac non exprimitur, ut debeo centum, non indicata causa, unde hoc debitum oritur. Denique confessio rei expressa est, quae fit expressis verbis, signisve animum aperte declarantibus, vel tacita, quae etiam quasi confessio appellatur, quaeque vel ex certo aliquo facto elicitur, vel a lege emissa fingitur. Ita qui criminis accusatus cum accusatore transigit, ut ab accusatione desistat, crimen confiteri censetur; ita qui vocatus in judicium venit sine justa causa, aut susceptum fugit, litemque deserit, suum malum jus videtur ostendere, ac tamquam confessus habetur (1).

(1) *Cap. ult. de confess. in 6., L. 53. §. 1. ff. de re judic.*

§. III. Ut vim habeat confessio, praesertim judicialis, plura requiruntur. Scilicet necesse est, ut a majore emissa sit, minor autem, qui cum auctoritate curatoris confessus, si damnum pertulit, restituitur (1); ut sponte ac libere, quoniam vi, et tormentis expressa non valet, nisi confessus secunda, aut tertia die ad tribunal ductus, et procul a conspectu tormentorum confessionem repetat (2), ut a sciente, sive ab homine, qui rem bene norit, sanaeque sit mentis, et animo non furore, vel calore iracundiae, aut probabili errore impedito (3); ut contra semetipsum, cum nemini in alterius perniciem confitenti fides adhibeantur (4); ut in jure, hoc est in judicio pro tribunali sedente judice, uti et coram arbitro, cum arbitria ad instar judiciorum sint (5); praesente adversario, sive ejus procuratore (6); ut super re certa in substantia, et numero, seu quantitate (7); ut super re litigiosa (8); ut non pro commodo, et utilitate confitentis (9); ut non adversaria juri, ac rerum naturae, veluti si quis dicat filium suum, quis major aetate

est, quam sit ipse, aut si hominem, qui adhuc vivit sese occidisse affirmet (10). Sed confessio etiam utriusque conjugis consentientis contra vim matrimonii, nullius momenti est (11).

(1) *L.* 6. §. 5. *ff. de confess.*
(2) *Can. si quandoque* 1. c. 15. q. 6., *L.* 1. *ff. de quaest.*
(3) *L. quidquid calore* 48. *ff. de reg. jur.*, *Cap. ult. de confess. L. quamvis* 1. *et L. error* 7. *Cod. de jur. et fact. ignor.*
(4) *L.* 74. *ff. de regul. jur.*
(5) *L.* 1. *ff. de recept. qui arbitr.*
(6) *L.* 6. §. 3. *ff. de confess.*
(7) *L. certum* 6. *ff. eod. tit.*
(8) *L.* 13. *ff. de interrog.*
(9) *L. rationes* 6. *Cod. de probat.*
(10) *L. confessionibus* 13. *ff. de interrog. in jur. fac.*; *L. inde* 23. §. *ult. ff. ad Leg. Aquil.*
(11) *Cap.* 5. *de eo qui cogn. consanguin.*

§. IV. Judicialis confessionis maxima vis est, adeout si reus in jus veniens coram judice fateatur justam, ac veram esse actoris petitionem, causa finita sit, cum reus sua confessione in semetipsum condemnationem protulisse videatur. Nihil tamen obstat, quominus judex sententiam ferat; imo lite contestata, nisi litigantes eam mutuo consensu plane deserant, judicis sententia plerisque necessaria videtur (1), quoniam judicium semel caeptum sententia absolvendum est.

(1) Utrum judicialis confessio requirat sententiam definitivam, an secus, vetus quaestio est, eaque nondum dijudicata, in qua plura facta sunt divortia sententiarum. Aliqui hanc sententiam necessariam esse affirmant, alii contra negant, et alii a civilibus judiciis criminalia distinguunt, et in his quidem definitivam sententiam, non item in illis requiri arbitrantur. Mihi quidem magis placet sententia eorum, qui in judiciis civilibus discrimen faciunt inter confessionem, quae ante, et quae post litem contestatam emissa est. Solide hanc controversiam explanat Franciscus Schmlzgrueber. *Jus eccles. univers. par.* 3. *tit.* 18. §. 1. *num.* 16. *seqq.*

§. V. Ad eliciendam hanc confessionem jamdiu receptum est, ut litigantium alter alteri proponat positiones, sive articulos (1), respicientes non causam universam, sed facta quaedam, quae ad causam pertinent, ut iis ab adversario constitutis alteri sit exploratum, quid probare ipse debeat, quid in probatis habere (2). Suffectae sunt positiones interrogationibus, quae olim ante contestatam litem fiebant in jure, sive apud Praetorem,

cum quis experiri vellet actione reali, puta hereditatis petitione, ac rei vindicatione, et nescius, possideret ne, aut quo jure possideret reus, ex ejus ore actor exprimebat genus actionis, quo ipsum uti oportebat. Actio descendens ex his interrogationibus actio interrogatoria dicebatur, unde Pandectarum tituli *de interrogationibus in jure factis, et interrogatoriis actionibus*.

(1) Saepe positiones cum articulis confunduntur, sed revera distinctae sunt. Nam positio est simplex assertio facti ad causam pertinentis scripta; et jurata, ut per responsum adversarii sacramento firmatum litigantium alter solutus sit onere probandi ea, quae alter confessus est. Articulus est illa propositio, quae post adversarii responsum adhuc ab eo, qui rem proposuit, demonstranda est. Positionum vocabulum occurrit in *L.* 1. *ff. de justit. et jur. et in* §. *ult. Instit. eod tit.* His in locis positiones sunt genera, et capita; sive partes, et species, uti explicant Harprectus *ibid.*, et Douellus *de jur. civ. lib.* 2. *cap.* 3. *numer.* 3. *opp. tom.* 1. *col.* 195. *edit. Lucae* 1762. Confer etiam Connanum *Comment. jur. civil cap.* 4. *num.* 3. *opp. tom.* 1. *pag.* 15. *edit. Basileae* 1562. Optime Cujacius *in Leg.* 115. *opp. tom.* 8. *col.* 543. *edit. Venet. seu Mutin. citat.* hanc vocem a Stoicis arreptam docet, qui τόπους vocant, quod alii genera, vel species, vel partes appellant. Eodem dicendi genere usum esse Palladium *de re rustic. lib.* 3 *tit.* 11. observat Dukerus *de Latinit. vet. jurisc.* Francisco Curtio positio est „ quaedam judicialis formula verborum concepta, et » reperta ad eruendam veritatem per adversarii responsionem. » Ab hac » definitione non multum abhorrent Odofredus Beneventanus, Jacobus de Arena, et Ubertus de Bobio IC., qui tractatus *de positionibus* ediderunt, et hoc eodem sensu positionum vocabulum in foro usurpatur Vide Calvinum *Lexic. jurid.*, et Heineccium ad Brissonium *de verb. signific. verb. positio.* Sed quales hodie adhibentur, positiones initium videntur habere in Jure Canonico, hoc est in *Cap.* 54 *de elect.*, *et Cap. un. de lite contest.* Quod vero inquit Clemens V. *Clem. saepe de verb. signific.* eas longaevo usu in causis admissas, ad usum fori ecclesiastici referendum est.

(2) *Cap.* 1. *de confess. in* 6.

§. VI. Positionibus respondere juratus debet is, cui illae datae sunt, ac si confessus fuerit, urgebitur testimonio suo; tamquam re satis certa, et probata; si respondere noluerit, aut ne responderet, a judicio discesserit, cum nullam justam habuerit causam non respondendi positionibus (modo id per sententiam interloquutoriam declaretur (1)) conscientia sua convictus judicabitur. Quod quidem verum est, cum judex respondere jussit; nam qui judicium deseruit, antequam illud a judice mandaretur, contumax, non convictus existimatur (2).

(1) *Cap.* 2. *de confessis in* 6.

(2) *Cap.* 1. *de confessis in* 6.

§. X. Legitime vero, atque ex judicii formula interrogati non solum testes, sed ipse etiam reus omnino confiteri veritatem debent (1). Ex judicii formula interrogatus censetur reus, cum crimini vel infamia, vel expressa indicia; vel semiplena probatio antecesserunt. Infamia quaestionem antegressa habetur, cum reus in criminis suspicionem vocatur a multis, qui viri graves, et probi, non malevoli, non maledici, non leves omnium judicio existimantur; vel cum totius populi voce, aut publico rumore criminis reus ille conclamatur. Judicia sunt circumstantiae, et signa, ex quibus prudenter, et considerate de aliorum actionibus judicium ferri potest. Semiplena probatio est assertio unius testis, in quem nulla cadat adversa suspicio. Cum unum aut alterum ex his tribus praesto est, reus a legitimo judice interrogatus confiteri debet simpliciter, ac sine ambagibus veritatem, quamvis eam confessionem magnum sibi damnum allaturam intelligat (2).

(1) Catechismus Romanus *par.* 3. *de octav. praecept. cap.* 9. §. 15. S. Thomas 2. *quaest.* 69. *art.* 1. Confer Natalem Alexandrum *Theolog. Dogmat. Moral. de decalog. cap.* 10. *art.* 3. *Reg.* 3. *tom.* 2. *pag.* 494. *edit. Venet.* 1772.

(2) S. Thomas *loc. cit.*, » quando aliquis, *inquit*, » secundum ordinem juris a judice interrogatur, non ipse se prodit, sed ab alio proditur, dum ei necessitas respondendi imponitur per eum, cui obedire tenetur.

§. XI. Quod ad testes attinet, hi quoque, cum eorum testimonium requiritur a superiore, cui sunt subditi, en juris praescripto interrogati, neque subterfugere testimonium, neque caelare, aut negare veritatem possunt; sed cogi nequeunt ad ferendum testimonium in occultis, et de quibus nulla pridem infamia orta est (1). Nihil attinet dicere de iis, quae in sacramento poenitentiae narrata sunt Sacerdoti, quoniam omnibus compertum est, quanta in his rebus esse debeat secreti fides, et religio, et quanto omni hominis praecepto majus sit vinculum sacramenti. Sed in ceteris, quae cum secreti lege significata sunt, videndum est, cujusmodi ea sint. Cum talia sunt, qualia omnis homo, vix ea rescivit, statim patefacere debet, puta si pertineant ad corrumpendam, contaminandamque multitudinem, si grave alicujus

damnum immineat, aut quid aliud hujusmodi occurrat; secreti lex, et promissio plane despicienda est. Contra quae sunt cum secreto significata, quaeque prodere non est necessarium, ea quidem patefacienda non sunt, etiam jubente superiore, quia servare fidem juris naturalis est, neque homini praecipi quidquam potest, quod huic juri adversetur.

(1) Consule S. Thomam 2. 2. *quaest.* 70. *art.* 1., et Catechismum Romanum *loc. cit.* § 16.

§. XII. Extrajudicialis confessionis non eadem vis est, quae judicialis; sed ea pro rerum, et causarum varietate, in quibus versatur, varia, ac quasi multiformis est. Communis opinio est, distinguenda esse civilia judicia a criminalibus, et in illis quidem cum extrajudicialis confessio spectat ad liberandum debitorem, ut si quis dicat, *profiteor te non teneri*, ea modo ab adversario accepta sit, plenam probationem constituit (1). Contra si eadem confitentem obliget, interdum plene, interdum semiplene, interdum nihil probat. Plene probat, si sit discreta, hoc est adjecta causa speciatim expressa, ut *confiteor me* 100. *debere Titio ex causa accepti mutui*; praeterea si emissa sit in scriptis, aut etiam viva voce, sed praesente adversario, ac per duos integrae fidei testes probata (2); modo aliud certissimis argumentis non ostendatur. Probat semiplene si discreta non sit, aut facta absente adversario (3); denique nihil probat, si neutrum ex his duobus praesto est.

(1) *L. tale pactum* 40. *ff. de pact.*
(2) *Cap. si cautio* 14, *de fid. instrum.*, *L. generaliter* 13. *Cod. de non numer. pecun.*
(3) Sed haec quoque confessio plenam probationem facit, cum in scriptis, aut instrumento recepta est, cum post intervallum repetita, cum jurata, cum piam causam respicit.

§. XIII. Sed et confessio Procuratoris, qui speciale, aut liberum mandatum habet (1), dominum obstringit; atque etiam confessio Praelati obligat successorem Ecclesiae, cui pridem ille praefectus fuerat. Quod tamen verum est, cum emissa fuit confessio propter officii necessitatem, puta quod judex interrogavit; nam si facta fuerit confessio prorsus vo-

luntarie, ac nulla officii, aut judicii cogente necessitate, alteri nihil nocet (2). Ecclesia, quae ex Praelati confessione damni aliquid cepit, habet beneficium restitutionis in integrum, aut errorem, si qui forte irrepsit, emendare potest (3); et successor universalis tamdiu revocare alterius confessionem potest, quamdiu posset is, cui successit, si vitae usura frueretur. Quod de singulari successore, qui revocare hujusmodi confessionem nequit, non est ita.

(1) *Cap. ult. de conf.*, *Cap. dilectus* 2. *de Capell. Monach.*, *L. qui servum* 20. *ff. de interrog. in jur. fac.*
(2) Argumento §. 1. *Instit. de testam. milit.*, *L. Elernio* 26. §. *neque haeredi* 15. *ff. de noxal. action.*, *L. certum* 6. *ff. de confess.*
(3) *Cap. ult. de in integr. restit. in* 6.

§. XIV. Est et magni momenti confessio edita in testamento, actuve alio ultimae voluntatis; sed non omnes hae confessiones parem exitum consequuntur. Adversus confessum plene probat confessio, quae habet expressam causam debiti, quaeque juramento, aliove adminiculo firmata est; at si nihil adest hujusmodi ex. gr. *Titio debeo* 100., nihil valet, neque haeredes ejus vinculo obstringuntur, quoniam in fraudem legis haec confessio emissa videtur (1); nisi attingat hominem, cui se beneficio obligatum testator confitetur, quia tunc expressum debitum saltem jure legati peti potest (2). Confessio testamentaria tertio nihil officit, quoniam in tertii perniciem adhibenda fides est nemini (3). Itaque si pater, vel mater in testamento scribat, filium ingratum, vel ex adulterio natum, ideoque exheredari, neutri credendum est.

(1) *L. cum quis* 37. §. 6. *ff. de legat.* 3.
(2) *L. Aurelius* 28. §. *ult. ff. de liberat. legat.*
(3) *Argum. L.* 6. *Cod. de testam.*, *L.* 3. §. 1. *ff. ad S. C. Silan.* *Novell.* 48. *cap.* 1. §. 1.

§. XV. Interdum evenit, ut qui in judicio confessionem expressit, ejus se poeniteat, et ideo quaeritur, num ejus retractatio permittatur? Eam sane permitti constat, modo id fiat statim, et antequam confessus a judicio discedat, etiamsi nullus demonstratus sit error, maxime si confessio ab Adversario accepta non fuerit. At si postea revocetur confes-

sio, eaque sit procuratoris, oeconomi, administratoris, satis est demonstrare, quod non ita se res habeat, quoniam in facto alieno probabilis error est. Verum cum a sese ipse confessio procedit, ante litem contestatam satis est ostendere, secus rem esse; post litem contestatam demonstrandus est error, ac proferenda argumenta, quae hunc errorem probabilem faciant, puta quod is alterius dolo, aut suasu deceptus, quod metu perterritus, quod multiplex, et implicatum negocium sit, neque illud bene potuit mente retineri ob temporis, quod interim elapsum est, diuturnitatem. Cum id actum est, etiam post litem contestatam recte, atque ordine confessio revocatur, modo id ante sententiam fiat (1). Ecclesia contra propriam confessionem, ex qua damnum accepit, habet intra quadriennium beneficium in integrum restitutionis (2).

(1) *Cap. ult. de confess. L. error. 7. Cod. de jur. et fact. ignor.*
(2) *Cap. 2. de restit. in integr. in 6.*



# DE PROBATIONIBUS

## TITULUS XIX.



Clem. un. *hoc tit.* Decretum *can.* 5. *q.* 44. *et c.* 6. *q. ult.* Pandectae *lib.* 22. *tit.* 3. Codex *lib.* 4. *tit.* 19.

§. I.

Judicium per probationes expeditur, neque finiri disceptatio, ac sententia ferri potest, nisi per illas primum patefacta, et demonstrata sint omnia diligenter. Hae vero probationes ex pluribus educuntur; nimirum ex testibus, ex instrumentis, ex jurejurando, ex oculari inspectione, ex indiciis, et praesumptionibus, ex fama. Cuncta Raymundus singillatim persequitur, sed primum peculiari titulo agit de probationibus in genere, ut earum tractatione explicata, quae ad singulas pertinet, facilius cognoscantur. Probatio est illius rei, quae in controversiam adducitur, legitime Judici facta demonstratio.

§. II. Generatim actoris est onus probandi, eoque non probante reus absolvitur, quamquam nihil ipse praestiterit (1). Sed interdum probandi onere tenetur reus, nimirum si excipiendo aliquid affirmat, quia tunc actor fit in exceptione sua (2); si ei jus resistat, et assistat actori, ejusque actionis fundamentum constituat (3), veluti si Episcopus Capellam petat suae dioecesis, aut Parochus decimas; tunc enim reus demonstrare debet, quo jure Capella, vel decimae ad sese pervenerint; si pupillus agat contra venditionem rei immobilis, quoniam emptoris est ostendere, se tutore auctore,

lege non prohibente rem emisse (4); si reus ultro suscipiat onus probandi, et quamvis non probet, non ideo causa cadit (5), vel si judex probandi onus in reum transferat ipsi deferens juramentum (6). Aliquando etiam tam actor, quam reus probare debet, quod pro se quisque asseverat, uti fit in judiciis duplicibus familiae erciscundae, communi dividundo, finium regundorum, in quibus uterque litigantium partes actoris sustinet (7).

(1) *L.* 4. *Cod. de eden.*, *L. frustra* 8., *et L. Actor.* 23. *Cod. de probat.*, *Can.* 1. *c.* 6 *q.* 5.
(2) *L.* 9 *et* 19. *ff. de probat.*
(3) *Cap.* 2. *de restit. spoliat. in* 6.
(4) *L.* 13. §. *ult. ff. de publician.*
(5) *L.* 14. *ff. de probat.*
(6) *Cap. ult. in fin. de jurejur.*
(7) *Cap.* 3. *et* 9. *de probat.*

§. III. Generaliter *ei incumbit probatio*, ut inquit Paulus (1), *qui dicit*, *non qui negat*. Verum in negantem onus probandi transfertur, cum ipse negat quod a jure permittitur, ut si quis neget, rite, et recte factam electionem, emancipationem, similia (2), quae rata firma habenda sunt, nisi irrita, aut illicita demonstrentur; at nullo premitur onere probandi qui ea negat, quae vetita sunt, ut si quis dicat, *nego te hominem jure occidisse*, *aut ejus bona arripuisse*. Similiter qui negat qualitatem, quam communis natura omnibus attribuit, debet id, quod negat manifestum facere, ut si quis neget aliquem esse sanae mentis, vel idoneum ad rem uxoriam exercendam. Contra si qualitas communis non est omnibus, sed tantum quorumdam propria, ut si quis neget, aliquem esse doctorem, aut nobilem, nullam habet probandi necessitatem, sed eadem ab alio patefacienda est, nisi ille fungatur munere, cui negata qualitas necessario annexa est. Denique qui negatione includit affirmationem facti, probandi onus ferre cogitur, ut si quis dicat, se sponte non contraxisse matrimonium, quoniam sibi metum illatum affirmat, hunc sane demonstrare debet.

(1) *L.* 2. *ff. de probat.*
(2) *L.* 5. *ff. eod.*

§. IV. Probatio alia plena, et perfecta, alia semiplena, et imperfecta est (1). Plena est, quae evidenter, planeque ostendit id, quod proponitur; semiplena, quae fidem aliquam facit, sed non plenam, neque idoneam ad judicium absolvendum, ac potius injicit opinionem, ut dictum unius testis, comparatio scripturarum.

(1) Plures sunt Jurisconsulti, iique in primis nobiles, et insignes, qui hanc distinctionem respuunt, neque semiplenae probationis rationem aliquam habendam putant. Sic Duarenus *lib.* 2. *disp.* 33. Faber *de error. pragmatic. dec.* 19. *error.* 1. Donellus *ad tit. Pandect. de jurejur. cap.* 11. *n.* 3. *seqq. opp. t.* 10. *col.* 747. *seqq.* Cujacius *in Codicem tit.* 8 *lib.* 9. *ad Legem Jul. opp: tom.* 9. *col.* 1513., quamquam hic *ad L.* 3. *tit.* 1. *lib.* 4. *Cod. col.* 174. *d. tom.* 9. approbare videatur distinctionem a Juris peritis traditam plenae, et semiplenae probationis. Atque hi quidem omnes sic statuunt, semiplenam probationem nullo in numero habendam esse, neque ulla ex parte probatum existimari posse, quod perfecte probatum non est, quemadmodum vitiose cautum non videtur cautum *L.* 6. *ff. qui satisd. cogan.*, neque stipulatio, emptio, testamentum valent, nisi omnia perfecta sint *L.* 115. *ff. de verb. obligat.*, *L.* 19. *ff. de contrah. empt.* Verum hi actus individui sunt, et hinc mirum non est, eos non valere, nisi perfecti sint. Sed probatio dividua est, ideoque eam plus minusve evidentem saepe dicimus, et interdum etiam *luce clariorem*, qualem causae criminales postulant *L. ult. Cod. de probat.* Ceterum ea, quam proposui, distinctio receptissima in foro est, neque immerito. Quamquam enim actor plene probare debeat actionis suae fundamentum, tamen despicienda non est ea probatio, quae licet plenam fidem non faciat, tamen probabilem affert conjecturam. Per eam tantum reus quidem condemnari non potest; sed tamen judicis diligentia excitatur ut illum temere non absolvat, at alias quaerat probationes, quibus suppleatur id, quod per unam semiplenam probationem effici nequit. Ita haec semiplena probatio necessitatem imponit jurisjurandi, per quod aut reus se plane purgat, aut actor probationum inopiam supplet. Sane in *L.* 31. *ff. de jurejur.* scriptum est: *solent saepe judices in dubiis causis exacto jurejurando judicare.* Et in *L.* 3. *Cod. de reb. credit.* habentur haec: *Inopia probationum per judicem jurejurando res decidi oportet.* Jamvero τo *dubiis causis*, et τo *inopia probationum*, cujus gratia res *jurejurando deciditur* ad semiplenas probationes referri debet. Accedit auctoritas Juris Canonici in *Cap.* 4. *de in integr. restit.*, ubi haec scripta sunt; *licet non constet ad plenum*; et *Cap.* 6. *de frigid. et malefic.*, ubi haec occurrunt; *quamvis semiplene nobis expresseris.* Quo utroque loco sine dubio semiplena probatio significatur. Ad semiplenae probationis genus referri quoque videtur posse quod narrat A. Gellius *Noct. Attic. lib.* 14. *cap.* 2. *pag.* 753. *edit. Lugdun Batav.* 1666.

§. V. Species plenae probationis sunt testificatio, seu jurata affirmatio duorum saltem testium omni exceptione majorum; publicum instrumentum, vel alia scriptura, quae parem vim habeat, certaeque sit fidei; praesumptio juris, et de jure;

juramentum, quod ab altero litigantium delatum alter praestat. Inter has probationes recenseri etiam videntur posse confessio, et facti evidentia; sed hae, quamquam maxime judici fidem faciant, tamen proprie non sunt probationes. Nam confessio relevat cura, et onere probationis; reique, et facti evidentia non tam probatio, quam ipsa rei et facti certa demonstratio est. Species autem semplenae probationis sunt multae, ut unius hominis testificatio, juramentum suppletorium, scriptura privata, comparatio literarum, praesumptio levis, fama, cetera generis ejusdem.

§. VI. Inter plenas, et semiplenas probationes magnum discrimen intercedit. Plena probatio judicem adstringit ad ferendam sententiam vel pro actore, si is plene probavit, vel pro reo, si neque ab actore, neque a reo plene aliquid probatum est (1). Plene probans solutus est onere praestandi juris jurandi, imo infert impedimentum reo, quominus canonicae purgationis beneficio potiatur (2). Cum plures concurrunt probationes, quae sibi invicem non adversantur, altera alteram non elidit, sed unaquaeque pro sua causa subsistit, ut si quis manifestum faciat, datum esse mutuum, alter vero ostendat, illud esse solutum. At si contrariae sint, quae vim majorem habet, praestabilior judicanda est. Sic probationes per rei veritatem, per duos testes de visu potiores sunt probationibus, quae ex praesumptionibus, vel uno teste, et fama viciniae educuntur. Probatio virginitatis per juramentum, perque inspectionem septem matronarum antefertur probationi viri sacramento affirmantis, se cum muliere liberis dedisse operam. Si pares omnino sint probationes, fertur sententia pro reo, vel possessore, vel tandem pronunciatur, uti possidetis ita possideatis (3); exceptis causis libertatis, matrimonii, testamenti, dotis, pro quibus, cum pares sunt probationes, judicandum est (4).

(1) *L. 11. et 12. Cod. de probat.*
(2) *Cap. 2. et 12. de probat.*
(3) *Cap. 9. de probat.*
(4) *Cap. ult. de senten. et re judic., Cap. 3. de probat.*

§. VII. Semiplena probatio facit, ut locus sit juramento suppletorio; eaque cum aliis adminiculis conjuncta plenam probationem constituit. Quin communis est jurisperitorum opinio, eam satis esse ad ferendam sententiam in causis modicis, et

antiquis, per quas nemini detrimentum infertur, perque difficilis rei demonstratio est ob diuturnitatem. Quamquam vero una semiplena probatio ad expediendum judicium idonea non sit, tamen si duae conjungantur semiplenae probationes, quae finem eumdem spectant, plena efficitur probatio, per quam a judice rite et recte potest emitti sententia. Ita si per oculatum testem unum, ac per juramentum suppletorium, vel per alia adminicula vim habentia semiplenae probationis, res aliqua demonstretur, ea plene demonstrata habenda est. Excipiuntur causae criminales (1), matrimoniales, civilesque gravissimae, quae criminalibus comparantur, in quibus ob grave damnum, quod secumferunt, duae semiplenae probationes non conjunguntur.

(1) De his tamen criminalibus causis digna observatu est Benedicti XIV. Constitutio edita 2. Jun. 1753., qua confirmatis decretis Congregationis particularis sancitum est, in atrocissimis quibusdam criminibus probationem suppleri posse etiam ex indiciis, atque ex numero etiam per testes minus aptos, et idoneos; idemque observandum in locis, in quibus versari non solent alii testes, quam homines infames, modo id suppleatur per indicia, et conjecturas, quae ab aliis testibus comprobentur. Atque haec constitutio ad totam pertinet ecclesiasticam ditionem.

§. VIII. Placet hic aliquid dicere de evidentia facti, seu oculari inspectione, quam perspicuam rei demonstrationem esse diximus, ac de fama quam inter semiplenas probationes recensuimus. Utraque pertinet ad hoc, in quo versamur, argumenti genus, neque de iis peculiares sunt tituli in Decretalibus. Inspectio ocularis a judice adhibetur, ut oculis subjiciat, quae non satis certa, et explorata sunt, atque ita oculorum testimonio res fiat manifesta, totaque controversia expediatur. Huic oculari inspectioni locus est in iis rebus, quae sub oculos cadunt, veluti in causa homicidii, vulnerationis, novi operis nunciatione, finium regundorum, ac servitutum, in aetate ex habitu corporis definienda, in causis matrimonialibus, in quibus quaeritur, num aliquis aptus sit ad liberos procreandos, num iis operam unquam dederit. Cuncta fiunt praemissa aliqua causae cognitione, praesentibus litigantibus, notariis, testibus, virisque peritis rei, de qua quaestio est, quorum est rem ipsam, suamque sententiam judici diligenter aperire. In causis matrimonialibus, in quibus quaeritur, num aliquis idoneus sit ad ma-

trimonium contrahendum, viri a medicis, et chirurgis, mulieres ab honestis matrimoniis, et obstetricibus inspiciuntur (1).

(1) *Cap.* 4. *et* 14. *de probat.*; *Cap.* 6. *et seq. de frigid. et malef.*

§. IX. Fama hominis est ipsius existimatio, seu *dignitatis illaesae status*, ut inquit Callistratus (1), *legibus, ac moribus comprobatus, qui ex delicto nostro auctoritate legum aut minuitur, aut consumitur.* Fama inter homines est populi, sive alicujus provinciae vel loci hominum commune, constans, publicumque judicium. Huic affinis est rumor, nimirum de re aliqua sermo, et opinio non communis omnium, sed singularis paucorum, in quo a fama distinguitur. Demonstranda in judicio est fama per privilegia, et antiqua instrumenta, quae plura numero sint, cunctaque in rem eamdem conveniant, per scripturas certae fidei, literasque virorum probatorum; per duos saltem testes, qui integrae famae sint, et jurati, et concordes, et suae scientiae rationem reddant, et se a potioribus de communitate audivisse affirment, quae testificantur.

(1) *L. cognitionum* 5. §. *existimatio* 1. *ff. de extraord. cognit.*

§. X. In civilibus plerunque fama vim obtinet semiplenae probationis, et hinc alia accedente semiplena probatione plenam constituit (1). Verum aliquando plenae probationis loco est, quando scilicet factum occultum est, ac demonstratu difficile, vel leve est negocium, vel quando agitur de vitando peccato, veluti si contrahi matrimonium vellet cum fama dirimentis impedimenti. In causis tamen criminalibus, rebusque gravioribus, quae clarissimas probationes requirunt, fama ne semiplenae quidem probationis vim habet; quod etiam tenendum est, cum ea per homines leves, maledicos, mendaces demonstratur.

# DE TESTIBUS
## ET ATTESTATIONIBUS

### TITULUS XX.

I. et II. Testes, et qui testes esse nequeant?
III. Qui in certis causis, et pro certis personis testimonium ferre prohibeantur?
IV. Qui contra certas personas?
V. et VI. Testium numerus.
VII. et VIII. Testium examen.
IX. Publicatio attestationum.

Sextus, et Clementinae *hoc tit.* Decretum 2. *q.* 4. *et* 4. *q.* 2. Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 7. *de reform.* Pandectae *lib.* 22. *tit.* 5. Codex *lib.* 4. *tit.* 20. Novel. 90.

§. I.

Probationibus annumerantur testes, personae scilicet fide dignae, quae rei veritatem facere manifestam possint. Est autem testis fide dignus, qui rem, de qua quaeritur, compertam, et exploratam habeat, et qui probitate commendetur.

§. II. Non omnibus indiscriminatim testibus habenda fides est; et vero aliqui prorsus idonei sunt ad ferendum testimonium, ideoque ab omnibus repelluntur causis universe, et hi sunt amentes, impuberes, rei judicio publico, minores (1), praeterea judaei, ethnici haeretici contra catholicos, servi, infames, perjurii, excommunicati. Quin etiam Decretales testes esse nolunt criminosos, quamquam nondum damnati fuerint, sive quod accusati sint, sive quod criminis convinci possint (2). Mulieres in criminalibus testes esse vetat Jus Civile, si corpore quaestum faciant (3); at Jus Canonicum omnes generatim mulieres in criminalibus vetat esse testes, nisi alius desit investigandae veritatis locus, et nisi agatur de gravioribus criminibus, qualia sunt haeresis, simonia (4).

(1) *L. in testimonium* 20. *ff. de testib.*
(2) *Cap.* 10. 54. *et* 55. *de testib. et attest.*
(3) *L.* 2. §. 5. *de testib.*
(4) Consule Gonzalez *in cap.* 3. *de testib. et attestation.*

§. III Multi etiam in certis causis, et pro certis personis testimonium emittere prohibentur. Hujusmodi sunt parentes pro liberis, et liberi pro parentibus, quae juris disciplina producitur ad ascendentes, filios naturales, et spurios propter animorum affectionem (1); fratres, consanguinei usque ad tertium gradum inclusivé, uti et magna familiaritate conjuncti pro se invicem testes esse nequeunt (2), et conjuges, imo et sponsi, quorum ob mutuam animorum conjunctionem suspecta fides est (3). Clerici, et Monachi coram laico judice in rebus profanis non dicunt testimonium, nisi alius non sit veritatis demonstrandae modus; et tunc cum venia proprii Episcopi recte sunt testes, sed eorum testimonia á judice ecclesiastico recipiuntur. In causa universitatis, quae singulorum respicit utilitatem, ut cum agitur de pascuis, lignis caedendis etc., cives, aut membra hujusce universitatis testificari nequeunt; possunt tamen, si causa pertinet ad solám Communitatem, non ad commodum singulorum. Postremo neque in propria causa quis idoneus est testis (4), neque qui similem causam habet, ut actor in causa, quam judicat, fidejussor in causa fidejussionis, venditor pro emptore, donatarius pro donante, generatim omnes, qui testificando commodum, ác non testificando damnum accipiunt. Denique repelluntur caeci in iis, quae visu, surdi in iis, quae auditu percipiuntur.

(1) *L.* 9. *ff.* et *L.* 6. *Cod. de testib.* Vidé Gothofredum *in not. ad L.* 6. *num.* 3. *seq.*
(2) *L.* 3. *et* 5. *Cod. eod.*, *can.* 1. *et seqq. caus.* 3. *q.* 5
(3) *Cit. L.* 5.
(4) *L.* 10. *ff. de testib*

§. IV. Personae, quae contra personas testificari nequeunt, sunt socius contra socium criminis (1); inimicus contra inimicum, modo sit inimicitia gravis, aut capitalis (2); servus, et libertus contra dominum, et patronum (3); laici contra clericum in causa criminali (4), nisi hi suam, aut suorum injuriam persequantur, et tunc ad accusandum, non ad ferendum testimonium admittuntur (5). At si testes clerici haberi nequeant, laicorum probatur testimonium, maxime si notum est crimen, et publicam parit offensionem. Hae-

retici quoque, Judaei, et similes contra orthodoxum testes esse nequeunt, quoniam hi homines, qui neque Deo fidem servant, suspecti sunt de falsitate (6); atque ob mutuum amorem, et reverentiam uxor contra Maritum, Maritus contra uxorem (7) parentes, liberi, fratres, ceteri speciatim conjuncti, contra se invicem testificari nequeunt, nisi levis, et modica sit conjunctio, vel alio modo veritas demonstrari non possit. In his autem omnibus atrociora, et graviora crimina excipiuntur, praesertim perduellionis, haeresis, et alia gravissima, in quibus et minus idonei testes admittuntur. Judicis autem est, circumstantias considerare, iisque expensis videre, quanta eorum vis, et auctoritas esse debeat.

(1) *Cap.* 10. *de testib. et attestat.*, *L.* 11. *Cod. eod. tit.*
(2) *L.* 17. *Cod. eod.*, *Cap.* 13. *et* 19. *de accusat.*
(3) *L.* 8. *et* 12. *Cod. de testib.*
(4) *Cap.* 10 *eod.*
(5) *Cap.* 10. *et* 14. *eod.*
(6) *Cap.* 21. *eod., ibique* Glossa *verb. praesumant*, *L.* 21. *Cod. de haeret.*
(7) *Can.* 3. c. 4. *q.* 3. *L.* 3. §. 5. *L.* 5. *Cod. de testib. Cap.* 24. *eod.*

§. V. Sed et certus testium numerus requiritur, ut justa exinde probatio eruatur. Unius testis, quamquam ipse sit omni exceptione major (1), nulla fides est (2), tantum facit, ne temere fiat, quod sine flagitii periculo fieri non potest. Ita cum dubitatur, num quis baptizatus sit (3), num Ecclesia sit consecrata (4), cum impediendum est matrimonium, ut malum inde oriturum avertatur (5), uni testi credendum est. Sed et notario, qui ea confirmat, quae sui officii sunt (6), nuncio, qui se aliquem citasse testatur (7), Episcopo, qui testimoniales literas suo sigillo munitas dedit, Parocho, qui de suorum vita, et moribus, magistro, qui de studio, et progressu discipuli testificatur, omnis habenda fides est.

(1) *L.* 8. *Cod. de testib.* Sed *testimonium ab uno licet Episcopo perhibitum omnes judices indubitanter accipere oportere*, scriptum est *in Extravang. in fin. Cod. Theodos. tit. de Episcop. judic. pag.* 339. *tom.* 6. *edit. Gothofred. Lipsiae* 1743. De hac constitutione, quae Constantini nomen praesefert, et quam Gothofredus falsam putat, actum est *in Instit. tit.* 1. §. 22. *tom.* 1. *n.* 4. *pag.* 27. *et seq.*
(2) *Cap.* 10. *et* 28. *de testib.*, *Leg.* 8. *Cod. eod.*

(3) *Can.* 110. *de consecr. dist.* 4.
(4) *Can.* 16. *de consecr. dist.* 1. ibique Glossa *verb. nec. certi.*
(5) *Cap.* 12. *de sponsal.*, *Cap.* 22. *de testib.*
(6) *Novell.* 73. *cap.* 7.
(7) *Cap.* 19. *de appellat.*

§. VI. Ut plena sit probatio, duobus saltem, tribusve testibus opus est, qui concordes sint, et justam afferant scientiae causam (1). Quod si leges, et canones in aliquibus causis majorem postulant testium numerum, hic omnino retinendus est (2). Ita septem requiruntur testes in testamento (3), et septem pro solvendo matrimonio ob vitium corporis, quod procreandis liberis impedimento est (4), ac plures etiam pro arbitrio judicis, cum agitur de purgatione canonica (5). Testes singulares (6), et qui se ita credere (7), aut se ita ab aliis audivisse affirmant (8), certam ut plurimum probationem non faciunt; sed eorum attestationes sustentatae adminiculis in pretio hibendae sunt quod, prudentis, ac jurisperiti judicis arbitrio relinquitur. Interim quia testium fides infringi ac debilitari potest, saepe expedit plures afferre testes, ut firmior, et luculentior probatio habeatur; modo adversarius non oneretur impensis gravioribus propter inanem testium multitudinem. Jus civile rem totam permittit arbitrio judicis, cujus est testium numerum moderari (9); sed jus canonicum supra quadraginta ex utraque parte testes afferri vetat (10).

(1) *Cap.* 23. *de testib.*, *L.* 12. *ff. eod.*, *L.* 3. *Cod. eod.*
(2) *Cit. Cap.* 23. *et cit. L.* 12.
(3) §. *Sed cum paulatim Instit. de testamen. ordinand.*
(4) *Cap.* 7. *de frigid. et malefic.*
(5) Jura in numero testium, cum agitur de purgatione canonica, non conveniunt, uti patet ex *can.* 14. *et* 19. *c.* 2. *q.* 5. *et cap.* 10. *et* 12. *de purgat. canon.*, et ideo res omnis pro causarum ratione judicis arbitrio relinquenda videtur.
(6) *Cap.* 9. §. *quamquam de probat.*
(7) *Cap.* 37. *de testib.*, *et L.* 3. *eod.*
(8) *Cap.* 33. *et* 47. *eod.*, *Can. in primis c.* 2. *q.* 1.
(9) *L.* 1. §. 2. *ff. de testib.*
(10) *Cap.* 37. *eod.*

§. VII. Ut fidem in judicio habeant idonei testes, legitime examinandi sunt. Ergo qui probandi onere tenetur, producit testes, quos inde judex advocare debet. Nam tamquam suspe-

ctus rejicitur qui non vocatus sese ultro offert dicturus testimonium; nisi praesente adversario, et judice testificetur, obsistente nemine; cum hoc modo non se ultro inferre, et intrudere, sed potius tamquam testis produci videatur. Regulariter producendi sunt testes post litem contestatam intra tempus a Judice constitutum, idque permittitur per tres vices, non per quatuor, nisi justa causa praesto sit, legisque solemnitas observetur (1); semel autem producti iterum in eodem judicio super iisdem articulis produci possunt, modo quis eo se beneficio non abdicaverit, prioresque testificationes non didicerit (2).

(1) Hujusmodi solemnitates in eo negocio adhibendae declarantur in *Novel.* 90. *cap.* 4., cujus decretum receptum est a Jure Canonico *in Cap.* 15. 36. *et* 55. *de testib.*
(2) *Cap.* 46. *eod.*

§. VIII. Praeterea citandus est adversarius, cui contra testes proponere exceptiones licet suo arbitratu (2). Deinde producti, et citati testes a judice interrogandi, et examinandi sunt, nisi qua justa causa impedimento sit, quominus ad judicem veniant, quo in rerum statu a judice ad eos mittitur, qui eosdem interroget (2). Antequam vero testes suum proferant testimonium, ad stringendam fidem eorum, quae affirmant, deferente Judice jusjurandum emittunt, quo profitentur, se veritatem dicturos animo prorsus alieno ab omni commodo, odio, aut amore, neque testibus injuratis creditur (3). Sic vero jurati testes praesente adversario interrogabantur; sed fori consuetudine jamdiu receptum est, ut clam a judice interrogentur; verum antea citandus adversarius est, ut praesens sit, cum juramentum emittunt.

(1) *Cap.* 2. *de testib.*
(2) *Cap.* 8. *eod.*, *L* 15. *de jurejur.*
(3) *Cap.* 17. 29. 31. *de testib.*, *L.* 9. *et* 18. *Cod. eod.*

§. IX. Peracto examine attestationes publicantur, ut Adversarius de toto negocio certior fiat, ac ne propter ignorationem eorum, quae tradita sunt a testibus, detrimentum patiatur. Itaque appellatio conceditur a sententia lata neglecta publicatione, quamquam ea res vim intimam, et naturam judiciarii processus non attingat (1). Publicatis autem attestationibus non ad-

mittuntur testes super novis articulis, cum hi ad causam non pertineant, neque super antiquis articulis, vel directe contrariis iidem, aut alii testes admittendi sunt (2); sed cum occurrunt articuli ex causa emergentes, aut antiqui articuli indirecte contrarii, secus est (3). Atque etiam ante publicatas attestationes proponendae sunt exceptiones contra personas testium, nisi quis excipiendi jus sibi reservaverit, ac juratus affirmet, se nihil dolo agere, aut excipiendi causa deinceps innotuit (4). *Probatoriis* testibus, qui in medium afferuntur, ut aliquid probent, opponuntur *reprobatorii*, qui eorum dicta refellunt, et his alii *reprobatorii* (5), cum reprobationes hujusmodi vim habeant justae defensionis. Ultra hunc locum reprobationes producendae non sunt, ne pene infinitus sit earum numerus.

(1) *Cap.* 22. *de senten. et rejudic.*
(2) *Novel.* 90. *cap.* 4., *Auth. at qui semel Cod. de probat.*
(3) *Cap.* 17. 18. 36. *de testib. Clem.* 2. *eod.* *Cap.* 35. *de testib.*
(4) *Cap.* 31. *eod.*
(5) *Cap.* 49. *eod.*



# DE
# TESTIBUS COGENDIS,
## VEL NON

### TITULUS XXI.

I. Jus antiquum de cogendis testibus.

II. Jus novum Justiniani. Quando jure ecclesiastico cogantur testes?

III. Qui vocati venire non coguntur testimonii causa?

IV. Quid si ad eos mittatur qui testimonium exquirat?

### §. I.

Vetus est apud Romanos jus de cogendis testibus, quod et leges XII. Tabularum constituerunt. Nimirum testimonio indigentibus opem, auxiliumque ferebat trina denunciatio, sive citatio, quam *vagulationem* dicebant κλῆσιν, sive ἀνάκλησιν, hoc est *appellationem*, quae alta voce emittebatur. Trina haec denunciatio fiebat trinundino tribus diebus, sive nundinis, et exacto trinundino licebat contumaces vi abtorto collo in judicium adducere, si in foro, vel in publico offenderentur. Sed primum denunciabatur testimonium iis, qui praesto aderant, his verbis, *licet antestari*, qui annuentes memoriae causa aurem porrigebant, qua molliter tacta et apprehensa rei gestae memores esse monebantur (1). Hi testes etiam inviti in judicio testimonium dicere cogebantur, quem morem Romani ad alias quoque gentes sibi subditas tradiderunt, et hinc in Legibus Ripuariorum, et Bajuvariorum *torquere auriculas*, et testes *per aurem tractos* (2); et hinc etiam testis in judicium venire renuens mulctam solvit, nisi *sunnis*, hoc est legitima excusatio praesto sit (3).

(1) Confer Brissonnium *de formul. lib.* 5. *cap.* 1. *et* 2. *pag.* 345. *et* 346. *edit. Halae*, *et Lipsiae* 1731., *et* Heineccium *antiq. Roman. lib.* 4. *tit.* 6. §. 14. *seqq. opp. tom.* 3. *pag.* 429. *seqq. edit. Neapol.* 1769.

(2) Lex Ripuariorum *cap.* 60. et Lex Bajuvariorum *tit.* 16. apud Baluzium *Capitular. Reg Francorum tom.* 1. *col* 31. *et* 94. *edit. Venet.* 1772. et alibi passim.

(3) Sic in legibus Salicis *tit.* 1. *et* 54. *num.* 2. *ibid. col.* 201. *et* 225. Consonant leges Ripuariorum *tit.* 50. *ibid. col.* 27. De verbo *Sunnis* videndu Du-Cangius *Glossar. med. et infim. Latinit. eod verb.*

§. II. Antiquo jure Romano testes in causis criminalibus ad dicendum testimonium vocabantur, et cogebantur, non item in causis civilibus (1); sed Imperator Justinianus sancivit, ut etiam in causis civilibus cogi possint (2). Verum Romana Ecclesia testes hortari, et monere, non cogere consuevit (3). Tantum Ecclesiasticus judex invito testimonium denunciat, cum quis se subtrahit odio, aut gratia, (4), aut timore, neque alius est veritatis demonstrandae modus (5). Et quidem a laico testimonium fugiens multa pecuniaria, captisve pignoribus, aut consimili poena, ab ecclesiastico autem judice primum monitis, et hortationibus, postea censuris, suspensione ab officio, et beneficio, interdicto, excommunicatione, postremo depositione compellitur (6). Cum in judicio saeculari clericorum testimonium necessario requiritur, Episcopus a laico judice rogatus illud a clericis excipit, aut eos mittit ad judicem saecularem, ut more clericorum juramentum, et attestationes emittantur. Jus civile, uti diximus, testes cogit in causis tum civilibus, tum criminalibus; sed de Juris Canonici disciplina non una, et eadem jurisperitorum sententia est (7). Mihi similior veri videtur opinio eorum, qui generatim a jure canonico neminem cogi affirmant ad ferendum testimonium in re criminali; cogi tamen posse qui rem norunt, cum hi odio, gratia, timore sese substraxerunt, neque aliter veritas comprobari potest.

(1) *Novella* 90. *de testib.*, *Cap. et quoniam* 5. *in fin.*
(2) *L. si quando penult. Cod. de testib.*
(3) *Cap.* 1. *et* 3. *de testib. cogen.*
(4) *Cap.* 1. *cit.*
(5) *Cap.* 5. *et ult. de testib. cogen.*
(6) *Cap.* 1. 2. 5. 9. *ult. eod.*
(7) Multis ea de re disputat Emanuel Gonzalez *ad Cap.* 11. *de testib. cogen.*

§. III. Quidam vero sunt qui ad dicendum testimonium

cogi nulla ratione possunt, et huc spectant cognati adversus cognatos, dummodo non sint remotiores consobrino natis, affinis adversus affinem, socer adversus generum, gener adversus socerum, et similes (1), libertus adversus patronum, et patronus adversus libertum, minores 20. annis, qui tamen volentes dicere testimonium possunt. Contra sunt alii, qui soluti non sunt onere dicendi testimonii, sed vocati venire non coguntur. Ex eo genere sunt justis de causis impediti, uti sunt majores 70. annis, qui infirma valetudine, morboque tenentur, quibus venire non licet (2), qui vi tempestatis, nive, flumine impediuntur, qui publico munere funguntur, a quo sine detrimento Reipublicae avocari non possunt, uti sunt magistratus, milites armati, publicani, qui aliquid exercitui praebendum conduxerunt, puta annonam, calceos, arma (3). Huc etiam referuntur mulieres, quas vagari, et virorum coetibus immisceri non decet (4); huc demum Episcopi tum propter dignitatem, tum propter muneris obeundi necessitatem (5).

(1) *L. 4. ff. de testib.*
(2) *L. inviti 8. ff. eod.*
(3) *L. 19. ff. de testib.*
(4) *Cap. 2. judic. in 6.*
(5) *Novell. 123. cap. 7.*

§. IV. Hi omnes, quos postremo memoravimus, ad ferendum testimonium venire non coguntur inviti; sed tamen si ad eos mittatur, qui testimonium exquirat, quin hoc ferant recusare non possunt. Sumptus autem itineris, qui necessarii sunt, ut testes veniant ad locum, quo vocati sunt, ad eum pertinet, qui testes vocat, ac si non suppeditet hos sumptus ad iter necessarios, justa haec non veniendi excusatio est (1). Eamdem hanc excusationem longior mora concedit. Nam si testes cum venissent testimonii causa, intra quindecim dies interrogati non fuerint, integrum ipsis est discedere, ut nec iterum inviti evocari possint (2).

(1) *L. 3. §. Gabinio ff. de testib.*
(2) *L. si quando penult. Cod. de testib.*

# DE
# FIDE INSTRUMENTORUM

## TITULUS XXII.



### §. I.

Instrumentis quoque in judiciis probatio conficitur; imo haec duo interdum confunduntur, et Harmenopulus quidem δικαιώματα tum instrumenta, tum probationes appellat. (1). Sed proprie ab ipso Harmenopulo, et in Basilicis instrumenta vocantur συμβόλαια, signa, et pacta in scripturam redacta, ut actus facilius probari possit (2), eaque scriptura debet esse authentica, certae scilicet auctoritatis, et firmitatis. Instrumenti nomine generatim comprehenduntur omnia, quae ad causam instruendam pertinent, ideoque etiam testes eodem vocabulo designantur (3). Speciatim autem instrumentum est scriptura, quae judici fidem facit rei, quam continet, eaque vel publica, vel privata est.

(1) Harmenopulus *lib.* 1. *tit.* 2. *cap.* 14., *L.* 1. *ff. de fid. instrumen.*
(2) *L.* 4. *ff. de fid. instrum.*
(3) *L.* 15. *Cod. eod.*

§. II. Publica instrumenta, sive scripturae dicuntur, quae publica auctoritate fiunt a personis, quibus id munus datum est, uti sunt censuales tabulae, instrumenta a notario rite conscripta, acta judicialia, scripturae ex publicis archiviis eductae (1), et a publica persona confectae. Eodem in numero sunt scripturae publico, et authentico sigillo obsignatae,

veluti Principis, Episcopi, Capituli, Universitatis, itemque libri Parochorum, in quibus baptismata, matrimonia, funera describuntur. Privatae scripturae a privatis nulla publica auctoritate conficiuntur; et huc referendae suntepistolae, apochae, antapochae, chirographa.

*Auth. ad haec Cod. de fid. instrum.*

§. III. Publicum, et authenticum instrumentum saepe confunditur, et certe utrumque plenam probationem constituit; sed revera alterum ab altero differt, uti genus a specie, quoniam omne publicum instrumentum est authenticum, sed non omne autheuticum est publicum, quia etiam privata manu exarata scriptura authentica esse potest. Duplex est autem instrumentum publicum, protocollum, et transumptum. Protocollum est prima, eaque brevis scriptura, quae summatim rei gestae capita praecipua complectitur. Nomen hoc ductum est a protocollo olim usitato, quo significabatur quaedam in chartae capite nota, seu signum, quod ostendebat, quo artificio, quoque tempore confecta fuisset, nomenque habebat Comitis largitionum, ad cujus curam chartariae pertinebant (1). Posterior aetas protocollum appellavit librum, seu registrum, in quem acta publica ordine referuntur (2). Recentior est protocolli significatio ad designandam primam perscriptionem, et hodie libri, in quibus summatim gesta describuntur, protocolla appellantur. Transumptum est fusa, ac plena scriptura super re tota gesta confecta, eaque ita dicitur, quod ex protocollo transumitur. Ex hoc transumpto, eoque authographo transcribi solent exempla, *copia vidimata*, a verbo *vidimus*, seu *collationata*, quatenus notarius testatur, se authographum vidisse, et cum eo exemplar contulisse.

(1) Justinianus *Novell.* 44. *cap.* 2. „ Illud quoque, *inquit*, praesenti adiicimus legi. ut tabelliones non in alia charta pura scribant documenta, „ nisi in illa, quae in initio (quod vocatur protocollum per tempora gloriosissimi comitis sacrarum nostrarum largitionum habeat appellationem, et „ tempus, quo charta facta est, et quaecumque in talibus scribuntur. „ Confer Cujacium in hanc *Novellam opp. tom.* 2. *col.* 954.

(2) Videndus Du-Cangius *glossar. med. et infim. Latinit. verb. protocollum.*

§. IV. Publicum instrumentum, quod rite, et recte confectum est, scilicet servatis omnibus necessariis, plenam in judicio probationem constituit. Nam publicum officium Notarii, et legitimae solemnitates omnem removent falsi suspicionem, et ideo publicum instrumentum *probatio probata* appellatur (1). Sed publicis quoque instrumentis detrahitur fides, si per plures, eosque juratos testes demonstretur fraus, vel error, quod aliter res scripta, quam gesta fuerit (2), quoniam in publicos quoque homines cadere falsitas, errorve potest. Protocollum, in quo notarii penes se authographa servare jubentur, ut orta quaestione *per hoc veritas possit declarari*, et quod quasi fons est, unde hauritur transumpti veritas, plene probandi vim habet (3). Secus tamen est, si contrahentes professi fuerint, nolle obligare sese, nisi plenum instrumentum factum fuerit, quia tunc huic voluntati, pactoque parendum est (4). Sic etiam gratiae, et privilegia Apostolica suum robur non obtinent, nisi primum cum debitis solemnitatibus in scripturam plenam redigantur (5).

(1) *Cap.* 1. 2. *et* 16. *de fid. instrum.*, *L.* 15. *Cod. eod.*, *L.* 18. *Cod. de probat.*

(1) *Cap.* 10. *de fid. instrum.*, *Novel.* 73. *cap.* 3.

(3) *Cap.* 11. *de probat.*

(4) *L.* 17. *Cod. de fid. instrum.*

(5) Consule Remigium Maschat. *Instit. Canon. lib.* 5. *tit.* 33. *num.* 5. *tom.* 2. *pag.* 572. *edit. Romae* 1757., ubi ea de re laudantur Pontificiae Constitutiones Urbani VIII., et Gregorii XV.

§. V. Exemplar, sive copia, ut vocant, instrumenti a privato homine conscripta certae probationis loco non est (1); est autem cum eam conscripsit notarius inspecto, et collato diligenter authographo, adhibitisque omnibus, quae lege, et consuetudine adhibenda sunt (2). Privata, eaque authentica instrumenta, quae scilicet munita sunt subscriptione testium, sigillo, aliove modo legitimo ad faciendam fidem idonea plene probant (3); non autentica nihil probant pro scribente ejusve heredibus (4), nisi a tribus sint subscripta testibus, quia tunc vim habent publici instrumenti (5). Probat vero privata scriptura, cujus est comperta veritas, contra scribentem, modo causa debiti expressa sit (6); excepta liberatoria confessione, in qua creditor sibi solutum debitum profitetur,

quaeque, nulla etiam adjecta causa, contra scribentem probationem facit (7). Libris mercatorum, qui secundum legis praescripta retinentur, tam pro scribentibus, quam contra scribentes vim attribuit commercii, ac publicae utilitatis ratio. Etiam libri collegiorum opificium, qui rite, et recte servantur, ex longa consuetudine firmamentum, e robur obtinuerunt.

(1) *Cap. 1. de fid. instrum.*
(2) *Cap. ult. eod.*
(3) *Cap. 1. et 2. eod., Novell. 49. cap. 2.*
(4) *L. 5. 6. 7. Cod. de probat.*
(5) *L. 11. Cod. qui potior. in pignor. habeun.* Verum constare debet de manu, et subscriptione testium, sive per recognitionem, sive per comparationem; praeterea necessaria est partium subscriptio, idoneique testes esse debent. Confer quae admodum adolescens scripsi *de notissimis in jure legibus pag. 170. edit. Florentiae 1796.*
(6) *L. 25. §. ult. ff. de probat., Cap. 14. de fid. instrum.* Consule Donellum *Comment. in tit. Cod. de probat, L. exemplo, et in tit. de non numer. pecun., L. 3. opp. tom. 7. et 8. col. 1031. et col. 214. seqq. edit. Lucae 1762.*
(7) *L. 40. ff. de pact.*

§. VI. Producenda, hoc est in judicio exhibenda sunt instrumenta regulariter post litem contestatam, eaque edenda, hoc est cum adversario communicanda, ut ipsi eadem describendi copia fiat (1). Semel tantum producenda sunt, nisi justa sit causa, quae iterum producenda suadeat, quo casu juramento opus est (2). Instrumentum, quod plura capitula, eaque non connexa complectitur, integrum coram judice, et adversario legendum, huic tamen integrum non est edendum, sed tantum capitulum, in quo sedet controversia (3).

(1) *Edere est copiam describendi facere* inquit IC. *in L. 1. §. 1. ff. de eden.*
(2) *L. 21. Cod. de fid. instrum., L. 6. §. ult. ff. de eden.*
(3) Sic intelligendae sunt Decretales, quae inter se pugnare videntur, altera in *Cap. 7. de privil. in 6.*, et altera *in Cap. 5. de fid. instrum.*

§. VII. Interdum instrumenta reprobantur, vel eorum fides in discrimen adducitur; quod pluribus de causis evenire potest. Nimirum si deletum, vitiatumque sit instrumentum in loco, qui rem praecipuam, hoc est substantiam attingit (1);

si in eo conficiendo neglecta sunt, quae praestare oportebat, ut valeret; si testes in instrumento descripti affirment, se actui non interfuisse, aut aliter esse scriptum, quam gestum (2), fides nutat, et auctoritas instrumenti. Nullo etiam in numero habenda sunt instrumenta, quae quis in medium protulit, cum inter se pugnent, neque ulla sit eorum conciliandorum ratio (3).

(1) *Cap.* 6. *de fid. instrum.* Verum si vitium sit in loco, qui ad substantiam non pertinet, valde simile veri est non vitiari instrumentum, quod colligi potest ex *cap.* 3. *eod.*, ubi vitium irrepserat in facti narrationem, et *cap.* 11. *eod.* ubi omissio literae, vel syllabae, atque etiam integrae vocis facile subintellectae fidem non abrogat instrumenti.

(2) *Cap.* 10. *de fid. instrum. Cap.* 5. *de probat.*

(3) *Cap.* 13. *de fid. instrum.*, *L.* 14. *Cod. eod.*



# DE PRAESUMPTIONIBUS

## TITULUS XXIII.

I. Quid praesumptio?
II. Praesumptio juris tantum.
III. Praesumptio juris, et de jure.
IV. et V. Praesumptio hominis, ejusque species.

Decretum *can.* 14. *c.* 11. *q.* 3., et alibi sparsim, et Pandectae *lib.* 22. *tit.* 3.

§. I.

Probationum vim obtinent etiam Praesumptiones, quae strictim verae probationes non sunt; sed quod iisdem innixum levant onere probandi, ac saepe rem conficiunt, merito probationibus annumerantur. Est autem praesumptio rationalis conjectura super re dubia orta ex indiciis, quae frequenter connexa cum veritate sunt; eaque est vel juris, vel hominis. Praesumptio juris est, quae expressa lege, vel canone continetur; et vero si jus aliquid tamquam verum praesumit, donec aliud non demonstretur, dicitur praesumptio juris tantum; si et verum praesumit, et omnem respuit contrariam probationem, praesumptio est juris, et de jure. Praesumptio hominis est, quae nullo expresso jure continetur, sed quae ducitur ex indiciis, et conjecturis; eaque vel est gravis, vel gravissima, et vehementissima, ac violenta, vel levis, ac temeraria appellatur.

§. II. Praesumptio juris tantum plenam efficere probationem potest, nisi contrarium demonstretur (1); et ideo qui ea nititur in jure habet suae intentionis fundamentum, neque probandi onus ferre debet (2). Ita quilibet bonus praesumitur, nisi malus ostendatur (3), semel malus semper talis creditur (4), vicinus scire creditur quae in vicinitate accidunt (5), natus ex justis nuptiis patriae potestati obnoxius praesumitur, nisi emancipatio ostendatur (6). Sunt et aliae complures ejusdem generis conjecturae, quarum aestimatio pendet ab arbi-

trio judicis, cujus est pro animi sui religione judicare, quanta in singulis vis insit, et quanta iis fides adhibenda videatur. Coacervantur autem praesumptiones, et conjecturae, quaeque singulae forte inter se non movent, universae tamen connexae, atque conjunctae movere debent.

(1) *Cap.* 10. *et ult. de praesumpt.*, *Cap. ult. de restit. spoliat. in* 6. *L.* 25. *ff. de probat.*
(2) *Cit. cap.* 10. *et ult. de praesumpt.* Argumento *Cap.* 2. *et* 4. *de probat.*
(3) *Cap.* 15. *de praesumpt.*
(4) *Reg.* 8. *in* 6.
(5) *Cap.* 7. *de praesumpt.*
(6) *L.* 8. *ff. de probat.*

§. III. Praesumptio juris, et de jure veritatis habetur loco, eaque ita vera, et certa existimatur, ut contraria probatione infirmari non possit. Sic sponsalia firmata per copulationem maris, et feminae ex jure antiquo matrimonii vim capiebant (1); sic mulier, quae sesquianno cum marito habitavit, omnem ab se removisse metum, et libere consensisse videtur (2); sic Regularis, qui contra professionem quinquennii intervallo nihil opposuit, eam ratam firmam habuisse censetur (3). Sed quamquam haec praesumptio nulla contraria probatione directo refutetur, tamen indirecte tolli potest, ut si mulier, vel regularis ostendat, sese toto sesquianno, aut quinquennio fuisse in justo metu, et ideo nihil agere potuisse.

(1) *Cap.* 30. *de sponsal.* Verum hoc jus hodie antiquatum est, uti demonstravi *in Instit. Canon. lib.* 2. *tit.* 2. *sect.* 7. §. 105. *tom.* 2. *pag.* 172. *edit. cit.*
(2) *Cap.* 21. *de sponsal.*
(3) Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 19. *de Regul.*

§. IV. Praesumptio hominis, quae pro dissimili rerum ratione multiplex esse potest, ut plurimum pendet ab arbitrio judicis, cujus est aestimare, quanta ei vis, et auctoritas esse debeat (1). Presumptio gravis, seu probabilis, si sola sit, probat semiplene; verum adjuncta cum simili praesumptione, vel cum fama, aliisve adminiculis, plenam in re civili probationem constituit (2). Praesumptio violenta hominis simili

modo in re civili plenae probationis habetur loco (3), sed tamen contraria probatione refutari potest (4). Levis, ac temeraria praesumptio est, quae ex incertis educitur, levibusque argumentis, et quae nihil probat. Ad hoc praesumptionis genus referri possunt purgationes, quae vulgares dicebantur, quasque olim saepe adhibitas fuisse constat per aquam frigidam, aut ferventem, ferrum candens, monomachiam, seu duellum, et similia, quae cuncta a Summis Pontificibus merito damnata, et improbata sunt (5).

(1) *L.* 3. *ff. de testib.*
(2) *Cap.* 11. *et* 15. *de praesumpt.*, *Cap.* 44. *de senten. excom.*
(3) *Cap.* 2. *de praesumpt.*
(4) *Cap. ult. de Presbyt. non baptiz.*
(5) Vide nostras Institutiones Canonicas *tom.* 3. *lib.* 3. §. 30. *tit.* 9. *pag.* 134. *seqq. cit. edit.*, ubi de his purgationibus disseruimus.

§. V. In causis civilibus plus praestant praesumptiones, quam in criminalibus, quoniam in his nemo condemnatur ex solis conjecturis vehementibus (1); excepto crimine haereseos, cujus suspectus tamquam haereticus condemnandus est, nisi ab se amoverit omnem suspicionem (2). Cum plures occurrunt inter se pugnantes praesumptiones, potiores sunt quae vehementiores (3), quae similiores veri, quae plus benignae, honestae, ac naturae consentaneae sunt. Denique praesumptio in specie praesumptioni in genere antefertur (4); quaeque respiciunt bonum animae, aut causam gratia, et favore dignam, aut actus firmitatem, praesumptiones praestabiliores habendae sunt praesumptionibus, quae his omnibus opponuntur (5).

(1) *Cap.* 14. *de praesumpt.*
(2) *Cap.* 13. §. *qui autem de haeret. Cap.* 7. *et* 8. *eod. in* 6.
(3) *Cap.* 3. *qui filii sint legit.*, *L.* 25. *ff. de probat.*
(4) *Regula* 34. *in* 6.
(5) *Cap.* 25. *de verb. signific.*

# DE JUREJURANDO

## TITULUS XXIV.

I. Vis juramenti, et gentium quarumdam juramenta.
II. Juramentum licitum.
III. Cujusmodi juramentum esse debeat?
IV. Variae juramenti formulae.
V. Juramentum assertorium, vel promissorium, et utriusque species.
VI. Juramentum suppletorium in causis dubiis.
VII. Juramenti a judice delati necessitas.
VIII. Juramentum purgatorium.
IX. Purgatio canonica.
X. Juramentum in litem.

Sextus, et Clementinae *h. t.* Decretum *c.* 22. *q.* 1. Pandectae *lib.* 12. *tit.* 2. *et* 3. Codex *lib.* 4. *tit.* 1. *et lib.* 5. *tit.* 53.

§. I.

Est et probatio, quae oritur ex jurejurando, quod definitur affirmatio religiosa, hoc est advocatio Divini Numinis in testem ejus rei, quae asseritur. Magna semper, et sancta apud omnes gentes vis juramenti fuit, ac Romani, uti supra demonstratum est (1), praesertim Graecorum exemplo, ab omnibus, qui in judicium vocabant, aut vocabantur, ad omnem fraudis suspicionem removendam, calumniae juramentum emitti voluerunt (2). Apud Graecos dabatur juramentum, quod ἀντωμοσία dicebatur, cujus loco Romani juramentum calumniae a litigantibus exigebant (1); et in Areopago litigantes jusjurandum praestare debebant, antequam actio ordiretur (2). Sic et reliquae gentes in re quaque graviori aliorum obstringebant fidem sacramenti religione, et Graeci ut pessimum hominem designarent, utebantur vocabulo ἐπίορκος, qui perjurus est (3). Omnes autem, exceptis Hebraeis (4), jurabant per falsos Deos, quos colebant, quamquam firmatam suo sacramento fidem servare deberent, adeo ut bis peccaret perjurus, qui juraret per falsos Deos, et quia *juravit per quos non debuit, et contra pollicitam fidei fecit quod non debuit* (5). Nos qui unum coli-

mus verum, ac vivum Deum, cui nota sunt omnia, quique nec fallere, nec falli potest, cum eum testem advocamus, eorum, quae asserimus, aut promittimus, quo studio, qua religione, qua cura videre debemus, ut data juramenti fides sancta, et inviolata sit (6)! Apposite S. Hieronymus „ Qui contemnit, *inquit*, juramentum, illum despicit, per quem juravit, illique „ facit injuriam, cujus nomini credidit adversarius (7). „

(1) Vide quae scripsimus *Tit. VII. pag.* 73.

(2) Juramento *interposito ab omni controversia discedatur*, inquit Julianus *in L.* 40. *de jurejur.*

(3). Videndus Franciscus Rous *Archeol. Attic. lib.* 6. *cap.* 7. *pag.* 288. *edit Oxonien.*

(4) De juramentis Hebraeorum, deque variis eorum formulis late agunt Jacobus Lydius, Joannes Nicolaus, Joannes Seldenus, quorum dissertationes describit Ugolinus *Thesaur. antiq. sacrar. tom.* 26. *pag.* 388. Multa etiam de juramento Hebraeorum habet Thomas Goodwinus *in dissert. Moyses, et Aaron cap.* 6. apud eumdem Ugolinium *loc. cit. tom.* 3. *pag.* 427. *seqq.* Iisdem locis aliarum quoque gentium juramenta referuntur.

(5) Sic Augustinus *ep.* 47. *num.* 2. *opp. tom.* 2. *col.* 110.

(6) Augustinus *loc. cit.*, » Veruntamen, *inquit*, sine ulla dubitatione » minus malum est per Deum falsum jurare veraciter, quam per Deum » verum fallaciter. Perjurium velut immane scelus in veteris testamenti literis a Deo expresse damnatur *Levit. cap.* 5. *num.* 4. *seqq. can.* 12. *caus.* 22. *q.* 1.

(7) S. Hieronymus *in Exechielem lib.* 5. *cap.* 17. *opp. tom.* 5. *col.* 194. *edit. Veron. cit.*

§. II. Fuerunt olim, qui illicitum esse crederent jusjurandum, aut saltem indiscriminatim, et generatim improbatum videri Evangelicam doctrinam considerantibus. Verba Evangelii sunt „ dictum est antiquis, non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non „ jurare omnino, neque per Coelum, quia thronus Dei est, „ neque per terram, quia scabellum est pedum ejus, neque „ per Jerosolymam, quia Civitas est magni Regis: neque per „ caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester est est, „ non non; quod autem his abundantius est a malo est „ (1). Eadem a Jacobo Apostolo doctrina literis mandata est (2). Ociosum esset in hac divinae sententiae interpetratione immorari, cum eam diligenter exposuerint sancti Patres, quorum unus omnium consensus est: ex mandato Christi Domini, non esse tamquam illicitum jusiurandum, sed cavendum, ne quis eo abutatur, atque in perjurium incidat (3).

(1) Matthaeus *cap.* 5. *ver.* 33. *seqq.*

(2) Jacobus *epist. cap.* 5. *vers.* 12. » Ante omnia autem, *inquit*, fratres » mei nolite jurare, neque per terram, neque aliud quodcumque juramen- » tum. Sit autem sermo vester, est est, non non, ut non sub judicio deci- » datis. »

(3) Confer, praeter ceteros, S. Augustinum *ep.* 157. *opp. tom.* 2. *col.* 559. *edit. Maurin. Venet.* 1729., *et de mendac. num.* 18. *col.* 436. *tom.* 6. Patrum interpretatio a Gratiano describitur tota fere *quaestione* 1. *caus.* 22.; omnia vero complexus est Innocentius III. *in cap.* 26. *de jurejur.* Videndus etiam Ven. Moneta adver. Cathar., et Valdenses, qui contra hos haereticos illicitum putantes jusjurandum solide, graviterque disputat *lib.* 5. *cap.* 9. *pag.* 462. *seqq. edit. Romae* 1743.

§. III. Omne juramentum, ut inquit S. Hieronymus (1), tres habere debet comites veritatem, judicium atque justitiam. Veritatem, ut juremur non tantum quod in se verum est, sed etiam quod sincere, atque ex intima animi nostri sententia verum existimamus, praeterea non tam quale interno mentis proposito retinemus, quam quale intellectusos audientes prospicimus (2), ac si de re futura agetur, quae a nobis pendet, ut juremus, quod nos sine fallacia, firmoque animo implendi promissa spondeamus. Judicium, ut non temere, non imprudenter, non sine gravi causa Deum testemur, ne de rebus inanibus sanctissimum Dei nomen invocemus. Denique justitiam, ut nihil minus honestum, nihil turpe, atque indignum sacramenti religione contineatur; nam hujusmodi promissiones, uti sunt detestabiles aqud Deum, ita ipso jure solvuntur (3).

(1) *Can.* 2. *caus.* 22. *quaest.* 2.
(2) *Can.* 9. *caus.* 2. *q.* 5.
(3) *Can.* 1. 2. *seqq. caus.* 22. *q.* 4., *Cap.* 18. *et* 19. *de jurejur.*

§. IV Variae olim fuerunt, et nunc sunt juramenti formulae Non enim tantum jurare itelligitur qui Deum expresse, et directo testatur, sed etiam qui ea, in quibus Dei nomen tacite vocatur. Judaei jurabant per coelum, per terram, per Hierosolymam, per caput suum. Hujusmodi formulas adhibere noluerunt Christiani, tum quod Evangelio improbatae fuerint (1), tum quod jurare per creaturas indignum sit, et idolatrîae suspicionem afferre videatur (2). Ubi opus est, jurandum vel per Deum, vel per Christum, vel per monumenta reparatae salutis, veluti per Evangelium, per crucem,

per sacramenta, per altare, resque ceteras Deo sacras (3). Frequens olim erat usus praestandi jurisjurandi ad sepulchra Sanctorum, qui quidem usus Augustini aetate vigebat (4), viguitque etiam annis consequentibus (5). Recens judiciorum disciplina fert, ut Sacerdotes juraturi manus ad pectus admoveatur, quasi Deo singulari jure dicatum sit.

(1) Matthaeus *cap. V. v.* 34. *et seq.*
(2) *Can.* 6. 7. 11. *c.* 22. *q.* 1., *Can.* 8. *c.* 22. *q.* 1.
(3) *Can.* 11. *et* 12. *c. et q. cit.*, *Cap. et si Christus* 26. *de jurejur.*
(4) S. Augustinus *ep.* 78. *num.* 3. *opp. tom.* 2. *col.* 184.
(5) S. Gregorius M. *lib.* 2. *ep.* 33. *opp. tom.* 2. *col.* 597., *et lib.* 6. *ep.* 61. *col.* 837., S. Gregorius Turonensi *Histor. Franc. lib.* 5. *cap.* 33. *et* 49. *col.* 241. *et* 261. *de glor. marty. lib.* 1. *cap.* 39. *col.* 765. *et cap.* 74. *col.* 804. *et de glor. confessor. c.* 94. *col.* 976. Vide Benedictum XIV. *de synod. dioeces. lib.* 7. *num.* 6.

§. V. Juramentum vel est assertorium, quo veritas asseritur rei praesentis, vel praeteritae, vel promissorium, quo firmatur promisso rei futurae; et utrumque vel est simplex, quod fit sine ullis solemnitatibus, vel solemne, quod coram superiore fertur cum solemnitatibus, quae de more observari solent; vel execratorium, quo jurans semetipsum, aliumve sibi carum hominem execratur, ut Deus sit sacrilegi mendacii vindex; vel judiciale, quod in judicio, vel extrajudiciale, quod extra judicium emittitur. Assertorium juramentum dividitur in litis decisorium, quod litis finiendae causa, et litis aestimatorium, sive in litem. Litis decisorium ex recepta doctrina aliud est voluntarium, quod pacto convento litigantium alter alteri defert sine ulla judicis adprobatione; aliud judiciale speciatim, quod alter alteri defert judice approbante; aliud est necessarium, quod judex alterutri defert ad complendam plenam probationem, et ideo vocatur etiam suppletorium, quod defertur cum alia probatio non suppetit (1), et quia judici saepe necesse est illud deferre, ac litiganti accipere, propterea necessarium etiam appellatur.

(1) *Cap.* 2. *de probat.*

§. VI. Juramentum necessarium datur in causis dubiis, idque dicitur suppletorium, quoniam eo semiplena probatio sup-

pletur (1). Dubiae causae ex veriori sententia sunt, in quibus plena probatio allata non est, puta quod plures datae sunt praesumptiones, et conjecturae, quae rem non satis perspicue res tota conficitur. Defertur hoc juramentum ei, qui tantum semiplene probavit, modo personarum, et causae ratio habeatur (2), et si reus aeque, actor semiplene probavit, deferendum est reo, cujus in re dubia potior causa est (3).

(1) Qui semiplenam probationem iidem et suppletorium juramentum respuunt. Verum in dubiis causis, ut inquit Cajus in *L. 31. ff. de jurejur.*, sive, ut ajunt Diocletianus, et Maximianus in *L. 3. Cod. de reb. credit. in probationem inopia* judex delato juramento negocium absolvit. At *dubia causa, et inopia probationum* sine dubio causa est, in qua semiplene probatum fuit; uti supra demonstratum est. Ac si dubiam causam, et inopiam probationum esse volumus causam, in qua pares ab actore, et reo probationes datae sunt, par erit utriusque causa, ideoque absolvendus erit reus, cujus in pari causa potior conditio est *L. 125. et 128. ff. de regul. jur., Cap. 6. de fid. instrum., Cap. 65. de verb. signific. in 6.*; tantum abest ut jusjurandum a judice deferendum videatur. Rursus si probationem inopiam, quod placuit Giphanio in *L. 3. Cod. de reb. credit.* intelligamus causam, in qua nihil ab actore probatum est, judicandum erit secundum reum, quem *actore non probante .... et si nihil ipse praestet*, obtinere voluit Imperator Antonius in *L. 4. Cod. de eden.* Reliquum ergo est, ut dubiam causam, et inopiam probationem explicemus causam, in qua semiplene probatum est.

(2) *Cap. ult. §. ult. de jurejurand.*

(3) *L. 125. et 128. ff. de regul. jur.*

§. VII. Quod a judice defertur jusjurandum semper necessarium est, ita ut recusari non possit, nisi justa sit recusandi causa, eoque praestitio causa finita est. Itaque aut actor causa cadit aut reus absolvitur, uti postulat rei veritas, quae hoc jurejurando demonstrata est. Defertur etiam idem jusjurandum ab alterutro litigantium, et hoc quidem, nisi judicis mandatum accedat, initio voluntarium est, quoniam alter nulla assentiendi necessitate obstringitur, sed deinde cum ei delatum et acceptum est ex pacto e et conventu litigantium necessarium efficitur. Itaque semel praestitum secundum illud ferendum est judicium; sed antequam praestetur, mutare voluntatem licet ei, qui litem intulit (1). In omnibus causis, quae dubiae sunt, atque a litigantium voluntate pendent, hoc sacramentum deferri, et praestari potest, non item in causis criminalibus, neque in iis, quae pertinent ad infirmandam religiosam professsionem, aut ad dirimendum vinculum matrimonii.

(1) *L.* 11. *Cod. de reb. cred.*

§. VIII. In ipsis quoque causis, quas infamiam irrogat, huic juramento locus est, veluti si furti, vel de vi bonorum raptorum civiliter agatur, adeoût damnatus post jusjurandum ex judicio famoso famosus fiat (1). Atque hoc juramentum, quo quis se purgat ob infamiam ex crimine contractam, purgatio canonica appellatur, de qua titulus est in Decretalibus, et cujus olim frequens erat usus.,, Clerici, *inquit Innocentius III.* ,, (2), qui sunt de apostasiae crimine infamati .... per districtionem ecclesiasticam coercendi sunt, donec deficiente ,, probatione ad infamiam abolendam purgationem canonicam curaverint exhibere. ,, Idem de clerico homicida (3), de presbytero accusato (4), de clerico concubinatus suspecto (5), jus est constitutum. Ejusdem purgationis plures quo Patres meminerunt (6).

(1) Consule Joannem Voetum *in Pandect. lib.* 12. *tit.* 2. *num.* 10.
(2) *Cap.* 3. *de apost.*
(3) *Cap.* 14. *de homicid. volunt., vel casual.*
(4) *Cap.* 10. *de accusat.*
(5) *Cap.* 8. *de cohabit. cleric., et mulier.*
(6) Videndi S. Augustinus *ep.* 78. *opp. tom* 2. *col.* 183. *edit. cit.*, Gregorius M. *lib.* 2. *ep.* 33. *lib* 7. *ep.* 18. *lib.* 13. *ep.* 34. *opp. tom.* 2. *col* 597. 864. 1241. *edit. Paris. cit.*, Gregorius Turonensis *Histor. Francor. lib.* 8. *cap.* 9. *et* 40. *col.* 382. *et* 411. *edit. Paris.* 1699.

§. IX. Veteri consuetudine, institutoque juraturus tres, quinque, aut septem ejusdem prope ordinis vicinos, aut saltem qui eum plane nossent, ac probatae fidei essent sibi socios, tamquam adsertores adsciscebant (1), quo spectant formulae *tertia*, *quinta*, aut *septima* manu jurare. Interdum plures etiam ad jurandum vocabantur, sive qui se purgare cupiebat, laicus esset, sive esset clericus, qui graviori infamia criminis laboraret (2). Hi porro socii Compurgatores, Conjuratores, et Sacramentales dicebantur (3), Primum ille, cujus erat negocium, de quo quaerebatur, super sancta Evangelia jurabat, deinde *Compurgatores* jurabant similiter super sancta Evangelia, eum vere, ut ipsi credebant, jurasse (4). Sed nunc purgatio canonica fere ubique antiquata est (5).

(1) *Can.* 12. 13. 16. 17. 19., *caus.* 2. *q.* 5., *Cap.* 7. 9. 11. *de purgat. canon.*

(2) *Cap.* 1. *et* 10. *de purgat. canon.*

(3) Horum crebra mentio est in Capitularibus Regum Francorum, praesertim in Capitulari Dagoberti *tit.* 1. *num.* 6. *et tit.* 9. *num.* 4., in Capitularibus Caroli M. *lib.* 3. *cap.* 9. apud Baluzium *Capitular. Reg. Francor. col.* 68. 804. 509. *edit. Venet. cit.*, et in Lege Salica *col.* 224 *tit.* 50. *ibid.*

(4) *Can.* 17. *c.* 2. *q.* 5.

(5) Confer Giraldum *Exposit. Jur. Pontific. lib.* 5. *tit.* 34. *sess.* 894. *pag.* 733. Gratianus ex Concilio Wormaciensi *can.* 23. *c.* 2. *q.* 5. memorat purgationem per *sacram communionem*, quae hoc modo fiebat. Cum aliquis accusatus omnem ab se removere cupiebat suspicionem criminis, quod vel non poterat demonstrari, vel non satis evidenter excludi is ante altare, et sanctissimam Eucharistiam ducebatur. Antequam vero Christi corpus acciperet, animum suum aliis praesentibus declarabant his, aut similibus verbis. *Corpus Domini sit mihi ad purgationem hodie* multos hanc purgationem adhibere solitos fuisse testatur Muratorius *Antiq. Italic. dissert.* 38., qui illud quoque animadvertit, quod quamquam haec purgatio parum differret ab ea, quae per juramentum fiebat, tamen posteriori aetate legitima, et canonica purgatio juramentum habitum est Plures purgatorii jurisjurandi formulas describunt Du Cangius in *Glossario*, et Martenius *de antiq. Eccles. ritib. lib.* 3. *cap.* 7. §. 3. *et* 4. Auctor libri Pontificialis *tom.* 1. *pag.* 224 *edit. Romae* 1724. de Pelagio Summo Pontifice, qui accusatus fuerat, quod mortis Vigili P. Antecessoris sui conscius esset scribit haec » Pelagius tenens » Evangelia, et Crucem Domini super caput suum ambonem ascendit, et sic » satisfecit cuncto populo, et plebi, quod nullum malum peregisset contra Vigilium » Quod etiam a Leone III, ut se purgaret a falsis criminibus, quorum « Romanis per calumniam insimulabatur, factum narrat idem Auctor Libri Pontificalis *tom.* 2. *pag.* 253. Videndus Du-Cangius *Glossar. med., et infim. latinitatis verb jurare, et juramentum.*

§. X. Juramentum in litem est juramentum ad rem, de qua agitur, aestimandam, quia pro re ipsa lis accipitur (1). Haec autem aestimatio vel verum ac germanum rei pretium respicit, vel peculiarem affectionem; unde efficitur, ut secundum eam, non secundum commune pretium res aestimari debeat, vel damnum attingit, quod aliquis pertulit ex re subtracta, vel idoneo tempore non reddita, puta quod pluris emere debuit vinum, aut frumentum, quia debita pecunia suo tempore soluta non fuit. Solus judex hoc juramentum, quod pertinet ad rei affectionem, actori defert ob dolum, et contumaciam, seu dolosam moram in restituendo, cujus rei gratia a jure habetur, quae in judicis haberi non solet, privatae affectionis ratio (2). Contra cum quaeritur de vero, ac legitimo rei pretio, non tantum a judice, sed etiam a reo deferri juramentum potest.

(1) *L.* 1. *et seqq. ff. de in lit. jurand.* Confer Cujacium *in lib* 8. *Digestor. tit.* 9. *L.* 7. *opp. tom.* 7. *col.* 450. *edit. cit.*

(2) *L.* 35. *ff. ad Leg. Aquil.*

# DE EXCEPTIONIBUS

## TITULUS XXV.



Sextus, et Clementinae *h. t.* Decretum *can.* 2. *c.* 3. *q.* 6. Institutiones *lib.* 4. *tit.* 13., *et* 14. Pandectae *lib.* 44. *tit.* 1. *usque ad* 6. *Et lib.* 21. *tit.* 3. Codex *lib.* 8. *tit.* 36. 37.

### §. I.

Hactenus actum est de jure actoris, deque armis, quibus instructus in jus venit, ut quod sibi putat debitum, consequatur; nunc agendum est de jure, deque armis reorum, cujus generis sunt exceptiones, et praescriptiones, quae reis defendendis conceduntur. Exceptio est actionis, vel intentionis exclusio, eaque multiplex est. Alia nimirum est nominata, quae proprium habet in jure nomen, ut rei judicatae, jurisjurandi, ceterae similes, alia innominata, quae proprio caret nomine, ac generatim exceptio in factum dicitur. Est et exceptio civilis, quae oritur ex jure civili, ut SC. Macedoniani, Vellejani, non numeratae pecuniae etc., ac praetoria, quae ex Praetorum edictis procedit ob naturalem aequitatem, ut doli, metus, pacti conventi de non petendo etc. Rursus excepto vel inhaeret rei, eaque transit ad heredes, et fidejussores, cujusmodi sunt exceptiones doli, metus, reijudicatae, et aliae pleraeque; vel personam attingit, cujus gratia speciatim conceditur, ex. gr. reverentiae, pietatis, dignitatis, uti est exceptio, quae certis personis a jure conceditur, ut tan-

tum solvant, quod possunt solvere, salvis iis, quae sunt ad victum, et ad cultum necessaria; quo referuntur clerici, pater, maritus etc., eaque exceptio minime transfertur ad heredes, et fidejussores. Denique exceptio est perpetua, quae semper integra persistit, et temporalis, quae certo tantum tempore perseverat praeterea dilatoria, quae actionem non tollit, sed in aliud tempus differt, uti est exceptio judicis aut suspecti, aut non competentis, ac peremptoria, quae plane actionem perimit, uti ex. gr. exceptio est solutae, aut non numeratae pecuniae.

§. II. Dilatoriae exceptiones proponendae sunt ante litis contestationem (1), quippe quae litis ingressum, et judicii exordium impediunt, nisi deinceps oriantur, aut innotescant (2). Ita si judex sit suspectus, aut non competens, juris imperitus, excommunicatus, si antea negocium ab alio judice occupatum est; cuncta haec, quae causam differunt, non perimunt, ante litis contestationem proponenda sunt. Idem sit judicium de exceptionibus contra actorem, puta quod non habet legitimam personam standi in judicio, quod ejus procurator mandato caret, quod tutus non est locus, ad quem reus vocatus est, quod constitutum tempus nimis breve est, aut feriis addictum, quod ineptus, vel obscurus est libellus, quod plus petitum fuit., quod connexa, ac nescia sejungi causa ab alio judice cognoscitur. Cum haec omnia sint de constituendo judicio, ac de personis, quibus judicium constat, vel de tempore, et loco, quo agendum est judicium, ante idem opponenda, atque excutienda sunt; quoniam eo jam constituto praepostere de eo constituendo ageretur, quod semper fit per opposita dilatoria exceptiones.

(1) *L. 12. Cod. de except.*, *L. 4. ff. de de jurisd. omn. jud.*, *Cap. 20. de senten. et re judic.*
(2) *Cap. 4. de except.*

§. III. In primis vero fori praescriptio ante ceteras dilatorias exceptiones proponenda est, ne quis ea neglecta in judicem consensisse videatur, cum actum aliquem judicialem exercuit (1); nisi rejiciendi judicis justa causa deinceps existat (2). Excipitur clericus, qui cum fori privilegium repudiare nequeat, jurisdictionem laici judicis prorogare non po-

test. Ac ne dolo et malitia rei contra jus fasque amplietur judicium, merito sancitum est, ut a judice certus dicatur dies opponendis dilatoriis exceptionibus; quo elapso illas tantum in medium afferre licet, quas nova obtulit causa, quasque reus tunc sibi primum cognitas fuisse juratus affirmaverit (3), itemque illae, quae irritum, et inane judicium faciunt. Hujus generis est exceptio falsi procuratoris, aut mandato carentis (4), aut ejusdem mandati revocati, quia tunc nullum amplius procuratoris officium, et potestas est (5).

(1) *L.* 1. *et* 2. *ff. de judic.*
(2) *Cap.* 21. *et* 25. *de offic. judic. delegat.*
(3) *Cap.* 4. *de except.*, *Cap.* 6. *qui matrimon. accus. pos.*
(4) *Cap.* 4. *de Procurat.*
(5) *Cap.* 3. *eod.*

§. IV. Majoris excommunicationis exceptioni proponendae nullus est praefinitus certus dies, locusque judicii, sed ea recte opponitur in qualibet judicii parte, *ne quisquam in periculum animae suae excommunicato communicare cogatur* (1). Tantum post appellationem proposita haec exceptio judicii cursum non impedit (2); sed antea judex ipse ex officio debet publice excommunicatum a judicio reppellere, quamquam nemo hujusmodi exceptionem objecerit (3). Sed quoniam litigatores saepe ad vexandos adversarios exceptione excommunicationis abutebantur, sapientissime ab Innocentio IV. certus est constitutus ejus opponendae modus (4). Scilicet reus, qui illam adversus actorem exceptionem proponit, exprimere speciem excommunicatoris debet, illamque demonstrare intra dies octo; secus progrediendum judici in causa est, ac reus in expensas condemnandus. Quod si iterum haec exceptio objiciatur, atque probetur, actor a judicio repellitur, sed valent ea, quae gesta sunt; post duas vero vices non amplius eadem exceptio, nisi ob justam causam, in medium afferri potest.

(1) *Cap.* 12. *de except.*
(2) *Cap.* 11. *eod.*
(3) *Cap.* 12. *cit. et Cap.* 1. *eod. in* 6.
(4) *Cap.* 1. *de except. in* 6.

§. V. Peremptoriae exceptiones, quia non pertinent ad

constituendum judicium, sed ad finiendum jam constitutum, quia feriunt rem ipsam, de qua quaeritur, et reum relevant, ideo quamdiu manet judicium, scilicet antequam feratur sententia, opponi possunt. Quod non solum edicto perpetuo constitutum est (1), sed etiam naturali aequitati congruum, et conveniens est, ut ubi, et quandocumque pulsamur, nostras liceat promere defensiones, iisque uti, quibus relevamur. Quin etiam interdum hujusmodi exceptiones post rem judicatam in actione judicati recte opponuntur (2); idque etiam obtinet in iis exceptionibus, quae impediunt exitum sententiae, ut si post eam actor acceperit, quod ei debitum sententia definitum est, merito reus sese solutionis exceptione tuebitur. Illud de exceptione lapsi temporis in appellationibus singulare est, ut ea quamquam peremptoria sit, tamen perinde ac dilatoria initio judicii proponenda sit (3).

(1) *L.* 2. *Cod. senten. rescind. non pos.*
(2) *L.* 11 *ff. ad. SC. Macedonian. L.* 1. §. 18. *L.* 20. §. *ult. ff. de re judic.* Consule Cujacium *in Cod. tit.* 25. *lib.* 8. *opp. tom.* 9. *col.* 1169. *et in cap.* 29. *de testib. tom.* 6. *col.* 846. *edit. cit.*
(3) *L.* 2. *ff. de temp. appell.*

§. VI. Ex peremptoriis exceptionibus quaedam sunt, quae vim majorem habent, quam ceterae, quae simpliciter peremptoriae dicuntur, ideoque peremptoriae *litis finitae* appellantur. Hujus generis sunt exceptiones jurisjurandi, rei judicatae, transactionis. Hae litem jam compositam, atque extinctam demonstrant, ita ut non amplius liceat instituere judicium de re, quae jam per jusjurandum, aut per remjudicatam, aut per transactionem definita, penitusque e medio sublata est (1). Verum ut locus sit hujusmodi exceptionibus, necesse est, quod lis triplici illa ratione expedita denuo inter easdem personas, de re eadem, atqueex eadem petendi causa instituatur (2).

(1) *Cap.* 1. *de lit. contest. in* 6.
(3) *L.* 3. 12. 21. 24. 41. *de except. rei judic.*

§. VII. Certae olim erant, ac solemnes exceptionum formulae (1); sed nunc de iis laborandum non est, quoniam sublatis formulis instituendarum actionum, multo magis pro-

ponendarum exceptionum formulae sublatae sunt. Hodie igitur sola facti narratione, unde jus excipiendi oritur, exceptio comprehenditur, neque tantum in scriptis, sed etiam viva voce eam fieri posse plerique Doctores sentiunt, quamquam postea in scripturam redigatur.

(1) Videndi Cujacius *observ. lib.* 5. *cap.* 34. *opp. tom.* 3. *col.* 125. *edit. cit.* Donellus *comment. de jur. civil. lib.* 22., *cap.* 7. *num.* 8. *opp. tom.* 5. *col.* 1410. *edit. Lucae cit.* Brissonius *de formulis lib.* 5. *cap.* 74. *seqq. pag.* 379. *seqq. edit. Halae et Lipsiae* 1731.

§. VIII. Quisquis in judicium vocatus est sese jure, ac recte tuetur beneficio exceptionis, eoque fruitur etiam reus excommunicatus contra actorem gravius excommunicatum (1), ac generatim excommunicato non exceptio, quae defensio est, sed actio denegatur (2). Exprimenda tamen est a reo species; ac nomen excommunicationis, resque omnis probanda intra dies octo; secus judex in causa procedit. At adversus eum, qui plura obtinet beneficia contra scita Sacrorum Canonum, frustra utitur hac exceptione, qui simili vitio infectus est (3).

(1) *Cap.* 2. *de except.*
(2) *Cap.* 5. *eod.*
(3) *Cap.* 3. *eod.*

§. IX. Duo potissimum praestat exceptio, primum quod reus in exceptione fit actor (1), alterum quod exceptio rite probata actionem excludit sive ad tempus, sive perpetuo, prout exceptio dilatoria, aut peremptoria est (2). Hinc quemadmodum actoris est probare vim, et veritatem actionis, quam instituit, ita reus probare debet exceptionem suam (3); quod si ipse non praestet, tamen actor non levatur onere probandi, quoniam *reus exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri* (4). Plures quoque exceptiones, quae sibi invicem specie adversantur, cumulari possunt, cum nemo pluribus defensionibus uti prohibeatur (5). Sic recte opponitur exceptio pecuniae non numeratae, et exceptio soluti, item praescriptionis, et privilegii etc. Non enim reus simul utramque exceptionem veram esse contendit, sed tantum asserit, duas se habere exceptiones, quarum altera si rejicitur, alteram proponit.

(1) *L.* 1. *ff. de except.*, *L.* 19. *de probat.*
(2) *L.* 2. *ff. de except.*
(3) *L.* 19. *et* 25. *de probat.*
(4) *Cap.* 63. *de reg. jur. in* 6., *L.* 9. *ff. de except.*
(5) *L.* 8. *ff. de except.*, *Cap.* 20. *de reg. jur. in* 6.

§. X. Exceptionibus opponuntur replicationes, quae a lege actori conceduntur, ut rei exceptionem avertat (1); et bene Paulus IC. *Replicatio*, inquit, *est contraria exceptioni, et quasi exceptionis exceptio* (2). Ac quemadmodum rei exceptionem convellit actoris replicatio, ita huic objicitur duplicatio rei, et hanc rursus excludit triplicatio, et sic *deinceps multiplicantur nomina, dum aut reus, aut actor objicit* (3). Jus civile nlulum certum constituit modum defensionum, quae tum reo, tum actori permittuntur. Verum a foro ecclesiastico procul absunt hujusmodi duplicationes, ac triplicationes, resque tota committitur arbitrio judicis, cujus est constituere numerum defensionum, causamque, uti aequum judicaverit, definire.

(1) *L.* 2. *ff. de except.*, *L.* 3. *et* 10. *Cod. eod.*
(2) *L.* 22. *ff. eod.*
(3) *L.* 2. §. 3. *de except.* Quem Ulpiani locum, qui cum Triboniano pugnare videtur, explicavi in *Institutionibus lib.* 3. *tit.* 10. §. 12. *not.* 4. *tom.* 3. *pag.* 147. *edit. cit.*



# DE PRÆSCRITIONIBUS

## TITULUS XXVI.



Sextus *hoc. tit.* Decretum *c.* 16. *q.* 3. 4. Institutiones *lib.* 2. *tit.* 6. Pandectae *lib.* 41. *tit.* 3. *usque ad* 11. *et lib.* 44. *tit.* 3. Codex *lib.* 7. *tit.* 22. *sqq.* Novel. 9.

### §. I.

Inter exceptiones recensetur praescripti (1), per quam rei Dominus ab agendo repellitur exceptione diuturni temporis, quo rem suam possidere neglexit, et qui simili temporis intervallo rem alienam possedit, eadem possessione defenditur, ut in ea retineri debeat. Est igitur exceptio haec non temporalis, sed peremptoria, ex qua efficitur, ut rei dominus sui dominii commodum, et emolumentum amitat. Praescriptio, et usucapio indiscriminatim accipitur, sed revera inter utramque discrimen est. Usucapio, quae ab Ulpiano dicitur *adeptio dominii*, et a Modestino (2) *ediectio*, quia scilicet adjicitur, idest acquiritur dominium (3), modus est ejusdem acquirendi dominii, quod leges adimunt vero domino, qui definito tempore rem suam petere neglexit, eique adscribunt, qui eo-

dem tempore bona fide, longoque usu, ac sine ulla molestia rem ipsam obtinuit. Contra prescriptione non acquiritur dominium, sed datur exceptio, qua dominus poenam sustinet diuturnae socordiae, ideoque repellitur, et qui verus dominus non est in rei possessione retinetur.

(1) Consule Cujacium *in lib. 44. ff. tit. 3. opp. tom. 1. col. 745. et in tit. ff. de verb. signif. L. 106. tom. 8. col. 536. edit. Venet. cit.* et Donellum *de jur. civil. lib. 5. cap. 4. tom. 1. col. 942. edit. Lucae* 1762.

(2) *L. 3. ff. de usurp., et usucap.*

(3) Ita appositum dominium acquisitum habetur *L. proinde 8. ff. de reb. cred.* secundum lectionem Florentinam, ut apud Horatium *et illi, quos tibi dempserit, apponet annos*. Recte ac merito a Modestino *adjectionis* verbum usurpatum, monet Donellus *Comment. de jur. civil. lib. 5. cap. 5. num. 3. tom. 1. col. 951. edit. cit.* adversus eos, qui *adjectionis* loco *ademptionis* vocabulum adhibendum putant

§. II. Sed Prudentum interpretatione praescriptio sensim ad exemplum, et similitudinem usucaptionis efficta, et conformata fuit, eique effectu omnia illa attributa, quae usucapio praestare solebat. Sic eo perducta est praescriptio, ut nihil ab usucapione distare videretur ac denique Justiniano patefactus est locus, quo antiquam usucapionem in praescriptionem converteret (1). Ipsi enim iniquum visum est, quod brevissimo tempore usucaptionis constitutae Legibus XII. Tabularum, domini res suas ammitterent, idemque in rebus immobilibus necessarium voluit longum praescripionis tempus decem, vel viginti annorum, in mobilibus vero triennium (2). Restat tamen adhuc in rebus quibusdam. discrimen aliquod inter usucapionem, et praescriptionem, quia sunt quaedam, quae usucapi non possunt, possunt tamen praescribi eo temporis intervallo, quod est ad praescriptionem necessarium. Ita jus superficiei, vel jus emphytheuticam si a non domino acceperim, non usucapitur, sed longo tempore acquiritur (3); Ita et servitutes, quarum usucapionem Lex Scribonia sustulit (4), praescribuntur, non usucapiuntur (5).

(1) Extant tamen adhuc de his duobus generibus duo diversi tituli in Codice eademque distinctio retenta est in Institutionibus, cujus rei causas exponit Donellus *loc. cit. lib. 5. cap. 4. col.* 949.

(2) *L. unic. Cod. de usucap. transform.*

(3) *L. cum sponsus 12. §. in vectigalibus 2. ff. de publiç. in rem act.*

(4) *L. 4. §. ult. ff. de usucap.*

(5) *L. si quis diuturno* 10. *ff si serv. vind.* Atque hoc forte Tribonianus voluit, cum in *L.* 10. §. 1. *ff. de usurp. et usucap.* verba Jurisconsulti hoc modo immutavit : » Hoc jure utimur, ut servitutes per se numquam » longo tempore capi possint. » Longo tempore capere ex Triboniani mente est usucapere. Servitutes vero usucapi non possunt post legem Scriboniam, quam integram reliquit Justinianus. Consule Cujacium *in Paratil. Cod. ad tit. de praescripl. long temp. opp. tom.* 2. *col.* 416.

§. III. Hodie usucapionis, et praescriptionis eadem vis, et idem effectus est. Ejus initia repetenda sunt a legibus, XII. Tabularum, quarum statuta, uti diximus, Justinianus immutavit, ab eoque constitutam de praescriptione jurisprudentiam Romani Pontifices approbarunt, emendatis iis, quasi ad bonam fidem pertinent, sine qua legittimae praescriptione locus esse nequit. Praescriptionis inducendae causae fuere plures, eaeque justae prorsus, ac laudabiles, scilicet ne incerta, et confusa maneant rerum dominia (1), ne quis in earum possessione molestias, litesque patitur (2), ne propter dominium incertum, ac dubium agrorum cultura negligatur, denique ut hominum diligentia excitetur ad res suas curandas, atque ut merita plectantur poena, qui hoc officium tam aptum, tamque conveniens societati neglexerint. His de causis, quae totius Reipublicae, cui cives omnes prae cunctis humanis rebus servire debent, commodum, atque incolumitatem attingunt, recte ac merito Supremi Principes eo jure, quod publicae salutis ratio eos habere jubet in bona subditorum, beneficio praescriptionis in alios conferre potuerunt bona, quae quis cum detrimento Reipublicae negligenter administrat. Ex quo intelligimus, purum esse cujusvis sceleris qui bona retinet rite, ac recte praescriptione acquisita, idque etiam ostendit Jus Pontificium, a quo novae sunt latae, et veteres confirmatae de praescriptione leges.

(1) *L.* 1. *ff. de usurp. et usucap.*
(2) *L. ult. ff. pro suo*, *L.* 7. *Cod. de praescript.* 30. *vel.* 40. *an.*

§. IV. Non unius indolis, et naturae praescriptio est. Alia scilicet est ordinaria, seu longi temporis, qua res mobilis triennio, immobilis vero decennio inter praesentes, viginti inter absentes praescribitur. Alia est extraordinaria, seu longissimi temporis, quae annorum 3o., vel 4o. spatio comprehenditur.

Alia demum est centum annorum, et alia immemorialis, cujus initium hominum memoriam superat, latetque in tenebris antiquitatis. Est et praescriptio, quae favorabilis dicitur, propter bonam fidem, justumque titulum possidentis constituta, et est odiosa inducta odio negligentiae possessoris nihil soliciti de rebus suis, ac denique alia est; per quam in re nostra jus alienum extinguitur, veluti si praescribatur servituti, quam aliquis habet in nostro fundo. Sed haec, quas postremo loco descripsimus, servitutes, omnes ad summam illam divisionem, quam primum posuimus, referuntur.

§. V. Multa sunt, quae requiruntur, ut vis a lege data praescriptioni explicetur. Principio videndum est, num qui vult praescribere praescribendi habeat potestatem. Generatim quisquis suo nomine rem alienam possidere potest beneficio fruitur praescriptionis, ideoque et infans auctore, tutore, et pupillus, vel minor etiam sine tutore, aut curatore, si animum habeat praescribendi (1); furiosus, vel amens auctore curatore, aut si ante furorem, et amentiam possessionem acquisiverit (2). Contra nequeunt praescribere infantes, et rationis usu carentes, nisi initio possessionis eorum judicium tutoris, vel curatoris auctoritate suppleatur (3); Qui alieno nomine possident, uti sunt coloni, usufructuari, rem diu possessam sibi ipsis non acquirunt. Currit vero praescriptio generatim contra omnes, nisi sint qui speciatim excipiantur. Excipiuntur autem qui in judicio stare, suaque bona administrare prohibentur; cujusmodi sunt pupillus, filiusfamilias quoad bona adventitia, captivus, prodigus, cui bonorum administrationi interdictum sit, nisi res praescribi caeperit ante interdictum, bonave fide ad alium pervenisset.

(1) *L. 11. ff. de acquir. rerum domin.*
(2) *L. 4. §. 3. ff. de usurp. et usucap.*
(3) *L. 32. §. 2. ff. de acquir. possess.*

§. VI. Verum satis non est, quod hoc jure uti cupiens generatim habeat praescribendi potestatem; curandum est etiam ut praesto sint omnia, ex quibus legitima, numerisque omnibus absoluta praescriptio conficitur. Scilicet necesse est, quod res, de qua quaeritur, praescribi possit; ac praeterea requiritur possessio, tempus lege definitum, titulus, bona fides. Omnis

quoque abesse debet error juris, quippe qui in usucapionibus possessori numquam prodest (1). Res quoque incorporales praescribi possunt, sed speciatim ea Juris disciplina non comprehenduntur, quae minime in hominum commercio versantur. Ergo praescriptioni obnoxiae non sunt res sacrae, sanctae, et religiosae, ut templa, altaria, monasteria, caemeteria, cetera similia quamquam in his jus sepeliendi diuturna possessione recte acquiratur (2). Idem sit judicium de rebus, quae speciali sanctione ab hominibus violari nequeunt, uti sunt maenia, et portae civitatis (3), quaeque publicis addictae sunt usibus, uti viae, forum, fontes, curia, theatra etc. licet populus eis uti desierit (4); de jurisdictione a Christo data Summo Pontifici in Ecclesiam universam, quae cum Juris Divini sit, praescribi nequit, uti non praescribuntur cetera, quae ad idem Jus Divinum pertinent, qualia sunt sacramenta, potestas ordinandi, et confirmandi, ac cetera obeundi munera, quae propria sunt unis characteris Episcopalis, quaeque nefas est exercere hominem, qui non sit eo charactere insignitus. Sic neque matrimonium, quod cum dirimente impedimento contractum est, ullo temporis cursu ratum firmum haberi potest. Denique quae merae facultatis sunt, quaeque permittuntur alicujus arbitrio, et voluntate, ac sine ulla necessitate, non praescribuntur, ut si quis ad praudium vocetur, sive in hortum ire permittatur.

(1) *Instit. §. 1. de usucapion., et L. ff. eod.*
(2) *L. 4. et 6. Cod. eod., L. 6. ff. de relig.*
(3) *L. 9. ff. de usurp.*
(4) *L. 2. ff. de via public.*

§. VII. Sunt et alia permulta, quae canonicae, civilesque leges praescriptioni obnoxia esse noluerunt. Huc spectant jura spiritualia, ut jus eligendi, et instituendi in beneficiis, quae ut a laicis possideri, ita neque praescriptionem ab ipsis acquiri possunt (1), exceptis iis, quae fas est laicis retinere, uti jus patronatus (2), sepulturae cetera generis ejusdem. Par est ratio ecclesiasticorum beneficiorum, quae sine canonica institutione, obtineri nequeunt (3), quaeque ex beneficialibus praescriptione non fiunt patrimonialia (4), et juris visitationis, atque obedientiae, quod in alium transferri potest, extingui non po-

tesi, ut qui subditus est, nemini obsequium, et obedientiam praestare debeat (5). Similiter praescribi nequeunt ab uno coherede, aut socio res hereditariae, quae, antequam dividantur, omnium nomine possideri censentur (6); res pupillares perseverante aetate pupillari (7); res Praesidi donatae contra legem Juliam repetundarum, ab eoque alienatae (8); praedium dotale, nisi caepta fuerit usucapio, antequam dotale fieret (9); bona liberorum adventitia a patre alienata, nisi liberi sui juris facti ea neglexerint tanto temporis spatio, quanto opus est, ut contraria eorum voluntas excludatur (10); res fideicommisso subjectae, atque ab herede gravato venditae, dum adhuc fideicommissi conditio penderet (11), res furtivae, aut vi occupatae, nisi purgatum fuerit vitium, hoc est nisi res in domini potestatem reversa fuerit (12). Quod si heres bona fide rem, quam defunctus habuit commodatam, aut locatam, alteri bona fide accipienti vendiderit, aut dotis loco dederit, is rem, quae nullo reali vitio tenetur, suo tempore usucapiet (13); nam in odium furti lex XII. Tabularum, et lex Attilia, atque in odium violentia, lex Julia, et Plautia procul esse usucapionem voluerunt, non item cum nullum furtum, et nulla violentia est.

(1) *Cap. 7. de praescript.*

(2) Num adversus Ecclesiae libertatem praescriptione acquiratur juspatronatus, disputat Berardus *comment. in jus eccles. univers. tom. 2. dissert. 4. cap. 4. pag. 99. seqq. edit. Venet.* 1789.

(3) *Cap. 1. de regul. jur. in 6.*

(4) At in *Cap. 11. de jurepatr.* habentur haec; *nisi legitima fuerit praescriptione munitus.* Verum haec Decretalis pertinet ad ea beneficia, quae in proprietate data sunt, uti saepe monasteriis donari solent.

(5) *Cap. 16. de praescript.*

(6) *L. communis 42. ff. de usurp. et usucap.*

(7) *L. Bonae fidei 48. ff. de acquir. rer. domin.*

(8) *L. Bonae fidei cit., et L. penult. ff. de leg. Jul. repetund.*

(9) *L. si fundum 16. ff. de fund. dotal.*

(10) *L. quaecumque 4. Cod. de bonis quae liber.*

(11) *L. ult. §. sin autem 3. Cod. communia de legatis.*

(12) *Instit. de usucapion. §. aliquando 8., L. si ad dominum 86. ff. de furtis.*

(13) *Instit. de usucap. §. 4.*

§. VIII. Neque bona fisci, vel Principis praescriptionis legibus subjiciuntur (1). Secus tamen est in bonis vacantibus, quae nondum fisco nunciata sunt, quippe quae quadriennii

spatio praescribuntur; ita ut hoc elapso temporis intervallo non amplius Fisco nunciari, vel tamquam vacantia a fisco occupari, aut vindicari possint (2). Interim haec quadriennii praescriptio non impedit, quominus haec ipsa bona vacantia ab eo, qui illa justo titulo detinet, puta emptionis, ac bona fide, ceterisque observatis, quae a justa praescriptione requiruntur, rite, ac recte usucapiantur (3).

(1) *Instit. de usucapion.* §. 9., *L. quamvis* 18. *ff. eod.*, *L. penult. Cod. Communia de usucapion.*, *L. fiscus* 6. §. 1. *ff. de jur. fisci.*

(2) *L.* 1. §. *Divus Pius ff. de jur. fisci*, *L. quia autem* 6. §. *certe si* 7. *ff. si quis omiss. caus. testam.*, *L.* 1. *Cod. de quadrienn. praescript. Instit. de usucapion.* §. 9.

(3) Atque hoc est quod in *cit.* §. 9., *inquit*, Justinianus » Papinianus » scripsit, bonis vacantibus fisco nondum nunciatis, bonae fidei emptorem » traditam sibi rem ex his causis usucapere posse, et ita Divus Pius, et ita Divi Severus et Antoninus rescripserunt „. Quibus fere respondet Modestinus in *L. quamvis* 18. *ff. de usurp. et usucapian.*

§. IX. Possessio quoque, uti dicebamus, certumque tempus ad inducendam praescriptionem requiruntur. Atque illa quidem continua sit oportet (1), non interrupta sive naturaliter, dejecto scilicet possessore ex re quam detinet (2), sive civiliter, hoc est per motam litem (3). Proprio etiam nomine, seu dominii opinione retinenda est; quoniam usufructuarius, et similes, uti diximus, qui alieno nomine possident, non sibi usucapiunt, sed illi, cujus personam gerunt. Tempus vero multiplex est, uti postulat natura rerum, quae praescribuntur, modo breve, aut longum, aut longissimum, modo immemoriale, cujus initii nulla extat memoria. In usucapione rerum tempus currit de die in diem, ita ut „ etiamsi minimo „ momento novissimi diei possessa res sit, nihilominus re- „ pleatur usucapio, nec totus dies exigitur ad explendum con- „ stitutum tempus „ uti loquitur Venulejus (4). At „ in o- „ mnibus temporalibus actionibus, nisi novissimus dies totus „ compleatur, non finit obligationem (5) „.

(1) *L. possessio* 20., *L. numquam* 31. §. 1., *L. non solum* 33. §. *qui pignori* 4. *ff. de usurp. et usucap.*

(2) *L. naturaliter* 5. *ff. de usurp. et usucap.*

(3) *Cap.* 13. et 14. *de praescript.*, *Cap.* 2. *eod. in* 6., *L. nemo* 10. *Cod. de acquir. et retinen. possess.*, *L. mora* 26. *Cod. de rei vindic.*, *L.* 2. *Cod. de annal. except.*

(4) *L. 15. ff. de divers. tempor. praescript.*
(5) *L. in omnibus 6. ff. de obligat. et action.*

§. X. Res mobiles, nisi sint valde pretiosae, quae immobilibus comparantur, triennio (1); res immobiles privatorum decennio inter praesentes, vicennio inter absentes praescribuntur (2); nisi speciatim longius tempus jure sit constitutum. Ita res immobiles, et jura Ecclesiae Romanae desiderant annos centum, inferiorum Ecclesiarum quadraginta (3). Qui in eadem provincia domicilium habent, praesentes, qui in diversis, absentes judicantur. Inter defunctum, et heredem, emptorem, et venditorem, ceterosque successores tempora conjunguntur, modo omnes in bona fide sint, ita ut si defunctus ex. gr. possederit annos decem, et annos item decem heres, cumuletur utraque possessio, ac vicennii praescriptio absoluta habeatur (4). Cetera, quae ad hoc argumentum pertinent, late explicant qui jus civile scriptis illustrarunt.

(1) *L. unic. Cod. de usucap. transform.*
(2) *Instit. de usucapion. in princip., L. unic. cit. L. penult., Cod. de servit. et aqua.*
(3) *L. ult. Cod. de prescript. longi temporis dec. vel. vig. an.*
(4) *Instit. de usucapion §. 13., L. 14. §. 1. et seq., L. 15. §. 1. ff. de divers. temp. praescript., L. Pomponius 13. §. 1. seq. ff. de acquir, vel amitt. possess.*

§. XI. Cum tempore sociandus est justus titulus, quo nomine intelligimus causam aptam, et idoneam ad dominium, seu jus aliud quodcumque transferendum; et socianda bona fides, quae est judicium prudens; et vacuum malitia, ac fraude, qua quis putat sine alieno detrimento rem aliquam juste possidere. Titulus vel est verus, qui omni prorsus vitio caret, ut si a vero domino rem acceperim, vel coloratus, sive apparens, qui specie justus videtur, sed re ipsa non est, nisi rem emerim a non domino, qui dominus judicetur; vel existimatus, seu putativus, qui fuisse creditur, quamquam revera non fuerit, ut si habueris equum ex empto, cum tamen nulla equi emptio facta sit; vel praesumptus, qui nascitur ex temporis diuturnitate, quae facit, ut videatur accessisse titulus, sive non accesserit, sive accesserit revera. Sic centenaria praescriptio firmissimi cujusvis titu-

li praesumptionem inducit, inde illud adagium, quod est in ore pragmaticorum: *centenaria inducit meliorem titulum de mundo.*

§. XII. Justus hic titulus radix est bonae fidei, justaeque possessionis; ideoque ab eo praescriptio probata legibus abesse nequit (1). Haud tamen est necessarius certus, verusque titulus, qui opus non habet praescriptione, cum per semetipsum dominium transferat. Satis est titulus coloratus, per quem justa habetur possessio, et acquiritur usucapiendi conditio (2). Titulus putativus facit, ut justae praescriptioni debeat esse locus, cum error alienum factum attingit, ut si putas rem a tuo servo acquisitam donatione, legato, aut stipulatione, quae his modis acquisita non est, quoniam error facti alieni probabilis est, atque a Jure toleratur (3). Sed error proprii facti, aut juris ferri non potest, et ideo neuter plane titulum praestat ad praescribendum (4). Titulus praesumptus idoneus non est ad conficiendam ordinariam praescriptionem, sed proferendus, demonstrandusque est (5). Verum cum extraordinaria est praescriptio longissimi temporis, nihil est necesse proponere, ac demonstrare titulum, quem ipsa secum fert tempore ram diuturno testata, ac probata praescriptio (6). Imo cum ea est immemorialis, praesumitur omnis titulus, etiamsi Jus praescribenti resistat (7).

(1) *L. nullo justo 24. Cod. de rei vindic., L. diutina 4. Cod. de praescript. long. temp., Cap. 4. de praescrip.*
(2) Confer titulos Pandectarum *pro emptore donato etc.*
(3) *L. 2. ff. de jur. et fact. ignor.*
(4) *L. pro emptore 2. §. si a pupillo 25. in fin. ff. pro emptore, L. 1. §. 1. 2. ff. pro donato, L. 4. et 9. ff. de jur. et fact. ignor.*
(5) *L. 27. ff. de usurp. et usucap.*
(6) *L. 3. 4. Cod. de praescript.* 30.
(7) *Cap. 1. de praescript.*

§. XIII. Quod non ita intelligendum est, quasi titulus praesumptus ex praescriptione longissimi temporis, aut etiam immemoriali procedens ita videatur habendus veritatis loco, ut nulla contraria demonstratione labefactari, convellique possit. Temporis diuturnitas facit, ut optimus quisque titulus praesumatur, propterea qui hac praesumptione nititur titulum demonstrare non cogitur (1). Sed omnis praesumptio ve-

ritati concedat necesse est, et ideo si omnem abesse titulum ostendat qui praescriptionem patitur, vis tota evanescit diuturnitatis, et praescriptionis. Sic qui titulo pignoris, depositi, locati, et quisquis alieno nomine rem diutius retinuit, frustra opponit praescriptionem, ut ejus rei dominium consequatur (2). Sic Innocentius III. nullam esse definivit praescriptionem decimarum, quas quis sine justo titulo diutissime obtinuerat (3).

(1) *L.* 3. 4. *Cod. de praescript.* 30.
(2) *Cap.* 17. *de praescript.*
(3) *Cap.* 31. *de decim.*

§. XIV. Tempore, ac titulo cumulanda est bona fides, in qua Jus Canonicum merito Civilis Juris praescripta emendavit. Nam Juri Civili satis est quod cum bona fide incohata sit praescriptio, nec quaerendum putat, qualis postea fuerit haec fides, bona ne, an mala, antequam labatur tempus, quod est praescriptioni datum (1). Contra Jus Canonicum bonam fidem vult esse perpetuam usque ad complementum praescriptionis, adeo ut nequeat prescribere qui initio quidem bonam fidem habuit, sed in mala fide versari in progressu cepit (2). Quinimo qui a bona fide initium duxit cum postea res in dubium venit, quaerere omni studio, curaque debet verum rei dominum, quem si non invenerit, eum a possessione detrudendum leges negant (3). Neque vero qui bonam fidem proponit eam demonstrare cogitur, quoniam praesumitur, nisi aliud ostendatur (4).

(1) *L.* 8. *Cod de praescript.* 30.
(2) *Cap.* 5. *et ult. de praescript., Cod.* 2. *de regul. jur. in* 6.
(3) *Can.* 5 *c.* 34. *q.* 1. ubi constitutum est: „ tamdiu quisque bonae „ fidei possessor recte dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum „ et „ *cap.* 65. *de regul. jur. in* 6. *in dubio potior est conditio possidentis.*
(4) *L.* 21. *ff. de probat., Cap.* 47. *de regul. jur. in* 6.

§. XV. Saepe praescriptio interrumpitur, et saepe dormire dicitur, quod utrumque quale sit, et quomodo fiat, inspiciamus. Interrumpitur cum ita cessat, ut priora tempora posterioribus continuata, et juncta non sit. Quod fit cum aliquod in praescriptione deprehenditur insigne vitium, puta quod absit titu-

lus, aut bona fides, et tunc praescriptio plane exarescit. Interrumpitur etiam, sed non tollitur, et perimitur per actum aliquem judicialem, per quem jus possidendi in discrimen revocatur. Verum cum hic actus nullius momenti judicatus, atque e medio sublatus est, reviviscit praescriptio, ac tempus antea lapsum cum tempore posteriori conjungitur, ut per utrumque praescriptio conficiatur. Dormire autem dicitur praescriptio, dum legitime incohata ob aliquod repente ortum impedimentum interim quiescit, ac suspenditur, sublato vere impedimento denuo procedit; habita simul ratione temporis antiquioris, et recentioris, haud tamen medii temporis impedimenti, a quo mora illata est. Sic tempore belli, ac pestis neque jus dicitur, neque cursum conficit praescriptio; sic vacua Sede Episcopali, aut Episcopo agere impedito (1), sic tempore pupillaris aetatis, sic demum cum quis agere prohibetur, praescriptio quiescit (2).

(1) *Cap.* 4. 10. *de praescript.*
(2) *L.* 1. *Cod. de annal. except.*, *Auth. nisi Cod. de bon. mater.*

# DE SENTENTIA

## ET RE JUDICATA

### TITULUS XXVII.



Sextus, et Clementinae *h. t.* Decretum *c.* 3. *q.* 9. *c.* 5. *q.* 4. *c.* 35. *q.* 9. Concilium Tridentinum *sess.* 14. *c.* 7. *et sess.* 25. *c.* 3. *de reform.*, Institutiones *lib.* 4. *tit.* 17. Pandectae *lib.* 42. *tit.* 1. *et seq.* Codex *lib.* 7. *tit.* 42. *usque ad* 61.

### §. I.

Auditis actore, et reo, excussisque illius probationibus, et hujus exceptionibus, servatis demum omnibus, quae ex Juris praescripto servanda sunt, fit *conclusio in causa*, (1), ac demum Judex pro tribunali sedens (2), Christique nomine invocato, soliusque Dei considerationem, et respectum professus sententiam profert, quae controversiam finit. Est autem sententia judicis pronunciatio, quae aliquem absolvit, aut condemnat, aut certi criminis declarat reum. Sententia, quae reum condemnat, ab eo tempore, quo fertur, vim suam incipit explicare; sententia, quae declarat commissum fuisse crimen, cui lex ipsa poenam infligit, trahitur ad tempus, quo quis reus criminis factus est, ab eoque tempore effectum habet. Atque haec quidem pertinent ad sententiam, quae definitiva appellatur, quia definit negocium, quod judicii materiam praebet.

(1) Quid tribunal sit, et quid locus planus, unde illud *de plano judicare*, et *planaria* cognitio, cujus mentio est in *L.* 4. *Cod. de dilat.* demonstravi in *Instit. Canon. lib.* 3. *tit.* 14. §. 4. *not.* 3. *seqq. pag.* 168. *et* 169.

(2) Formula haec quae ad forum civile delata est, originem repetit a Pontificiis Decretalibus, *Cap.* 5. §. 3. *de caus. possess. et propriet.*, *Cap.* 9. *de fid. instrum.*

§. II. Est et sententia, quae interloquutoria dicitur (1), quaeque non dirimit controversiam, de qua praecipue quaeritur, neque super ea fertur, sed super quaestione inter judicii cursum incidente (2), ut si agatur de afferendis in medium testibus, aut dilationibus concedendis, vel approbanda, negandave exceptione, et similibus. Inde tractum est hoc vocabulum, quia judex, dum principalis causa cognoscitur, interea loquitur, neque definitive pronunciat, sed tantum ea dicit, quae ad causam promovendam pertinent, ut judicium ad propositum finem perducatur (3). Sed interdum haec interloquutoria vim habet definitivae, quae licet non definiat expresse causam praecipuam, de qua quaerendum est, tamen eam fere perimit, ita ut alia definitiva sententia minime desideretur; puta si peremptoria exceptio approbetur. Haec interlocutoria sententia mixta dicitur, ut ab alia, quae simplex est, distinguatur.

(1) Hodie quidem sententia dividitur in definitivam, et interlocutoriam; sed secundum scita Juris Romani interloquutio, quae nec absolvit, nec condemnat, proprie non sententia, sed decretum est, uti observat Visenbach. *thes.* 1. *lib.* 32. *tit.* 1. *ff.*, et Cujacius *in tit. Decretal. de appellat. cap.* 5. *etc. opp. tom.* 6. *col.* 914. *edit. cit.*

(2) Interlocutio praejudicium dicitur in *L.* 2. *Cod. Theodos. de recipien. appellat. Interlocutio*, inquit Cujacius *Paratil. in Cod. lib.* 7. *tit.* 45. *opp. tom.* 2. *col.* 431., » est praeceptum judicis in principio, aut me» dio litis interpositum, quod ad finiendae litis praeparationem spectat, non » etiam finit, sive perimit litem; id et praejudicium dicitur et jussum, et » articulus, et improprie sententia, et suasio in specie. » Consule Brissonium *de verb. signific. verb. interloqui.*

(3) Vide quae scripsimus *in Instit. Jur. Canon. lib.* 3. *tit.* 14. §. 2. *tom.* 3 *pag.* 166.

§. III. Ut rata firma habeatur sententia definitiva, primum lata esse debet a competente judice, qui in litigantes, aut saltem in reum jurisdictionem habeat (1), eoque nullo noto vitio a judicando prohibito, qualis esset excommunicatus (2). Deinde certa sit oportet, non incerta, aut alternativa, nisi hujus

generis sententiam postulet negocium, de quo est quaerendum, ut si quis petat vel fundum cum fructibus, vel mille aureos, quanti fundus valet (3); puta, nimirum conditionis expers, ut si quis condemnet Titium, si mutuum accepit (4), nisi conditio connexa, et interior sit, ex. gr. condemno, et excommunico te, nisi infra octo dies satisfeceris; cum libello consentiens (5), et Juris sanctioni, atque ordini conveniens judiciorum (6). At non omnis a juris disciplina devia sententia irrita est, sed ea quae contra jus scriptum, non contra jus litigatoris lata est (7), in quam irrepsit error calculi eadem sententia expressus (8), quae absentibus, neque citatis litigatoribus data est (9), in qua constitutae solemnitates neglectae sunt, puta si die festo, aut ab excommunicato emissa fuerit (10). Verum si sententia abhorreat a jure, quod causae merita attingit, irrita est, cum juris error exprimitur, secus valet; uti valet sententia injusta, donec appelletur (11), ac sententia lata contra privilegium, in qua similiter qui damnum pertulit tuetur se beneficio appellationis (12).

(1) *Cap. 4. de judic.*, *Cap. 3. de consuet.*
(2) *Cap 24. de senten. et re judic.*
(3) *L. 3. et ult. Cod. de senten. quae sine cert. quantit.*
(4) *L. 1. §. 5. ff. quand. appell.*
(5) *Cap. 19. de senten. et re judic.*, *Clement. 2. de verb. signific.*
(6) *L. 4. Cod. de senten. et interloq.*, *Cap. 1. de senten. et re judic.*
(7) *L. illud 1. §. 2. ff. quae sentent. sine appellat.*
(8) *L. illud cit. §. 1.*
(9) *L. illud cit. §. 3.*
(10) Huc referenda est regula 64. *in 6.*, *quae contra jus fiunt, deben. pro infectis haberi.*
(11) *L. 1. ff. quae senten. sine appell.*, *L. 32. ff. de re judic. L. 19. ff. de appellat.*
(12) *Cap. 21. de sensent. et re judic.*

§. IV. Sedere judicem leges jubent, dum profert sententiam (1), sive ut suam ostendat auctoritatem, sive quod mens quiescente corpore magis est acris, et vigens (2). Nullibi Jus Civile irritam declarat sententiam, quae a non sedente judice lata fuit; id solum Canonici Juris scitum, ac jussum est (3). In judiciis summariis nulla est sedendi necessitas (4). Sedet autem judex dicturus definitivam sententiam publice, non in secreto, ne irrita sit (5); eaque ferenda est die non feriato, seu

juridico, ad quem facta est citatio (6), de scripto (7), interdiu, non noctu (8), recitanda est praesentibus, aut saltem in eam rem vocatis litigantibus, quamquam per contumaciam absens tamquam praesens habeatur (9). Jus Civile illustribus Magistratibus permittit per ministros suos sententias ex tabella recitare (10), et eorum exemplo Bonifacius VIII. etiam Episcopos eodem privilegio potiri voluit (11). Sed jam ubique receptum est, ut judicum sententiae per alios recitentur; imo apud nos ita fert vetusta consuetudo, ut a nemine sententia legatur; sed eam *latam*, *et publicatam* notarius peculiari libro scribit, eaque tunc incipit vim suam exercere.

(1) *L.* 6. §. *ult. Cod. de postulan.*, *Novel.* 71. *cap.* 1. Hinc sessiones judicium, quarum mentio est in *L.* 2. §. 1. *ff. quis ordo in possess.* Vide-sis Pollettum *Histor. for. Roman. lib.* 1 *cap.* 5. apud Polenum *supplem. antiq. Roman. Graecar. tom.* 1. *col.* 366. *et* 367. *edit. Venet.* 1737.

(2) Hinc Tranio apud Plautum *in Mostell. act.* 3. *scen.* 1. *vers.* 54. *tom.* 1. *pag.* 551. *edit. Lugdun. Batav.* 1669.

*Nimio plus sapio sedens.*

(3) *Cap.* 5. *de senten. et re judic. in* 6.

(4) *Clement.* 2. *de verb. signific.*

(5) *L.* 6. *Cod. de senten. et interluq.*, *L.* 3. *Cod. de senten. ex peric. recitan.*, *Can.* 7. *ca.* 2. *q.* 1.

(6) *Cap.* 1. *de fer. L. ult. Cod. eod.*

(7) *L.* 2. *et* 3. *Cod. de senten. ex pericul. recitan.* Codices Teodosianus, et Justinianeus ea de re sententiam nominant *ex periculo recitandam*, quod quale sit ostendit Donellus *de jur. civil. lib.* 28. *Cap.* 3. §. 10. *tom.* 6. *pag.* 402. ibique Hilligerus.

(8) *Cap. consuluit* 24. *de offic. delegat.* Confer Hilligerum *ad Donellum loc. cit.*

(9) *L. ea quae* 7. *Cod. quom. et quand. Jud.*, *L. si Praetor ff. de judic.*

(10) *L.* 2. *Cod. de senten. ex peric. recitan. cit.*

(11) *Cap. ult. de senten. et re judic. in* 6.

§. V. Multis in locis latino sermone sententia concipitur; sed et in multis vernacula lingua adhibetur; in quo locorum consuetudo observanda est. Prolata autem, et publicata sententia Judex suo munere functus est, ideoque illam revocare non potest, sed interloquutiones revocare non prohibetur. Sic responsum est ab Ulpiano (1), qui tamen loquitur de judice pedaneo, qui notionis causa datus erat, et cujus officium dicta sententia expirabat. Sed sensim jurisprudentia de judicibus pedaneis traducta est ad judices ordinarios, quos nefas est ab-

rogare sententiam definitivam, non item interloquutiones, quarum omni judici retractatio permittitur (2).

(1) *L.* 55. *ff. de re judic.*
(2) Vide quae scripsi in *Instit. Jur. Canon. lib.* 3. *tit.* 14. §. 3. *tom.* 3. *pag.* 166. *seq. edit. Romae* 1792.

§. VI. Definitiva sententia, quae absolvit, aut condemnat reum, litemque dirimit, generalis esse debet, pratesque omnes complecti, quae ad controversiam pertinet. Itaque non tantum super negotio principali, sed etiam super omnibus, quae accedunt, et cum illo conjuncta sunt nimirum super expensis, fructibusque perceptis ferenda est; ne lis altera ex litis definitae materia exoriatur (1). Et quia litem injustam egisse videtur qui causa cecidit, ubique victus in expensas victori condemnatur (2); praesertim si constet, eum temere, ac per calumniam litem instulisse (3). Condemnatio vero ad restitutionem fructuum ad eos praecipue spectat, qui post litem contestatam percepti sunt, aut percipi potuerunt, quoniam, re in judicium deducta, qui rem possidet statim malae fidei possessor efficitur (4). Quin etiam si quis ante litem contestatam in nolo, malave fide versatus est, etiam fructus antea perceptos restituere debet.

(1) *L.* 3. *Cod. de fructib. et lit. expen.*
(2) *L.* 5. *Cod. eod.*
(3) Videndus Donellus *de jur. civil. lib.* 16. *cap.* 3. *num.* 6. *et seq. col.* 309. *et seq.*
(4) *L.* 2. *Cod. eod.*

§. VII. Ex lata, et publicata sententia oritur res judicata, quae demum facit, ut illa executioni mandari possit (1). Id vero efficitur, cum libera esset provocandi facultas, et tamen qui victus judicio fuit, vel ad solvendum petit dilationem (2), vel intra temporis intervallum a lege datum, hoc est intra decem dies (3), non provocavit, atque ita suo silentio in sententiam consensisse videtur. Proprie res judicata controversiae finem constituit, quae ita rem expedit, ut totum negocium plane finitum habeatur; non item sententia, quae tantum absolvit, vel condemnat, neque ultra progreditur, nisi a rejudicata firmamentum, et robur accipiat. Tantum in rem judicatam transit sententia definitiva, non item interloquutiones, etiamsi principali causae praejudicium faciant

(4). Cumque res judicata controversiae finem imponat, consequens est, ut actionem, et exceptionem pariat (5); ut jus inter litigantes constituat, pariatque exceptionem rei judicatae, imo et tertium obliget, si ex ejus consensu lis acta sit, aut is causam ab alterutra parte habeat (6), et veritatis habeatur loco, adeout, etiamsi postea nova prodierint monumenta, tamen lis per remjudicatam extincta, nonnisi ope restitutionis in integrum redintegrari possit (7).

(1) Res Judicata a Modestino IC. *in L. 1. ff. de re judic.* definitur *quae finem controversiarum pronuntiatione judicis accipit.*
(2) *L. 5. Cod. de re judic.*
(3) *Cap. 15. de senten. et re judic.*
(4) *Cap. 60. de appellat., Cap. 12. eod. in 6.*
(5) *Cap. 13. de senten. et rejudic.*
(6) *Cap. 25. eod., Cap. 25. in fin. de senten. et re judic.*
(7) *L. 4. Cod. de re judic., Cap. 21. de senten. et re judic.*

§. VIII. Sunt tamen causae complures, in quibus sententiae vim numquam acquirunt rei judicatae, quamquam nulla facta sit appellatio, eaque idcirco abrogari possunt. Ex eo genere sunt causae, quae ad vim pertinent matrimonii (1); causae beneficiariae, si nullitas tituli ostendatur (2); praeterea quae nituntur instrumentis, aut testimoniis manifesto falsis, testibusque pecunia corruptis, cum eorum fidem sequutus est judex (3); sententiae, quarum fundamentum positum est in juramento suppletorio, quod falsum deprehenditur (4); latae a judice excommunicato (5), vel pecunia corrupto (6), vel incompetente, aut competente quidem, sed contra jus expressum (7), aut contra priorem rem judicatam (8); sententiae in causis censurarum, in quibus semper audiendus est qui se immerito excommunicatum queritur (9); denique resjudicata numquam oritur ex sententia criminali, qua reus criminis condemnatus est, praesertim cum inflicta fuit poena, quae restitutionem admittit (10). In publicis quoque negociis post remjudicatam ex justa causa nova proferre instrumenta, et causam redintegrare permittitur. (11).

(1) *Cap. 7. 10. et 11. de senten. et re judic., Cap. 5. et 6. de frigid. et malefic.*
(2) *Cap. 46. de appellat.*
(3) *Cap. 22. de senten. et re judic., L. 33. ff. de re judic. , L. 2. et 3. Cod. si ex falsis.*

(4) *L.* 31. *ff. de jure jur.*
(5) *Cap.* 24. *de senten. et re judic., Cap.* 13. *de haeret.*
(6) *L.* 7. *Cod. quand. provoc. non est necess.*
(7) *L.* 1. *ff. quae senten. sine appellat. rescind.*
(8) *L.* 1. *Cod. quand. provoc. non est necess.*
(9) *Cap.* 36. *de offic. et potest. delegat., Cap.* 48. *de senten. excom.*
(10) Agumen. *L.* 6. *ff. de appellat.*
(11) *L.* 35. *ff. de re judic.*

§. IX. Rei judicetae finis est executio, per quam ad exitum, actumque perducitur, quod rejudicata definitum est. Neque enim ullus esset effectus rei judiciatae, nisi id., quod judex verbo imperavit, facto compleretur. Fit autem executio a solo judice ordinario, vel delegato; secus qui id praestat propria auctoritate *actione furti, et vi bonorum raptorum tenetur* (1). Quod si a sententia appellatum fuerit, et judex appellatum appellationis re cognita sententiam vel confirmet, vel emendet, eam ipse exequitur, quoniam ad eum jurisdictio delata est (2). Contra si ipse pronunciet, ratam firmam habendam esse sententiam, quia lapsa sunt fatalia, aut deserta appellatio, executio spectat ad judicem, a quo lata sententia est (3).

(1) L. 6. §. 2. *de re judic., Cap.* 5. *de offic. et potest. delegat.*
(2) L. 32. §. 2. *Cod. de appell., Auth. si quis Cod. de episc. aud.*
(3) L. *ult.* §. 4. *Cod. de temp. appell.*

§. X. Exequutor mixtus, cujus est non tantum exequi sententiam, sed etiam cognoscere, quae ad faciendam exequutionem pertinent, admittere potest exceptionem, per quam exequutio retardatur, non etiam impugnatur sententia; verum si adversus eam aliquid opponatur, ex. gr. a tertio, qui latam fuisse sententiam ignoret, id principali judici nunciandum est (1). At exequutor merus, cui non rei cognitio, sed merum exequendi officium commissum est, nullam ut plurimum admittere exceptionem potest, nisi sententiam manifesto injustam, aut nullam esse constaret (2).

(1) *L.* 75. *ff. de judic.*
(2) *L.* 6. 8. *Cod. de exequt. rei judic., Cap.* 28. *de offic. et potest. delegat.*

§. XI. Ceterum qui tres passus est sententias, easque concordes, si eas nullas esse contendat, audiendus non est, nisi

illae primum exequutionem consequantur (1). In actionibus realibus statim post decendium exequutio decerni potest in rem, de qua actum fuit, quia haec in promptu est, ut fiat restitutio, nisi possessor justo impedimento prohibitus eam restituere non possit; quo in statu rerum datis fidejussoribus, aut pignoribus certum ei tempus ad restituendum praefinitur (2). At in actionibus personalibus, et debitis, cum pecunia numerata non semper praesto sit, debitori ad solvendum quadrimestre conceditur (3). In criminalibus pro exequutione poenae corporalis inquit Imperator *juxta qualitatem criminis ultio differenda non est* (4).

(1) *Clem.* 1. *de sentent. et re judic.*
(2) §. 2. 3. *Inst. de offic. jud.*, *Cap.* 6. *de senten. et re judic.*
(3) *Cap.* 15. *de sentent. et re judic. L.* 2. *et* 3. *Cod. de usur. rejudic.*
(4) *L.* 18. *Cod. de poenis.*

§. XII. Illae autem, quae a lege dantur, induciae quatuor mensium in actione personali a die, quo lata, vel si provocatum fuerit, a die, quo est confirmata sententia, numerantur (1). Sed judex constitutum tempus, uti res postulat, vel producere, vel contrahere potest suo arbitratu (2). Tempus hoc per quod solutio retardatur, humanitatis gratia, ut inquit Papinianus (3), debitori conceditur, ut interim pecuniam quaerat, qua debitori satisfaciat; et olim quidem ex jure XII. tabularum erat dierum triginta, qui in iisdem tabulis dies justi appellantur (4), sed postea Justinianus illud ad menses quatuor prorogavit. Nunc fori usu, et consuetudine receptum est, ut vel statim post emissam sententiam, vel post aliquot dies, vel etiam post longum tempus judicis arbitrio constitutum expediantur literae executoriales, quarum vi apparitores, aliique inferiores ministri sententiam exequuntur.

(1) *L.* 68. *ff. de rei vindic.*, *Cap.* 5. *de senten. et re judic.*, *Cap.* 26. *de offic. et potest. delegat.*
(2) *L.* 2. *ff. de re judic.*, *Cap.* 15. *de senten. et re judic.*
(3) *L.* 16. *in fin. ff. de compensat.*
(4) Eodem hoc vocabulo utitur Cicero *de legibus lib.* 2. §. 9. *opp. tom.* 4. *pag.* 198. *edit. Oliveti Genevae* 1743. *Praeter Idaeae matris*, inquit, *famulos, eosque justis diebus, ne quis stipem cogito.*

§. XIII. Certus in facienda executione observandus est ordo,

qui in eo est positus, ut res ipsa restituenda, cum extat, vi quoque adhibita, auferatur (1); at si ea non extat, vel propter pecuniae debitum executio facienda sit, primum capiuntur bona mobilia, deinde immobilia, aut si ea desint, vel idonea non sint, jura et nomina debitorum, semper tamen pro modo debiti, creditori addicuntur (2). Hodie, praesertim cum creditum hypothecarium est, sine discrimine mobilia, et immobilia debitoris bona capiuntur. Speciali jure sancitum est ut nonnisi in subsidium executio fiat in stipendia, arma, et equos militum (3), ac praeterea instrumenta ad agriculturam necessaria executioni non subjiciantur (4). Ad horum similitudinem executio non fit super instrumentis artis, quam quis exercet; itemque executionem non patiuntur vestes, quibus aliquis indutus est.

(1) *L. 68. ff. de rei vindic.*
(2) *L. 15. ff. de re judic.*
(3) *L. 4. Cod. de execut. rei judic.*
(4) *L. 7. Cod. quae res. pignor. oblig. pos.*

§. XIV. Fit executio, cum ea est de bonis mobilibus, ab apparitoribus, qui se in locum conferunt, ubi sunt bona, quorum pro debito partem capiunt, et inferunt in locum publicum, ubi retinenda est, donec auctione constituta vendatur, aut a debitore recuperetur. Quod si bona ad locum publicum deferri commode nequeant, ubi sunt retinentur; sed clauso, obsignatoque ostio, et edicto proposito, ne quis ostium effringat, locumque ingrediatur. At cum de bonis immobilibus facienda executio est; praeter apparitores, et nuncium, sive cursorem, etiam notarius vocatur, a quo factae executionis publicum testimonium exhibetur.

§. XV. Post executionem certo elapso tempore distrahitur pignus, ac demum, nisi judicato satisfactum fuerit, debitor in carceres detruditur; quo tamen dedecore minime afficiuntur mulieres, quae propter civile negocium in carceres conijci nequeunt (1), quo beneficio etiam clerici aucti sunt (2); et huc etiam spectant certa quibusdam in pluribus locis concessa privilegia, quae non eadem ubique sunt. Ad vitandam carceris ignominiam, inductum est a Lege Julia beneficium cessionis bonorum, quod habent qui magna aeris alieni mole

premuntur, et hi quidem sua omnia bona cedunt creditoribus, ut ipsi ea vendant, sibique ex eorum pretio satisfaciant. Sed bonorum cessione non indigent qui privilegio gaudent *competentiae*, ut vocant, quod in eo consistit, ut id tantum, quod facere possunt, praestare cogantur. Hujusmodi beneficium concessum est parentibus, patrono, socio, marito, quem uxor ad dotis restitutionem cogit, donatori, quem donatarius judicio convenit (3), filiofamilias, qui in jus vocatus est pro contractibus gestis, cum adhuc esset in patria potestate, si haud est consecutus patris hereditatem (4). Omnes quoque clerici eodem beneficio fruuntur, modo tonsuram gerant, et clericalibus induti vestibus incedant (5). Cetera, quae ad sententiae executionem pertinet, exposuimus in Institutionibus Juris Canonici (6), et ideo nihil hic addendum putamus.

(1) *Novell.* 134. *Cap.* 9.
(2) *Cap. Odoardus de solut.*
(3) §. 37. *et. seq. Instit. de action.*
(4) *L.* 2. *ff. quod cum eo qui in alien. potest.*, L. 49. *ff. de re judic.*, L. 3. §. 4. *ff. de minor.* 25. *an.*
(5) Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 6. *de reform.* minores clericos, qui nullum habent ecclesiasticum beneficium, fori beneficio minime gaudere statuit, nisi et tonsuram, vestesque clericales gerant, et simul ab Episcopo alicujus Ecclesiae servitio adscripti sint. Sed id quod de clerico ab Episcopo addicto certae Ecclesiae servitio statutum est, impune negligi posse, ostendit Benedictus XIV. *de synod. dioeces. lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 5.
(6) Vide *nostras Institutiones lib.* 3. *tit.* 14. §. 18. *seq. pag.* 182. *seq. tom.* 3.

DE

# APPELLATIONIBUS, RECUSATIONIBUS,

## ET RELATIONIBUS

---

## TITULUS XXVIII.

I. Nullitas, aut injustitia sententiae.
II. Appellationis definitio, ejusque divisio in judicialem, et extrajudicialem.
III. Quibus appellatio conceditur.
IV. Quomodo fiat, et quando necessaria sit appellatio?
V. Quando appellatio non permittatur?
VI. Non ab omnibus judicibus appellare fas est.
VII. A sententia supremi Principis appellare nefas.
VIII. Nefas quoque appellare a judicio Summi Pontificis in rebus ecclesiasticis.
IX. Appellatio a sententia interloqutoria.
X. et XI. Discrimen inter hanc, et appellationem a sententia definitiva.
XII. Appellatio ab executore sententiae.
XIII. Numerus appellationum.
XIV. ad XVII. Causae quae omnino respuunt appellationem.
XVIII. ad XXII. Intra quod tempus facienda sit appellatio?
XXIII. Effectus appellationis.
XXIV. Quid sit recusatio?
XXV. et XXVI. Recusationis causae, et quando afferendae?
XXVII. De recusationibus celebris constitutio Benedicti XIV.
XXVIII. Relatio ad Principem quando, et quomodo facienda sit?
XXIX. In quo conveniant, et in quo differant appellatio et relatio?

Sextus Clementinae *hoc tit.* Decretum *c.* 2, *q.* 6. Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 1. *in fin.*, *et cap.* 2. 3. *de reform.* *sess.* 22. *cap.* 7. *sess.* 24. *cap.* 10. 18. 20. *sess.* 25. *cap.* 14. Pandectae *lib.* 49. *tit.* 1. *ad* 13. Codex *lib.* 7. *tit.* 62. *ad fin.* Novell. 23.

§. I.

Qui victi judicio sunt, sibique adversariam sunt passi sententiam, remedium habent appellationis, per quam vis latae sententiae suspenditur, et quidquid contra jus fasque judicatum est, emendatur. Cum nulla sententia est, quia neglecta sunt quae erant necessario observanda, remedium nul-

litatis proponitur; cum injusta est, eamve passus injustam putat, praesidium imploratur appellationis. Plerumque nullitas cum appellatione conjungitur, ut si illa non satis perspicue demonstrari possit, propter sententiae iniquitatem appellatio impetretur. Querela nullitatis praecipue, ac seorsim proposita expirat post annos triginta (1), nisi peculiares consuetudines, legesque populorum, aut longius, aut brevius hoc tempus faciant.

(1) *L.* 3. *Cod. de praescript.* 30.

§. II. Appellatio est ab inferiore ad superiorem judicem (1) provocatio, tum ut incommodum, detrimentumque, quod quis priori sententia accepit, avertatur, tum ut iniquitas, aut imperitia judicis novo judicio emendetur. Ea vel judicialis est; quae emittitur post incohatum citata parte judicium adversus actum judicialem; vel extrajudicialis, quae fit de actibus extrajudicialibus, qui vel intulerunt, vel illaturi sunt damnum, aut gravamen, quod quis aequo animo ferre non potest (2). Ita si alicui tutela, aliudve onus deferatur, si privatus alimenta neget, si quis merito timeat, ne a privatis damni aliquid patiatur in praesentatione, electione, aliisque similibus, justus patet appellationi locus (3). Cum appellatur a gravamine extra judicium illato, potius provocatio ad causam, quam vera appellatio est (4). Quod sedulo decet animadvertere, quia si vera esset appellatio, ad superiorem ire oporteret, contra vero per hanc provocationem res defertur ad judicem, qui de illato gravamine in prima instantia cognoscit.

(1) Hinc ei, qui parem, aut minorem judicem appellavit, errorem nocere, scriptum est in *L.* 1. §. *si quis* 3. *ff. de appell.*

(2) Divisio autem haec judicialis et extrajudicialis appellationis fundamentum habet in utroque jure, ut *cap.* 19 *et* 29. *de elect.*, *cap.* 5. 46. 51. *de appellat.*, *Cap.* 8. *eod. in* 6., *L.* 1. §. 1. *seqq. ff. quand. appell.*, *L.* 7. *Cod. de appellat.*

(3) *Cap.* 21. *de elect.*, *Cap.* 1. 19. 20. *eod. in* 6., *Cap.* 8. *de appellat. in* 6.

(4) *Cap.* 5. *et* 11. *de appellat.* Vide nostras *Institutiones lib.* 2. *tit.* 15. *pag.* 188. *seqq.*

§. III. Omnes generatim appellare possunt, quibus illatum

est gravamen, aut inferendum timetur, sive graviora, sive leviora negocia sint (1), et Imperatores appellantibus vim, aut minas inferri vetant, seque ultores futuros profitentur injuriae, si quis victos appellare prohibeat. Et vero non solum qui condemnatus est, sed et omnes, quorum interest, appellare possunt, ut heres pro coherede, maritus pro uxore, pater pro filio, filiusque pro patre, fidejussor pro debitore, venditor pro emptore, quilibet pro condemnato ad supplicium, cum omnium intersit innocentem defendere (2). Interdum pars utraque appellationem emittit, si pluribus articulis comprehensa sententia in altero faveat, in altero inferat detrimentum (3). Excommunicato judicialis appellatio permittitur, quae defensio est (4), non item regulariter extrajudicialis, quae vim habet conventionis. In communi causa unius appellatio, quaeque eam sequitur, victoria ceteris etiam prodest litis consortibus, qui non appellarunt (5).

(1) *Cap.* 11. *et* 61. *de appellat.*, *L.* 1. *ff. de appellat.*, *L.* 20. 28. *Cod. eod.*
(2) *L.* 6 *ff. de appellat.*, *et L.* 29. *Cod. eod.*
(3) *Cap.* 7. *de appellat.*
(4) *Cap.* 5. 8. 11. *de except.*
(5) *L.* 1. *et* 2. *Cod. si unus ex plur.*, *Cap.* 72. *de appellat.*

§. IV. Neque solum ille, qui victus judicio est, appellare per semetipsum potest, sed etiam recte appellat per procuratorem (1); quin etiam hic alius esse potest ab eo, qui fuerat judicio constitutus (2). Cum vero nulla est sententia, inutilis est appellatio, quoniam haec sententiam attingit, quae injusta quidem, et iniqua est, sed tamen valet, ideoque infirmanda est, ut iniquitas corrigatur; verum sententiam per se nullam infirmare supervacaneum est. Ergo nihil appellatione opus est contra sententiam latam a judice non competente (3), aut contra expressam legem (4), aut contra juris ordinem (5); ut si quis neglecto Episcopo ad Metropolitam provocaverit (6), quod non est concessum; quoniam tantum Summum Pontificem, quem Ordinarius ordinariorum esse constat, omisso medio appellare licet. Adversus hujusmodi sententias satis est nullitates proponere, ut iis expensis, ac demonstratis nulla earum ratio habenda sit. Usu fori hae sententiae, quae nullae sunt, *circumscribi* dicun-

tur, hoc est e medio tolli, et abrogari; id vero fit imperio Principis, qui nisi primum extinxerit, ac deleverit sententiam, ea semper in judicio vim obtinet, et firmitatem.

(1) *L. 2. ff. quand. appell.*
(2) *L. 4. in fin. ff. de appellat.*
(3) *L. ult. Cod. si canon. competen. jud.*
(4) *L. 1. §. 2. ff. quae senten. sine appellat.* Capitularia Caroli *M. lib. 7. cap. 249. tom. 1 col 720. edit. Baluzii Venet.* 1772. in carcerem detrudi jubent judicem, qui *oblatas sibi in judicio leges, vel juris species audire noluerit, et contra eas judicaverit*, atque hujus facinoris convictus fuerit. His Caroli M. Capitularibus antiquior Chlotharii Regis constitutio edita circa annum 560. *num.* 60. *loc. cit. tom.* 1. *col.* 7. castigari vult judicem, qui aliquem contra legem injuste damnavisset. Huc etiam referenda est graeca constitutio Justiniani apud Contium *praetermis. class.* 1. *pag.* 295. *edit. Neapol.* 1725.
(5) *L. 4. Cod. de senten. et interloq.*
(6) *Cap. 66. de appellat.*

§. V. Saepe tamen evenit ut omnis rejiciatur appellatio, sive quia nimis vaga, et generalis est (1), sive ob personam appellantis, sive ob judicis, qui sententiam tulit, dignitatem, et potestatem, sive ob genus sententiae, sive ob numerum appellationum pluries interpositarum, sive ob indolem, et naturam causae, de qua controversia est. Ergo appellare nequit qui expresse, vel tacite sententiam approbavit, vel legitime citatus sese nolle in judicium venire professus est, atque ita non fictam, sed veram praesetulit contumaciam (2); qui in eadem causa non detulit legitimae appellationi adversarii sui (3); qui pacto cum litigatore convenit, ne cui eorum appellare liceat (4); imo etsi nihil conventum fuerit, si quis ante sententiam professus fuerit, se non provocaturum, provocandi facultatem amisit (5), maxime si id juratus spopondit, nisi nota ac manifesta sit iniquitas, qua sententia infecta est (6). Carent quoque appellationis beneficio insignes latrones, auctoresque turbarum, atque factionum, quos publica utilitas postulat statim debitis plecti poenis (7).

(1) *Cap. 2. et 18. de appellat.*
(2) *L. 23. §. ult. de appellat.*, ibique Glossa. *verb. non recte L. 53. ff. de re judic.*, ibique Glossa *verb. litis damno.*
(3) *Cap. 23. et 42. de appellat.*
(4) *L. ult. §. ult. Cod. de tempor. appellat.*
(5) *L. 1. §. si quis ff. a quib. appell. non lic.*

(6) *Cap.* 20. *et* 21. *de appell.* argum. *cap.* 13. *de cler. non resid.*
(7) *L. constitutiones* 16. *ff. de appell.*

§. VI. Ut non omnibus, ita neque ab omnibus judicibus appellare permittitur. Principio nefas est appellare a Principe, quod etiam monere stultum esse inquit Ulpianus, cum ipse sit qui provocatur (1). Quod si a Principe datus sit judex, ut ipse ejus loco omnem controversiam expediat, ab eo uti ab ipso Principe, fas non est appellare (2). Id vero de sententia quam Principes tulit re ab se ipso cognita et expensa intelligendum est, non de rescripto, in quo ipse rem ita accipit, ut proponitur, ac tantum respondet, quid in proposito faciendum videatur (3).

(1) *L.* 1. *ff. a quib. appell. non licet.*
(2) *L.* 1. §. *ult. ff. eod.*
(3) *L.* 1. §. 1. *ff. de appell.*

§. VII. Jus hoc, quo fruitur Princeps, ut ipse ab omnibus appelletur, ab ejus autem judicio appellare liceat nemini, annexum est summae potestati, quam ipse habet in totam Rempublicam, atque in omnes, qui ea continentur. Quare ipse in cunctis negociis, quae ad civilem Rempublicam pertinent, ab omnibus appellatur, ipseque infirmat, aut confirmat aliorum sententias, ab ejus autem judicio, quod supremum est, appellare non licet subditis, quos parere decet, non obsistere imperio summae potestatis, cui subjecti sunt (1). Hoc autem jus appellationis non solum pars est intima ejusdem potestatis, sed etiam est necessaria pars officii, quo tenetur quisquis rempublicam cum imperio regit, qui in ejus custodia tamquam in specula collocatus, omnia circumspicere, atque observare debet, quemadmodum se unusquisque gerat in judiciis exercendis (3).

(1) Vide Montesquieum *Esprit des loix liv.* 28. *chap.* 27
(2) Confer Grotium *de jur. belli et pacis lib.* 2. *cap* 4. §. 17. et Heineccium *Jur. natur. et gent. lib.* 2. *cap.* 8. §. 157. *tom.* 8. *pag.* 213. *edit. Neapol. cit.*
(3) Videndus Puffendorfius *de jur natur et gent. lib.* 7. *cap.* 9. *et* Heineccius *loc. cit.* §. 150. *et seq. pag.* 210. *et seq.*

§. VIII. Quod jure gentium Summo Reipublicae Moderatori concessum, id jure Divino datum est Summo Pontifici, quem

Christus universae Ecclesiae tum dignitate, tum potestate praefecit. Itaque ut in re civili omnium appellationes ad Principem deferuntur, neque ab ejus judicio appellare fas est, ita in rebus Ecclesiae omnium appellationes ad Summum Pontificem deferendae sunt, nec quod ab eo constitutum, ac definitum est, inferiorum judicio subjectum esse potest. Pari modo quemadmodum rei civilis omnis cura, et solicitudo est Principis, qui Reipublicae praeest, ita rerum ecclesiasticarum gubernatio pertinet ad Summum Pontificem, qui toti Ecclesiae praepositus est, et uterque in sua provincia curare diligenter debet, ut rite, ac recte judicia exerceantur. Eo jure, et officio uterque recepit appellationes subditorum (unusquisque in sua republica, cujus discreti sunt fines (1).) Principes in rebus civilibus, Summus Pontifex in rebus ecclesiasticis; eorumque sententia ita firma, et sancta esse debet, ut ab ea provocari non possit. Nos de appellationibus ad Sedem Apostolicam fusius agendum putavimus peculiari dissertatione, quam in fine hujus libri describemus, et qua omnia refutavimus, quae ab invidis ejusdem Sedis vituperatoribus contra hoc jus certum, et contestatum proponi solent (2).

(1) Confer quae scripsimus *in Prolegomenis cap.* 8. *tom.* 1. *pag.* 145. *seqq. et cap.* 12. *pag.* 233.
(2) Vide interim quae tradita sunt *in Institutionibus juris Canonici lib.* 3. *tit.* 15. §. 18. *seqq. pag.* 203. *seqq.*

§. IX. Sed et genus sententiae impedimento est, quominus appellatio recipiatur. Jus Romanum ab ea tantum sententia appellari posse decrevit, quae liti finem imponit, quaeque idcirco definitiva appellatur (1). Itaque ab interloquutione appellare vetat ante eventum ejus sententiae, nisi judex id fieri jubeat, cujus facti damnum, aut injuria sententia definitiva sarciri non potest; veluti si quaestionem in civili negocio habendam judex interloquutus sit, vel in criminali, si contra leges hoc faciat (2). Antiqui canones tum a sententia definitiva, tum ab interloquutione appellationem permittebant (3); verum Tridentini Patres recte animadvertentes, saepe ad vexandos longa mora, et tergiversatione litigatores appellationes ab interloquutionibus interponi, sapienter decreverunt, ut hujusmodi appellationes recipiantur tantum, cum interloquutio vim habet sen-

tentiae definitivae, aut cum magnum ex ea natum est detrimentum, quod per appellationem a sententia definitiva removeri non potest (4).

(1) *L. 7. Cod. quor. appell. non recip., L. 7. et 40. ff. de minor.*
(2) *L. 2. ff. de appell. recip.*
(3) *Cap. 9. 15. 20. de appellat., Cap. 1. eod. in 6.*
(4) Concilium Tridentinum *sess. 13. Cap. 1. et sess. 24. cap. 20. de reform.*

§. X. Non eadem est ratio appellationis; quae ab interloquutione, quaeque a definitiva sententia interponitur. Haec nimirum suspendit jurisdictionem judicis, a quo appellatum est (1); contra illa eam integram relinquit, modo non habeat vim definitivae, aut magnum afferat detrimentum sarciri nescium per sententiam, aut inferior judex ratam habuerit appellationem, aut superior dederit inhibitionis literas (2); quas minime dat, nisi primum appellationis causam justam agnoverit (3). Imo omnis expirat appellandi facultas, si ipse Judex inferior damnum a se illatum simplici interloqutione corrigat (4).

(1) *L. 3. Cod. de appellat., Cap. 7. eod. in 6.*
(2) *Cap. 10. de appellat.. Cap. 5. et 7. eod. in 6., Cap. 2. de dol. et contumac. in 6.*
(3) *Cap. 3. et 7. de appellat. in 6.*
(4) *Cap. 60. de appellat.*

§. XI. Rursus appellatio ab interloqutione scripto mandatur, in quo appellationis causa exprimenda est (1). Cum enim judex definitivam sententiam mutare non possit (2), interloqutionem possit (3); significanda est causa, propter quam haec possit, ac debeat emendari. Contra si a definitiva sententia illico appelletur (4), etiam viva voce appellatur (5); quamquam libello opus sit, cum ex intervallo emittitur appellatio (6), neque necesse est appellationis causas exprimere (7). Denique cum a definitiva sententia fit appellatio, qui eam interponit novis uti potest probationibus, causasque etiam non expressas judicio persequi (8); sed qui appellat ab interlocutoria non alias persequitur causas, quam quae nominatim expressae sunt, neque novis utitur probationibus (9).

(1) *Cap.* 1. *et* 9. *de appell. in* 6.
(2) *L.* 55. *ff. de re judic.*
(3) *Cap.* 60. *de appell.*
(4) *L.* 14. *Cod. de appell.*, *L.* 2. *ff. eod.*
(5) *Satis erit si dicatur appello scriptum est in cit. L.* 2.
(6) *L.* 1. §. *ult. ff. de appell.*
(7) *L.* 2. *ff. eod.*
(8) *L.* 4. *Cod. de temp. et repar. appellat.*
(9) *Clement.* 5. *de appellat.*

§. XII. Huc etiam referri videtur posse executor sententiae, a quo appellare non licet, quoniam ita postulat publicae utilitatis ratio, ut quae judicata sunt celerem exitum consequantur (1). Quod adeo verum est, ut ne a suspecto quidem executore appellatio concedatur (2): nisi quis dicat, male executorem sententiam interpretari (3). Male autem interpretari censetur qui modum excedit, quem retinere oportebat (4); quod tum in re civili, tum in re criminali observandum est. Sunt enim hodie poenae fere extraordinariae. Si legitimae essent, ut quae legibus publicarum quaestionum constitutae sunt, nullus a poena esset appellationi locus, quoniam hoc modo a lege appellaretur, quod non licet (5). Nunc cum sint extraordinariae, et arbitrariae, aequum est, ut cum modus in executione non est habitus, appellatio concedatur (6).

(1) *L. ab executore* 4. *ff. de appellat.*, *L. ab executione* 5. *Cod. quor. appell. non recip.*
(2) *Cap.* 43. *de appell.*
(3) *L.* 4. §. 1. *ff. de appell.*
(4) *L.* 5. *Cod. quor. appell. non recip.*
(5) *Cap.* 3. *de appell.*
(6) *L. hodie ff. de poen.*

§. XIII. De numero appellationum jure cautum est, ut in eadem lite eadem de re tertio provocare non liceat (1). Si duo judicia dirimere litem nequeunt, tertium controversiae finem imponit. Tres autem concordes sententiae requiruntur. Nam qui bis vicit tertio victus ipse quoque bis appellare potest, atque ita in eadem causa augetur, atque amplificatur numerus appellationum, licet eadem persona bis tantum provocare possit. Verum Urbis nostrae statuto receptum est, ut una tantum fiat appellatio, resque judicata non non

ex tribus, sed ex duabus tantum sententiis efficiatur. Quod idem jure veteri ante Justinianum sancitum erat; sed ipse Justinianus bis appellare permisit, ut novo, eoque repetito judicio vis prioris sententiae expendatur. Jus idem a Clemente III. proponitur (2).

(1) *L. unic. Cod. ne liceat in una ead. caus. tert. provoc.*, *Cap.* 39. *et* 65. *de appell.*
(2) *Cap* 39. *cit.*

§. XIV. Plures quoque sunt causae, a quibus omne abest appellationis beneficium, quoniam eas remorari non decet judicio, et disceptatione longiori. Hujus generis sunt causae modicae summae, in quo spectare oportet populorum mores, et consuetudines, ut pateat, quae modica summa dici, haberique debeat (1), de praestandis alimentis, de restitutione spolii, ac momentanea possessione (2), de aperiendo testamento (3), de notoriis, gravibusve criminibus laesae majestatis, falsae monetae, haeresis, ac similibus, item causae executivae, quae ex populorum moribus, et legibus privilegium habent paratae executionis, quae actae sunt cum clausula *appellatione remota* (4), aut ab arbitris ex compromisso. Idem sit judicium de sententia, qua irrogatae sunt censurae (5); de exequutione canonica electionis (6), de pensionibus ecclesiasticis, de decretis, quae pertinent ad ecclesiasticam disciplinam, morumque emendationem (7), nisi praeter modum res gesta sit, de causis, quarum exequutio a Concilio Tridentino cum clausula *appellatione remota* mandata est (8).

(1) Videndus Cornelius Bynkershoek *observ. jur. Roman. lib.* 5. *cap.* 4. *opp. tom.* 2. *pag.* 17. *seq. edit. Lugdun. Batav.* 1750.
(2) *L. un. Cod. si de moment. possess. fuer. appell.*
(3) *L. ult. ff. de appell. recip.*, *L.* 6. *Cod. quor. appell. non recip.*
(4) *Cap.* 53. *et* 71. *de appell.*, *Cap.* 1. *de rescript.*, *Cap.* 15. *de offic. et potest. jud. delegat.*
(5) *Cap.* 37. *de appell.*, *Cap.* 20. *de senten. excom.*
(6) *Cap.* 46. *de appellat.*
(7) *Cap.* 3. *de appell.*
(8) Vide quae scripta sunt *in Justit. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 6. §. 3. *pag.* 325. de appellationibus ab Episcopi judicio in beneficiis coram animarum annexam habentibus, quae per concursum collata sunt.

§. XV. Nulla quoque apud nos appellatio conceditur in

causis de menstrua, diurnave mercede, de alimentis futuris, de restituendo deposito, de facienda solutione, quam quis syngrapha se facturum permisit (1) pro totidem acceptis, de oneribus cameralibus, vel communitatis, de canonibus, pensionibusque domus, de obligationibus cameralibus, ceteris demum, quae a Benedicto XIV. expressae sunt (2).

(1) Hae sunt syngraphae, quas vulgo appellamus *pagarò per altrettanti.*

(2) Confer Benedictum XIV. *Constit. Romanae Curiae* 115. §. 10. *et seq. tom.* 1 *ejus Bullarii pag.* 287. *edit. Romae* 1754.

§. XVI. Verum de concedendis, negandisve suspensivis appellationibus digna in primis memoratu est Constitutio *ad Militantis* Benedicti XIV., qua plures recensentur causae, quibus suspensiva appellatio concedenda non est. Huc spectant decreta, quorum exequutio a Concilio Tridentino commissa est locorum Ordinariis, etiam uti Sedis Apostolicae delegatis, omni remota appellatione, vel inhibitione; quae pertinent ad divinum cultum, praesertim ad Missam celebrandam, atque ad curam animarum, et sacramentorum administrationem, aliaque parochialia munera; quibus saeculares, et regulares clerici publicis supplicationibus interesse jubentur; quae vicarios etiam perpetuos constituunt in Ecclesiis parochialibus, eisque congruam attribuunt; quae spectant ad earumdem Ecclesiarum visitationem, et reparationem, curamque animarum; ad cogendos Rectores earum Ecclesiarum, ut vocent in partem officii alios Sacerdotes, qui cum multus est populus, ejusque pars longe distat, praesto sint omnibus in administrandi sacramentis; ad unienda, cum licet, simplicia beneficia Parochiae valde pauperi; ad eligendum vicarium, seu coadjutorem in Ecclesiis parochialibus, in quibus Parochus propter imperitiam, suspensionem, pravosque mores ad suum munus gerendum aptus, et idoneus non est; ad transferenda simplicia beneficia, etiam jurispatronatus ex Ecclesiis collapsis, quae ob inopiam reparari nequeunt, ad matrices, aliasve Ecclesias cum omnibus emolumentis, et oneribus.

§. XVII. Eodem in numero sunt decreta de censuris, sequestratione, et subtractione fructuum contra non residentes,

qui habent curam animarum; de facultate audiendi confessiones saecularium denegata Sacerdotibus non Parochis, etiam regularibus, eave ademta, suspensa, cohibita; de electione oeconomi, qui vacuam Ecclesiam parochialem tempore administret; de clausura monialium; de pastorali visitatione; de rejectis a sacris ordinibus clericis ob occultum crimen, sive ex informata conscientia, iisdemve suspensis; de executione piarum voluntatem; de censuris inflictis contra eos, qui concubinas habent, aut suspectarum mulierum consuetudine utuntur; de ademto fori privilegio iis, qui legibus ea de re dictis a Concilio Tridentino non obtemperant; de reddenda ratione administrationis gestae ab oeconomo, et vicario capitulari, dum vacuae erat Sedes Episcopalis. Cuncta haec, aliaque non pauca accurate describuntur in Benedicti constitutione, cujus paulo ante facta mentio est, quam consulere oportet omnes, qui totum hoc argumentum plene exploratum habere cupiunt (1).

(1) Confer Benedicti XIV. constitutionem *ad militantis Ecclesiae* 48, *in ejus Bullario tom.* 1. *pag.* 81. *edit. Romae* 1754. Videndi sunt etiam Remigius Maschat *Inst. Canon. lib.* 2, *tit.* 28, *tom.* 2. *pag.* 807. *sqq. edit. Romae* 1757., et Carolus Gagliardus *Instit. jur. canon. lib.* 3. *tit.* 17, §. 15. *sqq. tom.* 3. *pag.* 485. *edit. Neapol.* 1768.

§. XVIII. Post latam sententiam emittenda est appellatio, nam autem frustra provocatur (1). Qua in re observanda sunt tempora a lege constituta pro interponenda, et pro exercenda appellatione; quae tempora *fatalia* dicuntur, quoniam causae mortem, et interitum afferunt (2). Primum tempus est interponendae appellationis, quae fit, uti diximus, vel viva voce, si quis statim post latam sententiam dixerit *appello* (3); vel libello, et haec quidem si fiat in propria causa, intra biduum, si in aliena, intra triduum facienda est (4). Sed postea Justinianus cuivis, qui appellare vellet, decem dierum spatium concessit (5). Justinianeum jus probatum est Innocentio III. (6), idque tum in judiciali, tum in extrajudiciali appellatione observandum esse Bonifacius VIII. decrevit (7). Hoc tempus in sententia numeratur a die, quo ea lata est, in aliis actibus ab ipso actu, unde appelletur (8). Quod sane verum est, si adversus praesentem fuerit pronunciatum. Nam si adversus absentem, hujus temporis initum

sumitur non a die, quo res gesta est, sed a die, quo quis rei factus est certior (9).

(1) *L. cos 6. Cod. de appell.*

(2) Fatalis dies etiam temporalis dicitur *in L. 32. Cod. de appell.*, de quo videndus Cujacius *observ. lib. 12. cap. 4. opp. tom. 3. col. 307. edit. cit.* Fatalium autem dierum mentio est *in d. L. 32. Cod. de appellat.*, et *in L. 32. et ult. Cod. de temp. et repar. appellat.* Nomen hoc fatalium dierum recentius putat Bodinus *de Republ. lib. 2. cap. 6. num. 324.*, eosque potius statum tempus, statos dies appellandos contendit, atque errorem ex eo repetit, quod qui leges Codicis, et Novellarum in latinum sermonem verterunt pro ὡρίας ἡμέρας legerunt χωρίας; sed Bodinum solide refellit Cujacius *ad tit. 63. Cod. L. 7. opp. tom. 9. col. 1014.*, ubi placitorum habes doctissimi viri de hoc homine judicium. Videndus est etiam Du-Cangius *Glossar. verb. fatalia*, ubi alia hujus vocabuli monumenta referuntur.

(3) *L. 14. Cod. de appellat.*

(4) *L. 1. §. 6. 11.*, et *L. 2. ff. quand. appellat.*, *L. 6. §. ult. Cod. de appellat.*

(5) *Novell. 23. cap. 1. Auth. hodie Cod. de appellat.*

(6) *Cap. 15. de senten. et re judic.*

(7) *Cap. 8. de appell. in 6.*

(8) *L. 1. §. biduum*, et *§. 8. quod in sententiis ff. quand. appellat.*

(9) *L. 1. cit. §. ult.*, et *Cap. 8. de appellat. in 6.*, ubi cum dicat Bonifacius *infra decem dies postquam sciverit*, manifestum est, quod recte vulgo dicitur, appellationis interponendae tempus initio utile, postea continuum esse.

§. XIX. Appellatione interposita petendae sunt ab eo, qui appellat, dandaeque a judice, qui appellatur; literae ad eum, qui de appellatione cogniturus est (1). Vocantur hae literae Apostoli a graeco verbo ἀποστέλλω, latine *dimitto*, quoniam per eas literas causa dimittitur ad judicem, qui appellatus est (2). Harum literarum multiplex nomen, et ratio est. Nam dimissoriae vocantur, cum appellationem admissam fuisse confirmant, reverentiales, cum id factum est ob reverentiam superioris, non quod causa appellationis beneficium postulare videatur, refutatoriae, cum appellationem rejectam ostendunt. Saepe evenit, ut judex non bene intelligat, concedenda ne sit appellatio, et tunc concedit testimoniales, quae vim accipiunt a jure, ideoque vel suspendunt, vel minime retardant causae cursum, prout ea vel erat, vel non erat appellationis beneficio digna. Saepe etiam de appellatione inter litigatores convenit, et hi dicuntur apostoli conventionales.

(1) Verba haec sunt Marciani *in L. un. ff. de libell. dimis.*, eaque

descripsit Gratianus in Decreto *can.* 31. *c.* 2. *q.* 6. Tum ipse Gratianus formulam proponit Apostolorum his verbis : » Ego ille S. Bononiensis Ec» clesiae Episcopus te Presbyterum Rolandum Capellanum S. Apollinaris » ad Apostolicam Sedem, quam appellasti, ab observatione mei judicii his » apostolis dimitto. »

(2) *L.* 106. *ff. de verb. signific.* Socrates *Histor. Eccles. lib.* 2. *cap.* 40. *pag.* 133. *edit. Taurini* 1747. scribit, Cyrillum Hierosolymitanum Episcopali judicio damnatum aetate Constantini primum appellatoriis libellis usum fuisse. At in Decreto Gratiani *can. synodum dist.* 17. decretum extat Marcelli Pontificis conceptum his verbis : » si saeculares in publicis judiciis » utuntur libellis appellatoriis, quanto magis Sacerdotibus haec eadem agere » licet, qui super illos sunt. » Certe hoc decretum Marcello Pontifici tribui non potest, sed Isidori mercibus annumerandum est. Verum ex Socratis testimonio intelligimus, morem illum adhibendi libellos appellatorios in judiciis ecclesiasticis iuventum non fuisse Isidori, sed ante ejus aetatem usurpatum fuisse. Isidorus Marcello adscripsit, quod ejus revera non fuerat; sed sua jam aetate obtinebat.

§. XX. Jure veteri petebantur, et dabantur Apostoli intra dies quinque post emissam appellationem (1); novo autem jure intra dies triginta petuntur, et a judice, a quo provocatur, petenti exhibendi sunt (2). Petendi sunt *instanter, et saepius*, ne quis appellationem deseruisse videatur (3); atque etiam non petiti dandi sunt a judice (4). Qui si eosdem dare noluerit, atque in causa processerit, quidquid ab eo gestum est ab appellationis judice infirmatur (5). Tempus illud triginta dierum a judice contrahi potest, produci non potest (6), ac scienti currit a die latae sententiae, ignoranti a die, quo eam novit (7). Qui hoc spatium temporis jure constituti inutiliter labi passus est, sese abdicasse censetur beneficio appellationis, eaque est praesumptio juris, et de jure, quae omnem respuit contrariam probationem (8); nisi hae literae ob justum impedimentum peti nequiverint, vel culpa judicis datae non fuerint. Aliquando tamen apostolorum loco appellanti traduntur acta judiciali sigillo obsignata, eaque satis sunt, ne fatalia petendi apostolos elapsa censeantur (9). Sed nunc fere nullus in foro est apostolorum usus (10), ac per libellum appellationis intra decendium in actis exhibitum appellatio interponitur.

(1) Paulus *recept. sent. lib.* 5. *tit.* 34. §. 1. apud Schultingium *loc. cit. pag.* 533., quem Pauli locum descripsit Gratianus *can.* 24. *c.* 2. *qu.* 6.

(2) *L.* 24. *Cod. de appellat. Cap.*, 6. *eod. in* 6. Verba illa *ex die sententiae*, quo occurrunt *in cit. L.* 24., forte a Triboniano addita sunt, certe non extant *in L.* 32. *Cod. Theodos. de appellat.*, unde *L.* 24. sum-

pta est. Eodem tamen modo tempus illud aestimatur in *L.* 29. *Cod. Teodos. eod.* Atque ea quidem verba *ex die sententiae* multi ita accipiunt, quasi scriptum sit *a die scientiae latae sententiae*, quae opinio magis videtur accedere ad veritatem. Vide-sis Schultingium *in Paulum loc. cit.*, et Cujacium *in* L. 5. *Cod. de appellat. opp. tom.* 9. *col.* 1036. *edit. cit.*

(3) *Cap.* 6. *de appellat. in* 6.; *Clement.* 2. *eod.*

(4) *L.* 6. §. *ult. Cod. de appellat.*

(5) *Cap.* 4. *de appellat. in.* 6.

(6) *Cap.* 5. *de appellat.*

(7) *L.* 24. *Cod. de appellat.*

(8) *Clement.* 2. *de appellat.* Eum, qui idoneo tempore apostolos non petiit, praescriptione repelli vult Paulus *loc. cit.*, atque haec causa est, propter quam Modestinus in libro singulari *de praescriptionibus* egerit de Apostolis *L.* 106. *ff. de verb. signific.* Praescriptione ab agendo tantum a Paulo *loc. cit* removetur, qui statuto temporis spatio apostolos non petiit, accepit, reddidit, sed in libris quibusdam postremo additur *et poenam appellationis inferre cogitur*, quae verba Gratianus etiam descripsit *in cit. can.* 24. *c.* 2. *q.* 6. Sed Cujacius *in Paulum loc. cit. opp. tom.* 1. *col.* 461. *ed cit.*, et Schultingius *eod. loc.* hanc lectionem improbant.

(9) *L.* 2. *Cod. de edendo.*

(10) Consule Voetum *in Pandect. lib.* 49. *tit.* 6. *num.* 2.

§. XXI. Impetratis apostolis, qui superiorem judicem appellavit, ei se sistere praesentem debet, eique apostolos tradere, quod Jure civili non ubique fit eodem temporis intervallo, cum varii, dissimilesque ea de re sint populorum mores, et consuetudines (1). Varium hoc jus gentium moribus servari vix potuit; nihil autem certi de eo tempore Decretales constituerunt. Itaque totum est in potestate judicis, a quo provocatur (2); multisque in locis hoc tempus municipali lege definitum est. Exhibitis vero apostolis judici superiori appellans instat, ut appellatio recipiatur, adversarius ad certum terminum citetur, inhibeaturque judex, a quo provocatum est (3). Denique prosequendi, ac finiendi appellationem tempus est annus unus, atque etiam alter ex justa causa (4). In quo jus canonicum cum civili consentit. At unde hujus temporis initium ex jure civili sumendum sit, non bene compertum est; sed jus canonicum hoc principium repetit ab interposita appellatione (5), quod etiam civilis fori usu receptum est.

(1) *L.* 1. 2. *et ult. de tempor. appell.*

(2) *Cap.* 5. *et* 33. *de appell.*, *Clem.* 4. *eod.*

(3) Per simplices citationes typis Camerae impressas, quae vulgo camerales dicuntur, quamquam a nullo Romanae Curiae judice subscriptae sint, inhibitionem fieri statuit Benedictus XIV. *Constit. Romanae Curiae* 115. §. 5. *tom* 1. *ejus Bullarii pag.* 285. *edit. cit.*

(4) *Auth. ei qui et L. ult. §. 4. Cod. de tempore appell., Clem. 3. eod.*

(5) *Cap. 8. de appell. et Clem. 3. cit.*

§. XXII. Nostris moribus intra biennium appellationis negocium expediendum est. Primo anno causa committitur judici, quem quis appellavit, altero *transportanda* sunt acta, ut pragmatici loquuntur, nimirum exemplum actorum, et documentorum, quae priori judicio gesta, dataque sunt, exhibendum est coram altero judice, ad quem postremo itum est. Qui intra primum annum alteri judici causam committere neglexit, is ne alterius quidem anni beneficium habet pro exhibendis actis; verum id praestare debet intra tempus a judice constitutum. Quare videndum est, ut suo anno utrumque fiat, quique id ob justam causam praestare non potest, ampliandi facultatem a judice petit, antequam definitum tempus elabatur.

§. XXIII. Appellatio legitime interposita (1) jurisdictionem suspendit judicis inferioris, causamque defert ad superiorem, ad quem provocatum est (2). Itaque, dum appellatio pendet, nihil interim inferior judex in causa agere potest, et si quid actum fuerit, praesto est remedium *attentati, seu attentatorum*, quo abrogantur omnia, quae pendente appellatione innovata, vel post sententiam intra decendium acta sunt (3). At cum haec suspensio sententiae, ejusque executionis in causis quibusdam, quae habere debent exitum celeriorem, minus congruens, et apta videretur ad rectum ordinem rerum, merito receptum est, ut sententiis quibusdam suspensiva vis adimatur; propterea saepe fit, ut sententia exitum interim consequatur, posteaque per appellationem causa deferri debeat ad superiorem, qui appellatus est. Tunc autem sententiae non *suspensivum*, sed *devolutivum* effectum habere dicuntur.

(1) Non recipiuntur autem appellationes, neque per eas conceduntur inhibitiones, nisi primum constiterit, intra legitima tempora, atque a legitima persona, item a definitiva, vel habente vim definitivae, vel gravamine, quod per definitivam removeri non possit, appellatum fuisse, idque patere debet ex publicis monumentis, quae in actis exhibentur. Confer Benedictum XIV. *Constit. ad militantis.* 48. §. 43. *pag.* 86. *tom.* 1. *ejus Bullarii.*

(2) *L.* 32. §. 4. *Cod. de appell.*, *Cap.* 55. *eod.*

(3) *L. un. ff. nihil innovar. appell. interpos.*, *Cap.* 7. *de appell. in* 6.

§. XXIV. Qui damnum in judicio passus est, aut se passurum timet non tantum appellationis, sed etiam recusationis, ac relationis praesidio munitur. Tria haec Raymundus uno titulo, quo nullus est longior in hoc secundo Decretalium libro, complexus est; quoniam omnes sunt exceptiones, quae contra sententiam vel latam, vel serius ocius ferendam proponuntur. In hoc sane conveniunt haec tria, sed in multis valde differunt. Recusatio est judicis suspecti declinatio, quae ex probata suspicionis causa litigatori conceditur. Talis erat vetus ejeratio judicis, quae olim solemnibus verbis publice fiebat (1). Convenit cum appellatione, quod quis a jurisdictione, et foro judicis per utramque recedit; differt, quod appellatio fit a judice, qui damni causam dedit, ad superiorem, ac regulariter post sententiam; contra recusatio fit initio ante litem contestatam, nisi postea recusandi causa exoriatur, fit a judice, qui damnum non attulit, neque fit ad superiorem. Et licet a Vicario generali ad Episcopum appellari non possit, tamen recte coram hoc ille recusatur (2).

(1) Cicero *de oratore lib. 2. num. 70. opp. tom. 1. pag. 289. edit. Oliveti Genevae 1743. P. Mucium*, inquit, judicem *ejero, iniquus est*, et *Philippic. 12. num 7. tom. 6. pag. 537. sic me*, inquit, *iniquum ejurabant.*

(2) *Cap. 4. de offc. delegat.*

§. XXV. Recusatio dilatoria exceptio est, ideoque, ut plurimum, ante litem contestatam intra 20. ab oblato libello dies (1), eaque non viva voce, sed in libello recusatorio, causaque suspicionis, et recusationis expressa proponenda est (2). Justa autem causa censetur, quae a jure approbatur, uti est inimicitia (3), peculiaris animi affectio erga alterum ex litigantibus propter consanguinitatem, affinitatem, familiaritatem (4); aut specialis affectio erga causam, ut si judex similem causam habet, aut in ea defensoris partes sustinuit, aut ex ea commodum, et utilitatem se consequuturum sperat; si judex cum recusante litem habet, si ille minas jactavit, aut formidines opposuit, aut injuriam, damnumve intulit. His de causis recusari potest non tantum delegatus etiam Principis, sed et ordinarius judex (5).

(1) *Cap. 20. de senten. et re judic., L. 16. Cod. de judic.*
(2) *Cap. 41. in fin. et Cap. 61. de appellat.*

(3) *L.* 9. *ff. de liber. caus.*
(4) *Cap.* 4. *ut lit. non contest.*, *Cap.* 17. 25. 35. *de offic. delegat.*
(5) *Cap.* 41. *et* 61. *de appellat.*, *Cap.* 10. *de for. compet.*

§. XXVI. Causa dubia suspicionis cognoscenda, et definienda est a duobus, tribusve arbitris, quos litigatores mutuo consensu elegerunt, et hi quidem si se diligenter expensa pronunciaverint, nullam esse justam causam suspicionis, judex in incaepto judicio progredietur; si vero justam agnoverint recusationis causam, judex cum consensu recusantis causam committet, vel eam deferet ad superiorem (1). Non enim ipse post electos arbitros pristinam in eo negocio exercere jurisdictionem potest.

(1) *Cap.* 41. §. *tertio*, *et Cap.* 61. *de appellat.*

§. XXVII. De judicum recusationibus pro ditione ecclesiastica multa sunt a Benedicto XIV. sapienter constituta (1). Scilicet his recusationibus non est locus „ in causis executivis de„ positi, et futurorum alimentorum; in causis designatis per „ decreta edita a Congregatione Reformationis tribunalium ur„ bis die 4. Aprilis 1731. „ videlicet pro schedulis vulgo *pagarò per altrettanti*, literis cambii jam acceptatis, mercede, pensionibus domorum, et solutione canonum; „ in causis non „ excedentibus valorem scutorum vigintiquinque. In ceteris „ causis tam exequutivis, quam ordinariis, et in quacumque „ instantia (exceptis dumtaxat causis commissariis) unica per„ mittitur recusatio judicis absque allegatione causae suspicio„ nis intra tres dies numerandos a die reproductionis monito„ rii, seu libelli, vel citationis ad dicendum contra jura: ce„ terae autem recusationes amplius non admittantur, nisi ser„ vata dispositione juris communis, ac proinde citationes etc. „ nisi in iisdem certa, atque justa causa suspicionis exprima„ tur. Quoad ulteriores recusationes impune sperni possunt „.

(1) Benedictus XIV. *Constit. Romanae Curiae* 115. *in ejus Bullar. tom.* 1. *pag.* 285. *edit. Romae* 1754.

§. XXVIII. Denique hoc titulo Raymundus agit, etiam de relationibus, quarum brevis tractatio est. Scilicet cum difficile est causae judicium, ac judex de jure dubitat, non de fa-

cto, quod declarare non est Principis, de toto negocio refert ad eumdem Principem, ut ejus judicio omnis dubitatio removeatur. Antequam vero haec relatio Principi exhibeatur, debet judex litigatoribus apud acta consultationis exemplum edere, ut omnibus, quos ea res attingit, cuncta explorata, et comperta sint (1). Edita vero relatione judex in ea causa amplius quidquam agere prohibetur, nisi primum judicium Principis innotescat. Sed hodie hujusmodi relationes fere exoleverunt; et earum loco vel Academiae, vel viri juris scientia praestantes consuluntur, ut sententiam suam aperiant.

(1) *Cap. 68. de appellat.*

§. XXIX. Congruit relatio cum appellatione, quod utraque superioris auctoritatem implorat. Discrimen in eo est, quod litigatores post latam sententiam appellationem emittunt, relationem facit judex inferior ad Principem, antequam sententia feratur. Differt etiam a consultatione, quod haec mittitur ad Principem, ut super juris dubio respondeat, non ut causam definiat, licet judicis inferioris sententia a Principis responso abhorrere non debeat; contra relatio totam causam transfert ad Principem, ut ejus judicio expediatur.



# DE CLERICIS PEREGRINANTIBUS

## TITULUS XXIX.

I. Iter ad sedem Apostolicam appellationis loco est.
II. Securitas, et tuitio praestanda est illis, qui hoc iter suscipiunt.
III. Hoc beneficium praestandum est et clericis, et laicis.

§. I.

Non solum verbis, sed etiam facto potest fieri appellatio; ac de altero appellationis genere hoc titulo disputatur. Facto appellat qui ejus rei gratia iter arripit ad Sedem Apostolicam, et huic praestanda est securitas, ut eo quo tendit sine periculo, et impedimento perveniat. Est enim sub patrocinio, et defensione ejusdem Sedis, quam suscepto itinere appellat (1). De his, aut similibus securitatibus lex extat in Codice Theodosiano (2), et hanc quidem tuitionem, seu defensionem Marculfus indicat *mundebordis* nomine (3), quod vocabulum in capitularibus quoque Regum Francorum atque in aliis medii aevi monumentis pluries occurrit (4).

(1) *Cap. unic. de cleric. peregrinan.*
(2) *L. 2, Cod Theodos. de discussor.*
(3) Marculfus *Formul. lib* 1. *Cap.* 24. apud Baluzium *Capitular. Reg. Franc. tom.* 2. *col.* 264. *edit. Venet.* 1773.
(4) Capitularia Caroli M., et Ludovici Pii *lib.* 6. *cap.* 247. *col.* 645. apud Baluzium *Cap. Reg. Franc. tom.* 1. *Capitular. III. an.* 813. *cap.* 13. *ibid. col.* 349. Lex Ripuar 58. *num.* 12. *ibid. tom.* 2. *col.* 944. Multa de Mundeburdo, Munburdo, Mundibrio, Mundiburdio cumulat Du-Cangius *Glossar. med. et infim. Latinit.*

§. II. Hic autem titulus proprie ad eos pertinet, qui litis agendae causa ad Sedem apostolicam proficiscuntur, atque ejus gaudent patrocinio; *ideo circa tuitionem illorum, et re-*

*rum suarum vigilantior cura nobis incumbit*, inquit Innocentius III. (1). *Peregrinantes* dicuntur, ut distinguantur a peregrinis, quos Ivo Carnotensis (2) Sarabaitas, et Girovagos vocat, quosque ipse gravibus verbis insectatur. Horum peregrinatio non ociosa, sed justa, ac necessaria est, eamque Cujacius recte distinguit a peregrinitate, quae Romae jus civium adimebat (3).

(1) Innocentii locum describunt Gonzalez *hoc tit.*, et Cironius *eod. loc.*
(2) Ivo Carnotensis *ep.* 192. *pag.* 82. *opp. par.* 2. *edit. Paris.* 1647.
(3) Cujacius *observ. lib.* 23. *cap.* 26. *opp. tom.* 3. *col.* 633. *et in edit. Pauli lib.* 32. *L.* 65. §. *Labeo. col.* 477. *tom.* 5 *edit. Venet. cit.*

§. III. Et quamquam titulus conceptus sit de clericis peregrinantibus, tamen ejus praescripta attingunt etiam laicos, qui ob beneficium appellationis, vel aliam ob causam peregrinationem suscipiunt ad Sedem Apostolicam; nam omnes eodem patrocinio gaudent, et omnium in tuto negocia sunt, itant nihil interim innovare liceat. Verum ut haec juris disciplina servetur, suscipiendum est iter intra decem dies post latam sententiam, illatumve gravamen, atque hoc iter judici, vel adversario nunciandum est, licet apostoli non petantur, quoniam factum ipsum appellationem demonstrat, et apostolorum loco est (1). Praeterea capiendum est iter ante quam illud susceptur um citatio praeveniat, nam post eam ire oportet ad judicem, qui potest in causa procedere (2); denique sciens rescriptum Apostolicum ab adversario impetratum se se itineri frustra committit (3).

(1) *Cap.* 52. *de appellat.*
(2) *Cap.* 9. *eod.*
(3) *Cap.* 15. *eod.*



# DE CONFIRMATIONE UTILI, VEL INUTILI

## TIUULUS XXX.

I. Quid confirmatio?
II. Confirmatio in forma communi, et in forma speciali.
III. Quando in forma speciali facta censeatur?
IV. Effectus confirmationis.
V. Confirmatio Episcoporum a Sede Apostolica facienda est. Ejus auctoritate, et delegatione Orientales Patriarchae suos Episcopos confirmant.
VI. Occidentales Episcopi omnes a Summo Pontifice confirmandi sunt.
VII. Antequam confirmentur, Ecclesiae administrationem nequeunt suscipere. Decreta Concilii Lateranensis IV., et Lugdunensis II.
VIII. Quibus *dispensative* liceat administrare Ecclesiam ante confirmationem?
IX. Confirmatio Concilii nationalis, et OEcumenici. Concilium Nicaenum I. OEcumenicum.
X. Concilium Constantinopolitanum II. OEcumenicum.
XI. Synodus Ariminensis, quae a Sede Apostolica confirmata non est, numquam oecumenica evasit.
XII. Concilium Ephesinum OEcumenicum.
XIII. et XIV. Primum a Coelestino Summo Pontifice, deinde a Concilio Nestorius condemnatus fuit; atque in hoc de exequendo Coelestini decreto actum fuit.
XV. Concilium Chalcedonense OEcumenicum IV.
XVI. Recentiora Concilia Oecumenica.
XVII Confirmationes supremorum Principum quales sint?

### §. I.

Postremus hic Titulus materiam attingit, de qua supra actum est, de sententiis, appellationibus, et relationibus, cum res ad Sedem Apostolicam vel per appellationem, vel per celationem defertur, ab eaque judicii confirmatio, quam Graeci κατάςασιν vocant, facta est. Confirmationis nomine intelligitur novum juris quaesiti adjumentum Principis auctoritate roboratum. Ea vel utilis est, quae scilicet vim tantam habet, ut rem conficiat, adeo ut judex inferior neque contra eam dicere, neque de ea judicare possit (1); aut inutilis, quae de

jure non valet, ut si per obreptionem, vel subreptionem impetrata fuit (2).

(1) *Cap.* 1. *et* 2. *de confirm. util. vel inutil.*
(2) *Cap.* 3. *et* 5. *eod.*, *Cap.* 20. *de rescript.*

§. II. Est et confirmatio *in forma communi*, seu simplex, atque ordinaria, et *in forma speciali*, sive ex certa scientia. Illa est, qua superior confirmat actum ab inferiore gestum in eo statu, in quo antea fuerat, quoniam hujusmodi confirmatio nullum jus novum tribuit, neque facit ut, quod irritum erat vim accipiat (1). Haud tamen inutilis est haec confirmatio; nam prudens est cautio, et electo administrandi facultatem tribuit. Confirmatio *in forma speciali* est, qua superior re diligenter cognita, et expensa confirmat actum, ut omnino valeat, suumque jus constituat, licet antea minus forte probatus, firmusque haberetur (2). Nam confirmatio ex certa scientia non est mera, simplexque confirmatio, sed potius nova concessio, jurisque novi largitio.

(1) *Cap.* 4. *de confirm. util. vel inutil.*, *Cap.* 5 *de concess. praeben.*
(2) *Cap.* 1 *de transact.*

§. III. In forma speciali censetur facta confirmatio, cum totus in instrumento describitur actus, qui confirmandus est, vel cum rescriptum munitur clausulis *ex certa scientia*, *ex plenitudine potestatis, contraria quacumque dispositione non obstante*, *omnes juris*, *et facti defectus supplentes.* Nam cum ita loquitur Summus Pontifex, omnino credendum est, eum rem totam plane exploratam habuisse, et supra, vel contra jus commune ferre voluisse legem, cui parendum est (1). Excipe, nisi confirmatio attingat actum, qui laborat vitio, quod sanari nequit, vel removeri non solet, aut alteri, qui auditus non fuit, damnum affert, aut sit de rebus, quas Princeps facile ignorat, nisi de his facta fuerit expressa mentio. Fit autem in forma communi confirmatio, cum in ea minime declaratur, quod res antea cognita, et perspecta fuit diligenter, neque ulla adjuncta est clausula *ex certa scientia*, aut similis. Cum dubia res est potius *in forma communi*, quam *in forma speciali* facta censetur, quoniam haec

extraordinaria est, quae nisi perspicua sit, praesumi non debet.

(1) *Cap. 8. de confirm. util. vel inutil.*

§. IV. Qualiscumque sit confirmatio, sive communis, sive specialis, judex inferior de confirmatione Sedis Apostolicae sine ejus peculiari mandato directe judicare non potest (1). Nam cum Pontifex actum confirmavit, totum sibi adjudicavit negocium, neque alicui licet quidquam arripere potestatis, et jurisdictionis in ea, quae Summi pontificis judicio servata sunt. Non ideo tamen judex inferior cognoscere prohibetur, num aliquod in Apostolico rescripto insit vitium obreptionis, et subreptionis (2), num quis ad illud obtinendum aptus, et idoneus esse possit (3).

(1) *Cap. 1. et 2. de confirm. util. vel inutil.*
(2) *Cap. 2. eod., Cap. 5. de in integr. restit.*
(3) *Cap. 5. et 6. de confirm. util. vel inutil. Cap. 20. de rescrip.*

§. V. Transactiones de rebus ecclesiasticis, atque etiam jura, et privilegia Ecclesiarum, Regularium, plorumque locorum Apostolica auctoritate confirmantur, et in his eadem, quam supra indicavimus, distinctio confirmationis *in forma communi*, et *in forma speciali* retinenda est. Sed in primis Summi Pontificis propria est confirmatio Episcoporum. Quod sane jus annexum est Primatui Summi pontificis oriturque ex ipsa ejus natura, quae in totam Ecclesiam suam explicat potestatem, ex officio Primatis, qui cum totius Ecclesiae administrationi sit praepositus, videre debet, ut qui particulares Ecclesias regunt tam gravi munere digni habeantur: ex officio item eorum, qui his particularibus Ecclesiis praeficiuntur, a quibus demonstranda est omnibus cum unitatis centro communio, et societas. Ut ut ordinis potestas a Christo immediate repetatur, quod Patres Tridentini definire noluerunt (1), certe potestas jurisdictionis, quae pendent ex subditorum assignatione, quaeque angustior, latiorve est, uti minor majorve est numerus subditorum, Summi Pontificis auctoritata conceditur. Ut Ecclesiarum utilitati consulerent, et commodo studerent eorum, qui cum a Sede Apostolica confirman-

di essent, longum, ac periculosum iter suscipere debebant, Romani Pontifices Patriarchi Orientalibus Metropolitas, ipsis vero Metropolitis facultatem dederunt confirmandi suos Episcopos; sed primum Patriarchae ab eadem Sede confirmationem accipere debent, atque ita omnum confirmatio ex Apostolicae Sedis auctoritate procedit. Sic Nectarius Constantinopolitanus Episcopus a Damaso (2), Anatolius item Constantinopolitanus (3), et Maximus Antiochenus (4) a Leone confirmati sunt. Joannes Talaja Alexandrinus Episcopus confirmatus quoque est a Simplicio; qui postea re diligentius cognita sententiam suam abrogavit (5). Similiter Flavita Constantinopolitanus a Felice (6), Mennas item Constantinopolitanus ab Agapeto (7) acceperunt confirmationem. Eamdemque potestatem confirmandi orientales Patriarchas medio saeculo XI. Romanum Pontificem exercuisse constat ex literis a Leone IX. datis ad Petrum, qui Antiochenae Ecclesiae Episcopus nominatus fuerat. Scribit enim haec: „ Mea humilitas „ in culmine Apostolici throni, ideo exaltata, ut approbanda „ approbet, improbanda quoque improbet, tuae sanctissimae „ fraternitatis episcopalem promotionem libens approbat, col„ laudat, et confirmat (8).

(1) Confer Pallavicinium *Histor. Concil. Trident. lib.* 18. *cap.* 14. *et* 15., *et lib.* 21. *cap.* 14. *pag.* 199. *et seq. et* 559. *par.* 3. *edit. Antuerp.* 1770.

(2) Bonifacius I. *ep.* 15. *ad Rufum* apud Coustantium *epist. Roman. Pontif. col.* 1043. „ Clementissimae, *inquit*, recordationis Princeps Theo„ dosius Nectarii ordinationem, propterea quia in nostra notione non es„ set, habere non existimans firmitatem, missis e latere suo aulicis cum „ Episcopis firmitatem hanc a Sede Romana dirigi regulariter depoposcit, „ quae ejus Sacerdotium roboraret. „

(3) Leo M. *ep.* 104. *cap.* 2. *col.* 1147. *edit. Ballerin.* „ Nos enim, „ *inquit*, vestrae fidei interventionis habentes intuitum, cum secundum „ suae consecrationis auctores ejus initia titubarent, benigniores erga ipsum „ quam justiores esse voluimus, quo perturbationes omnes, quae operante „ diabolo fuerant excitatae, adhibitis remediis leniremus . . . . Satis sit „ praedicto, quod vestrae pietatis auxilio, et mei favoris assensu Episco„ patum tantae Urbis obtinuit. „

(4) Concilium Chalcedonense *act.* 10. *tom.* 3. *col.* 1599. *Concil. collect. Labbaei* „ S. Leo, *inquit.* Episcopatum sancti, ac venerabilis Maximi „ Episcopi Antiochenae Ecclesiae confirmavit. „

(5) Simplicius P. *ep.* 17. apud Labbaeum *tom.* 5. *Concil. col.* 113.

(6) Flavita in Constantinopolitana Ecclesia Acacio successor datus synodicam ad Sedem Apostolicam de more misit epistolam; ut ab ea confirmationem obtineret, *per quam*, inquit Felix III. Pontifex *ep.* 13. apud eum-

dem Labbaeum *tom.* 5. *Concil. col.* 210. *largiente Christo solidatur dignitas Sacerdotum.*

(7) Liberatus in *Breviar. cap.* 21. *ibid. tom.* 6. *Concil. Col.* 454. rem narrat his verbis: „ denique (Agapetus) petentibus Principibus, ut Anthimum Papa in salutatione, et communione susciperet, ille fieri inquit „ posse, si se libello probaret orthodoxum, et ad cathedram suam reverteretur. Impossibile esse ajebat translatitium hominem in illa Sede „ permanere. Augusta vero, clam promittente munera multa, et rursus „ Papae minas intentante, in hoc Papa perstitit, ne ejus audiret petitionem. Anthimus vero videns se Sede pulsum, pallium, quod habuit, „ Imperatoribus reddidit, et discessit, ubi eum Augusta suo patrocinio „ tueretur. Tunc Papa Principis favore Mennam pro eo ordinavit Antistitem, consecrans eum manu sua in Basilica S. Mariae. „ His aliisque convictus exemplis Michael Roussellus *Histor. Pontific. jurisdict. lib.* 2. *num.* 14., homo scilicet, qui non admodum favet Pontificiae jurisdictioni, fateri non dubitavit: haec mihi comperta ex veteribus exemptis ad adstruendam Romani Pontificis praerogativam in confirmandis Patriarchis Orientalibus, quae sane satis indicant Principatum ejus in omnes Ecclesias. „ Quod si non saepius, aut absolutius eam praerogativam exercuit, tribuendum est illius modestiae, qui non putavit summa sua potestate utendum, „ nisi ubi necessitas exigeret. „

(8) Leo IX. *ep.* 5. *tom.* 11. *concil. Labbaei col.* 1345.

§. VI. Sed in Ecclesiis Occidentalibus, quas universos Romanus Patriarchatus complectitur, omnes Episcopi sive a Romano Pontifice per se, sive ab ejus vicariis, ejusdem auctoritate, jussusque semper confirmati sunt (1). Ac plane ridiculum, et absurdum esset potestatem, quam in suos habet Patriarchae Orientales, in Episcopos Occidentales invidere Summo Pontifici, qui Patriarcha est totius Occidenti, ac simul etiam Primas totius Ecclesiae, a quo ipsi Orientales Patriarchae suos confirmandi Episcopos potestatem repetunt, cui omnes, qui ad eam pertinent, obnoxii sunt. „ Majores nostri *inquit Gelasius I.* (2), reverendi illi Ecclesiarum magistri, clarissimaque illa populi christiani lumina. . . . ad „ illam Sedem, qua Princeps Apostolorum sederat Petrus, „ sui Sacerdotii sumpta principia. . . mittebant suae inde soliditatis gravissima firmitatis roboramenta poscentes, ut „ per hanc speciem omnibus appareat, vere unam esse per „ omnia, et indissolubilem Christi Ecclesiam „

(1) Patet id ex testimoniis Summorum Pontificum, Siricii *ep.* 4. *ad Anicium col.* 642. apud Coustantium *ep. Rom. Pontif.* Bonifacii I. *ep.* 15. *ad Episcop. per Macedon. Achajam etc. ibid. col.* 1039. Leonis M. *ep.* 5. et *ep.* 6. *opp. S. Leonis tom.* 1. *col.* 618. et 621. *edit. Ballerin.*,

aliorum complurium, quos collegit Zaccaria *Anti-Febron.*, et *Anti-Febron. vindic.* tom. 3. *dissert.* 8. *cap.* 2. §. 3. *seq. edit. Caesenae* 1771. Videndus est etiam Hallier *de sacr. election. et ordinat. par.* 3. *art.* 3. §. 2. *seq. pag.* 65. *seq. tom.* 3. *edit. Romae* 1740., qui copiose agit de jure Summi Pontificis in consecrandis, et confirmandis Episcopis; praeterea Auctor libri *observat. Theologiq. etc. sur l' Histoir. ecclesiastiq. de Fleury, liv.* 21. *num.* 1. *pag.* 23. *liv.* 24. *num.* 31. *pag.* 125. *liv.* 27. *num.* 42. *pag.* 325. *tom.* 2. *edit. a Avignon.* 1737., et Emanuel a Schelestrate *antiq. Eccles. tom.* 2. *dissert.* 6. *cap.* 4. *pag.* 436. *seq. edit. Romae* 1697.

(2) Gelasius I. *ep.* 14., quae tractatus inscribitur, *tom.* 5. *concil. col.* 341.

§. VII. Atque adeo verum est, electis Episcopis necessariam esse Apostolicae Sedis confirmationem, ut nisi eam primum obtinuerint, Ecclesiae, ad quam electi sunt, nullo modo suscipere administrationem possint, et si susceperint, jure, si quod eis per electionem quaesitum est, eo ipso priventur. Verum ut electorum commodo, atque Ecclesiarum utilitati consuleretur, oecumenicum Lateranense Concilium IV. sapienter constituit, ut Episcopi valde remoti, videlicet ultra Italiam constituti, qui a R. Pontifice confirmandi sunt, „ si „ electi fuerint *in concordia*, *dispensative* propter necessita- „ tes, et utilitates Ecclesiarum in spiritualibus, et temporali- „ bus interim administrent, sic tamen, ut de rebus ecclesia- „ sticis nil penitus alienent. Munus vero consecrationis, seu „ benedictionis recipiant, sicut hactenus recipere consueve- „ runt. „ Cumque hominum malitia saepe fraudaret hujus decreti vim, et auctoritatem, Lugdunense Concilium II. similiter oecumenicum (2), huic malo remedium adhibendum curavit; dicta lege; ut neque uti procurator, neque uti oeconomus Ecclesiam administrare possit, qui ad ejus regimen electus est, nisi primum fuerit confirmatus.

(1) Concilium Lateranense IV. *can.* 26. *col.* 963. *tom.* 13. *Concil. Labbaei.*

(2) Concilium Lugdunense II. *Can.* 4. *tom.* 14. *col.* 525. *collect. ejusdem.*

§. VIII. Illa autem a Concilio Lateranensi data administrandi facultas *dispensative* conceditur, laxata nimirum lege, qua omnes generatim obstringuntur; idcirco ad eos tantum pertinet, qui a generali lege excipiuntur. Cum autem ii solum excipiantur, qui *in concordia* electi sunt (1), consequens est,

ut hujus *dispensationis* beneficium traduci nequeat ad eos, in quorum electione similis concordia non extitit. Itaque ab eodem beneficio repelluntur qui a majori parte, haud tamen *in concordia* totius Capituli electi sunt, multoque magis ante acceptam confirmationem Ecclesiam administrare probibentur, qui ab uno speciatim sunt nominati (2).

(1) Bene Thomasinus *nov. et vet. Eccles. disciplin. par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 3. *pag.* 462. *edit. Venet.* 1773. rationem affert, propter quam ea *dispensatio* concessa fuerit iis tantum, qui *in* concordia electi sunt. „ Tanta, *inquit*, suffragiorum consensio argumento erat, electionem „ infirmari, confirmationem recusari non posse. „

(2) Confer librum anno 1814. Parisiis editum cum titulo *de l' abus de cette maxime, que l' usage abroge la loi.* Sed perpetuam Ecclesiae traditionem de Episcoporum confirmatione a Sede Apostolica absolvenda solide, copiose, diligenter in primis explicat Cl. Auctor operis, cui titulus *La tradition de l' Eglise sur l' Institution des Evêques a Liege* 1814.

§. IX. Sed et nationale Concilium, ut certa habeatur ejus auctoritas (1), et OEcumenicum, ut hujus nominis vim, et dignitatem obtineat, a Romano Pontifice confirmandum est (2). Nam quae ab Episcopis unum in locum congregatis statuta sunt, totius Ecclesiae decreta, quae parendi afferant necessitatem, haberi nequeunt, nisi cum iis consentiat Ecclesiae Caput, sine quo vera Christi Ecclesia haberi nequit. Fieri quidem aliquando potest, ut nulla sit opus expressa confirmatione Summi Pontificis, quae postea Concilii decretis accedat, cum nimirum certa, atque omnibus explorata est Romanae Ecclesiae sententia, suosque Legatos Pontifex ad concilium mittit, ut eadem sit omnibus, cunctaque membra suo Capiti conveniant. Tunc enim cum Concilium sequatur expressam sententiam Pontificis, idem est ac si ejus confirmatio accessisset, et in hac ejusdem Pontificis, et Episcoporum consensione nullus esse potest errori locus (3). Ita Sylvester ad Nicaenam Synodum Legatos misit, ut omnibus esset fides, quae semper fuerat, Ecclesiae Romanae de tempore celebrandi Paschatis, de Baptismo haereticorum, de Verbi Divinitate, et Consubstantialitate. Quid opus erat nova Pontificis confirmatione; ut nullus esse posset ambigendi locus, quin a Synodo emissa sententia secundum Romanae Ecclesiae tradictionem ubique certa, ac firma haberetur? In quo mirum in modum emicat Apostolicae Sedis potestas, et auctoritas, ex eoque pa-

tet, quam ea procul sit ab omni erroris periculo. Magnae olim fuerant de Paschate, deque haereticorum Baptismo insignium Ecclesiarum concertationes. Unus contra Quartadecimanos Victor, et unus contra Rebaptizantes Stephanus Romanae Ecclesiae sententiam labefactari noluerunt, et qui antea vel aliud sentiebant, vel suspenso, et incerto animo pendebant, postquam omnes in Concilium convenerunt, edocti Divini Spiritus afflatu sine cunctatione Capitis judicium amplexi sunt (4). Ut de Paschate, et Baptismo haereticorum, sic de Verbi Divinitate omnibus nota erat Romanae Ecclesiae sententia, quam manifestam fecerat Summus Pontifex Dionysius scriptis, quibus damnaverat eos, qui Filium Dei opus, aut creaturam esse affirmabant (5). Nova igitur, uti dicebamus, Pontificis confirmatione Nicaena synodus opus non habuit, cum satis expressa, ac declarata esset Sedis Apostolicae sententia, quam praesentibus, et Concilio praesidentibus ejusdem Legatis Patres sequuti sunt; sed tamen haec ipsa expressa confirmatio non defuit (6).

(1) Patres Concilii Carthaginensis sub Aurelio, et Milevitani sub Silvano eorum, quae egerant, confirmationem ab Innocentio I. Summo Pontifice postularunt, Sedisque Apostolicae auctoritatem implorarunt, ut Pelagii, et Caelestii error damnaretur. Extant utriusque Concilii epistolae inter Augustini epistolas *num.* 175. *et* 176. *opp. S. Augustin. tom.* 2. *col.* 617. *seqq.* His rescribit Innocentius *ibid. ep.* 181. *et* 182. *col.* 635. *seqq.*, Patres laudat, quod Sedis Apostolicae judicium exquisierint, ac negocium, de quo agebatur, „ non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis „ notitiam perveniret, ut tota ejus auctoritate justa, quae fuerit, pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent ceterae Ecclesiae (velut de natali „ suo fonte aquae cunctae procederent, et per diversas totius mundi re„ giones puri latices capitis incorrupti manarent) quid praeciperent, quos „ abluerent, quos velut caeno inemundabili sordidatos mundis digna „ corporibus unda vitaret. „ Denique sententiam profert his verbis: Quare „ Pelagium, Caelestiumque, idest inventores vocum novarum . . . . Ec„ clesiae communione privari Apostolici vigoris auctoritate censemus, donec „ resipiscant de Diaboli laqueis etc.„ Ad hunc eumdem locum pertinet, quod a S. Caesario Arelatensi gestum est, antequam II. Arausicana synodus haberetur. Ipse scilicet ante hanc Synodum Felicem III. Pont. rogavit, ut quaedam ad se mitteret doctrinae capita, quae loco essent certae regulae, quam in suis emittendis decretis Patres in Concilio sequerentur, Concilium Arausicanum II. an. 529. *in praefat. tom.* 5. *Concil. col.* 809. Confirmationem autem, de qua Felix rogatus fuerat, concessit ejus Successor Bonifacius, uti patet ex ejus *epist.* 2. *ad Caesarium Arelat. loc. cit. col.* 831., atque observat Natalis Alexander Histor. saec. V. *cap.* 3. *art.* 10. *tom.* 5. *pag.* 56. „ Bonifacius II. Pontifex creatus Caesarii „ sibi amicissimi votis annuit, syno-

dum confirmavit, Semipelagianos ultimo ictu confodit. » Confer Cl. Marchettum *loc. cit. art.* 1. §. 1. *num.* 8. *tom.* 1. *pag.* 39. *seqq.*

(2) *Sedes Apostolica*, inquit Gelasius I. *ep.* 13. *ad Episcop. Dardan. tom.* 5. *Concil. col.* 326., *unamquamque synodum sua auctoritate confirmat.* Videndus est etiam ejusdem Gelasii tomus *de anathem. vinculo ibid. col.* 352. Confer praeter ceteros Cardinalem Orsium *de R. Pontificis in synod. oecumenic. et eorum canones potestate.* Cardinalem Gerdilium *confutazione di due libelli etc. par.* 3. *vol.* 2. *pag.* 154. *edit. an.* 1789.

(3) Melchior Canus *de loc. theolog. lib.* 5. *cap.* 5 *pag.* 155. *edit. Patavii* 1727. Bellarminus *de Concil. lib.* 2. *cap.* 11. *opp. tom.* 2. *pag.* 41. *seqq. edit. Venet.* 1721. « Quando Concilium, *inquit*, definit aliquid sequens expressam » sententiam Pontificis. idem est, ac si confirmatum esset. »

(4) Quod et postea, ut ait Nicolaus I. *ep.* 10. *ad Cler. Constantinop. tom.* 9. *Concil. col.* 1379. in aliis quoque oecumenicis synodis factum est, ut quibus ante Concilium in ipsa Ecclesiae unitate indulgentia quadam a suo Capite dissentire permittebatur; ii postmodum in conciliis congregati aut se Capitis judicio subjecerunt, aut ab Ecclesiae Catholicae corpore avulsi sunt. « Haec sunt, » *inquit*, quae de his Sedes Apostolica statuit; haec sunt quae synodice, regu- » lariterque decrevit; haec sunt, quae tanto studiosius oportet amplecti, tan- » to sollicitius observare, quanto certius nostis, quae ab ea statuta fuerint, » haec universalem semper Ecclesiam tenuisse. Ita ut contra singulos errores » in Ecclesia exortos prior haec secundum Primatus sui auctoritatem sententiae » terminum dederit. Et ita demum universalis Ecclesia, licet aliquando per » aliquantulum temporis in quibusdam relicta sit, quae illa tamen probavit, » quandoque probaverit, et quae illa refutavit, ipsa refutaverit. »

(5) Consule Baronium *ad an.* 263. *num.* 51. *tom.* 3. *pag.* 144. *edit. Lucae.*

(6) S. Sylvester Summus Pontifex in Concilio Romano *an.* 325. apud Labbaeum *tom.* 2. *Concil. col.* 417. *collect. cit.* aperte declaravit, « se quid- » quid in Nicaea Bithiniae constitutum est . . . . a sanctis Sacerdotibus trecen- » tis decem et octo suo ore conformiter confirmare. » Concinit Felix III., qui *in ep.* 4. apud eumdem Labbaeum *tom.* 5. *col.* 247. testatur, quod « trecenti » decem et octo SS. Patres apud Nicaeam congregati confirmationem rerum, at- » que auctoritatem S. Romanae Ecclesiae detulerunt. » Confer *Observations Theologiqes etc. sur l'Histoire ecclesiastique de M. l'Abbé Fleury liv.* 11. *num.* 22. *tom.* 1. *pag.* 170. *Avignon* 1736.

§. X. Nicaenam synodum post annos quadraginta sex sequuta est Constantinopolitana, quae fuit oecumenica II., et ad quam Patres Orientales centum et quinquaginta convenerunt. Ea condemnata est haeresis Macedonii, qui Spiritum S. Deum esse negabat; quam haeresim et Occidentales Romae habita synodo, cui Damasus P. praefuerat, condemnarunt. Haec Synodus oecumenica evasit tantum postquam a Sede Apostolica recepta, et approbata est; ea vero Sedes eamdem recepit, et approbavit in iis dumtaxat, quae pertinent ad dogma catholicum de Spiritus S. Divinitate (1), reliqui autem canones probati non sunt usque ad tempora Concilii Lateranensis IV.,

quod Pontifice Innocentio III. habitum fuit. Ita conventus Orientalium Episcoporum, qualis fuit Synodus Constantinopolitana, approbatione, et auctoritate Romani Pontificis oecumenica facta est.

(1) S. Gregorius M. *ep.* 34. *lib.* 7. *col.* 882. *opp. tom.* 2. *edit. Maurin. Paris.* 1705. » Et canones quidem, *inquit*, Costantinopolitani Concilii » Eudoxianos damnant . . . . Romana autem Ecclesia eosdem canones, vel » gesta synodi illius hactenus non habet, nec accipit. In hoc autem eamdem synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum. » Reliquas vero haereses, quae ibi memoratae sunt, ab aliis jam Patribus » damnatas reprobat.

§. XI. Quod contra evenit de synodo Ariminensi. Ad eam convenerant Episcopi ex Occidente *quadringenti, et aliquanto amplius*, ut scribit Severus Sulpitius (1), pluresque Episcopi Orientales Constantinopoli Ariminensi formulae subscripserant; et tamen haec synodus, licet tot Episcoporum consensu probata, numquam oecumenicae loco habita est, quia nimirum defuit Summi Pontificis approbatio (2); contra centum et quinquaginta Episcopi, qui Constantinopolitano Concilio interfuerunt, consentiente, et probante Pontifice, oecumenicam synodum constituerunt. Ipse Basilius cum intelligeret, multos esse, quos in errorem induceret tantus ille numerus, et consensus Ariminensium Episcoporum, consulendum duxit S. Damasum Summum Pontificem, ut resciret, ecqua de eo negocio esset Romanae Ecclesiae sententia. Sic enim scribit datis ad S. Athanasium literis (3). „ Nobis autem „ operae pretium est ad Episcopum Romae scribere, ut res „ nostras invisat, et consilium dare, ut cum illinc communi, „ ac synodico decreto aliquos mitti difficile sit, ipse hoc ne„ gocium suo marte aggrediatur, eligens homines idoneos ad „ eos, qui apud nos perversi sunt, lenitate, ac animi constan„ tia corrigendos; apte et attemperate utentes sermone, secum„ que habentes quaecumque post Ariminense concilium ge„ sta sunt, ad eorum, quae per vim illic acta fuerant, disso„ lutionem „ Noverat enim vir ille pietate in Deum, et doctrina insignis illius negocii definitionem pendere a judicio Romani Pontificis, ideoque ut literas accepit Synodi Romanae, quae eodem Pontifice auctore habita fuerat, eas illico suscepit, eis-

que sine cunctatione assensus est: „ Omnibus, *inquit*, quae „ canonice a vestra praestantia acta sunt, assensi sumus, A- „ postolicum vestrae doctrinae studium laudantes „ (4).

(1) Severus Sulpitius *histor. sacr. lib. 2. tom. 2. pag.* 222. *edit. Veron.* 1754.

(2) S. Damasus P. *epist. synod. Concil. Roman. II. tom. 2. Concil. col- lect. Labbaei col.* 1044. » Siquidem, *inquit*, numerus Episcoporum, qui » erant Arimini congregati, praejudicii vim habere non debet; praesertim » cum foras illa composita sit neque Episcopo Romano, cujus sententia prae » ceteris omnibus expectanda erat, neque Vincentio, qui tot annis sacerdo- » tium integre gesserat, neque aliis eidem consentientibus. »

(3) S. Basilius *ep.* 69. *ad S. Athanas. opp. tom.* 3 *pag.* 162. *edit. Maurin. Paris.* 1730.

(4) Idem *ep.* 92. *pag.* 182., *et ep.* 92. *pag.* 186. » Revera enim, *inquit*, » laude summa dignum est, quod a Domino pietati vestrae datum est, adulte- » rinum quidem a probo, ac puro discernere, Patrum vero fidem sine ulla » dissimulatione praedicare; quam quidem et nos suscepimus, agnovimusque » Apostolicis notis signatam, et ceteris omnibus, quae in synodico scripta ca- » nonice, et legitime statuta sunt, assentimur. »

§. XII. Post Nicaenam, et Constantinopolitanam synodum habita est Ephesina, quae III. fuit oecumenica, et qua Nestorii haeresis proscripta fuit. Huic concilio certum est praefuisse Legatos Coelestini Summi Pontificis, qui eos miserat, ut *de Episcoporum sententiis judicarent*, atque in ea, quae contra Nestorium acta fuerant, diligenter inquirerent, neque iis assentirentur, nisi primum omnia secundum Pontificis sententiam, et mandatum gesta esse intellexissent. Re cognita et expensa, postquam Legati perspicuam agnoverunt consensionem Pontificis, et synodi, tum demum latam in Nestorium depositionis sententiam confirmarunt. Id vero unus ex Legatis Philippus praestare se profitetur auctoritate Coelestini Successoris Petri, cujus gravissima oratione praedicat potestatem, et hujus orationis summa est, omnem a Christo datam Petro fuisse potestatem in Ecclesia universa, eam totam ad ejus successorem Coelestinum fuisse delatam, et hinc Legatos *ejus praesentiam supplentes* ejusdem nomine, et auctoritate synodi decreta confirmare (1). Post orationem tam gravem, tamque veram hac eadem Coelestini auctoritate nixus firmum esse pronunciat decretum contra Nestorium editum, remque concludit his verbis: „ Quamobrem intelligat „ Nestorius, se e communione Sacerdotii Ecclesiae Catholi-

„ cae alienum esse „ Ac Projectus Episcopus Legatus alter „ Ego quoque, *inquit*, auctoritate legationis Sedis Apostolicae, una cum fratribus sententiae executor existens definio, „ memoratum Nestorium, veritatis inimicum, fideique corruptorem, tamquam iis, de quibus accusatus est, obnoxium „ a gradu Episcopalis honoris, et ab omnium praeterea Sacerdotum ortodoxorum communione alienum esse „ omnesque se subscribunt tamquam Legati Sedis Apostolicae „ Philippus Presbyter; et Apostolicae Sedis Legatus commentariis subscripsi etc. „ (2). Denique tota Synodus „ cum Arcadius, *inquit*, et Projectus . . . . Legati, et Philippus Presbyter, et Apostolicae Sedis Legatus consentanea sint locuti, consequens est, ut promissis suis satisfacientes etiam „ subscribendo acta confirment. „

(1) Concilium Ephesinum *act.* 3. *Concil. col.* 1154. 1155.
(2) Ibidem *col.* 1158.

§. XIII Ita acta, et transacta res est in Concilio Ephesino, et ita de condemnando Nestorio judicium ut a Coelestino inchoatum, sic absolutum est. Nam ipse primus Nestorium condemnavit, atque exauctoravit, eique in Constantinopolitano Episcopatu Maximianum subrogari praecepit (1). Hujus autem sententiae executionem differri permisit non quod de ejus vi, et auctoritate dubitari vellet, sed quod ita potentia Principis postulabat (2), cui noluit repugnare Pontifex, ut cuncta facilius componerentur, ortaque in Oriente haeresis, in ipso conspectu Principis, Orientalis quoque Ecclesiae sententia condemnaretur. Sane acceperat ipse Coelestinus a Cyrillo Episcopo Alexandrino literas conceptas his verbis: „ Non prius autem illius, *Nestorii*, communionem palam aperteque deserimus, quam haec ipsa pietati tuae indicaremus. Digneris „ proinde, quid hic sentias praescribere; quo liquido nobis „ constet, communicare ne nos cum illo oporteat, an vero „ libere eidem denunciare, neminem cum eo communicare, „ qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet, ac praedicat „ (3). Nullo egent interprete haec verba, quibus Cyrillus exquirit Romanae Ecclesiae sententiam, ut ea cognita intelligat, quae de Nestorii negocio sua, quae totius Orientalis Ecclesiae firma, ac certa sententia esse debeat. Pontifex *pro solicitudine*,

quae ad eum pertinet, Ecclesiae universae cum literis ad Concilium Legatos mittit „ qui iis , quae aguntur , intersint , et „ quae a nobis antea statuta sunt, exequantur (4).„ Non enim Legati mittebantur, ut novum de Nestorii erroribus institueretur judicium, quod jam Sedes Apostolica ediderat, neque ut de hujus judicii veritate dubitatio aliqua esse posset, sed tantum ut quae a Sede Apostolica *antea statuta sunt*, *exequantur*. Ergo adeo firmum ac certum haberi debet ejusdem Sedis judicium, ut ejus omnino facienda exequutio sit.

(1) Vide epistolam Coelestini ad Nestorium *Conc. Ephesin. par.* 1. *cap.* 18. *tom.* 3. *col.* 903. *collect. Labbaei.* Vide etiam epistolam Coelestini ad Maximianum, qui ejus confirmationem petierat, et cui Pontifex rescribit his verbis : *Sume gubernacula notae tibi navis , eamque , ut didicisse te a tuis prioribus novimus , rege* apud Coustantium *ep. R. P. col.* 1206.

(2) Confer Christianum Lupum *dissert. de Concil. Ephesin. cap.* 3, *opp. tom.* 2. *pag.* 10 *edit. Venet.* 1724. , Garnerium *opp. Marii Mercatoris in append. ad not in epist. Nestorii ad Coelestinum seu dissert, de Illustrissimi Marci sententia etc.* Antonium Charlas *de libert. Eccles, Gallican. lib.* 5. *cap.* 6. *tom.* 3. *pag.* 227. *edit. Romae* 1720.

(3) Epistola Cyrilli ad Coelestinum *in actis Concil. Ephesin. col.* 894, *ibid.*

(4) Videnda epistola Coelestini ad Synod. *act.* 2. *concil. Ephesin. col.* 1146. *ibid.* Recte Natalis Alexander *Histor. Eccles. V. saec. cap.* 1. *art,* 12. § 6. *tom.* 5. *pag.* 59. *edit. Venet.* 1776. expendens eamdem Coelestini epistolam, actaque Ephesini Concilii *ex quibus* , inquit , *patet Ephesinos Patres officii loco duxisse recipere Coelestini epistolam , eique obsequi.*

§. XIV. Quod datis ad concilium literis scripsit Coelestinus , idem expressit in *commonitorio* , sive *instructione* , quam dedit Legatis , cum Roma ad synodum ituri proficiscerentur. Sunt haec ejusdem commonitorii verba : Auctoritatem Sedis Apostolicae custodiri debere mandamus. Si „ quidem et instructiones , quae vobis traditae sunt , hoc „ loquantur , ut interesse conventui debeatis; ad disputatio„ nem si fuerit ventum, vos de eorum sententiis judicare de„ beatis, non subire certamen (1). „ Itaque Coelestinus ratum firmum haberi praecipit quod ab se contra Nestorium definitum fuerat , Sedisque Apostolicae, quae sententiam tulerat, auctoritatem inviolatam esse jubet, neque de ejusdem sententiae veritate, et aequitate disputari permittit; adeo fixum, certumque habebat , immotum esse oportere judicium, quod a Sede Apostolica emissum fuerat. Hinc Legati Pontificis

mandato obtemperantes minime voluerunt quaeri, justum ne esset, fideique ortodoxae conveniens Coelestini judicium: quin certum, exploratumque habent, nullam vel levem de illius aequitate oriri dubitationem posse „ Literarum, *inquiunt*. „ Sancti Venerandique Papae Coelestini Episcopi formam ve- „ stra Sanctitas consideret, qui Sanctitatem vestram hortatus „ est, non quasi ignorantem docens, sed tamquam gnaram „ commonefaciens etc. ( 2 ). „ Legatorum petitioni Firmus Caesareae Cappadociae Episcopus Synodi nomine sic respondit: „ Apostolica, et sancta Sedes Coelestini sanctissimi Epi- „ scopi. . . etiam ante de praesenti negotio sententiam, regu- „ lamque praescipsit, quas nos quoque secuti . . . . . formam „ illam executioni mandavimus, canonicum, Apostolicumque „ judicium in illum proferentes (3). „ Denique Concilii Patres *formam* illam a Coelestino praesciptam *executioni mandantes* canonicum *Apostolicumque judicium* in Nestorium protulerunt : „ coacti, *inquiunt*, per sacros canones, et episto- „ lam sanctissimi Patris nostri, et comministri Coelestini Ro- „ manae Ecclesiae Episcopi . . . . . ad lugubrem hanc contra „ eum sententiam necessario venimus (4). „ Profecto quisquis non praejudicata opinione, sed studio veritatis ducitur ex iis quae narravimus, facile intelligit, hoc unum in Ephesino Concilio actum fuisse, ut sententia, quam antea Coelestinus tulerat, contra Nestorium exequutioni mandaretur. Hoc unum ipse Coelestinus literis ad Concilium datis declaraverat, hoc unum Concilii Patres ab se faciendum proposuerant, hoc unum negocii Apostolicis Legatis datum fuerat, hoc unum ipsi praestiterant, hoc unum denique a Patribus Concilii gestum est. Recte igitur, ac vere Nicolaus I. (5), quanta in damnando Nestorio Sedis Apostolicae auctoritas fuerit, explicat his verbis: „ In synodis prisco tempore collectis Apo- „ stolicae Sedis scripta non sub occultationis modio tegeban- „ tur, sed ut omnibus, qui in domo Dei erant, lucerent, „ in propatulo ponebantur; et ut si qua turpitudo, vel ma- „ la in fidei pulchritudine a quolibet tentaretur induci, facile „ patesceret, ac sic specula in omnibus habebantur, et quasi „ quaedam rectitudinis formula, qua imprimi ceteri possent; „ posita colebantur. Quod ut manifestius pateat; ex his huic „ epistolae pauca duximus inserenda. Primo etenim loco San- „ cta Synodus apud Ephesum congregata sa. me. Coelestini

„ P. prius epistolam legit, et ita demum ad alia exequenda „ vocavit . . . . in tantum, ut per. ejus propemodum spe- „ cialis judicii tenorem perfidus Nestorius expulsus, dum ea- „ dem Synodus in sententia contra eum prolata tali modo „ prosequitur: *necessario*, inquiens, *coacti tam ex canoni-* „ *bus, quam ex epistola.... Coelestini etc.* Et ad eumdem „ Papam postea scribens, praefatum Nestorium per episto- „ lam ab ipso sanctissimo Praesule scripta rationabiliter asse- „ verat fuisse damnatum. „

(1) Vide Commonitorium Coelestini ad Episcopos, et Presbyteros in Orientem euntes, quod extat in Concilio Romano an. 431. *tom.* 3. *Concil. col.* 560. *collect. cit.* Baronius quamvis hoc monitorium non vidisset, tamen *annal. tom.* 7. *ad an.* 431. *num.* 9. *pag.* 352. *edit. Lucae* ex sola Coelestini epistola ad Concilium Ephesinum collegit, in Ephesina synodo id actum fuisse, ut Legati Sedis Apostolicae exequutures essent sententiae, quae a Coelestino in Nestorium lata fuerat, non ut de ejus vi, et veritate disputaretur. Post Baronii obitum Christianus Lupus e tenebris eruit antiquitatis Coelestini commonitorium, cujus facta mentio est; quod et protulit Stephanus Baluzius in nova Conciliorum collectione, idque refert ad Concilium Romanum habitum Coelestino Pontifice; cum Synodi Ephesinae celebratio immineret. Inquit autem Baluzius, quod si hoc monitorium vidisset Baronius, *confidentius asseruisset*, quod in synodo Ephesina nulli prorsus subjecta est examini sententia a Coelestino lata contra Nestorium, sed tantum missi sunt Legati, ut quae a Coelestino decreta fuerant, exequerentur.

(2) Concilium Ephesinum *act.* 2. *col.* 1147.

(3) Concilium Ephesinum *ibid.*

(4) Ibid *col.* 1078.

(5) Nicolaus I. *ep.* 9. *ad Michael. Imperat. tom.* 9. *Conc. col.* 1350. *collect. cit.*

§. XV. Quartum ex oecumenici conciliis Chalcedonense est, quo definitum fuit, duas esse in Christo naturas, uti antea Leo M. definiverat. Lecta est in concilio celebris ejusdem Leonis epistola ad Flavianum de Verbi incarnatione (1), quam audientes Concilii Patres una voce clamarunt: „ Haec est Patrum „ fides, haec Apostolorum fides: omnes ita credimus, or- „ thodoxi ita credimus: anathema qui non ita credit; Petrus „ per Leonem ita locutus est (2). „ Concilio praeferunt Legati Sedis Apostolicae, et in eo disputatum non est de veritate judicii, quod jam Leo dederat, quodque ipse nullo modo in discrimen revocari permiserat (3), imo illud sanctum, et inviolatum habitum est, Patresque Concilii in eo omnes acquiescere oportere statuerunt. Eorum, quae acta fuerant, relatio ab ipsa Synodo missa est ad Leonem (4), ab eoque ap-

probari, et confirmari postularunt, quae ipsi in Concilio decreverant, et „ alia quaedam, *inquiunt*, pro rerum ipsarum „ ordinata quiete, et propter ecclesiasticorum statutorum defi„ nivimus firmitatem scientes, quia et vestra Sanctitas addi„ scens et probatura, et confirmatura est eadem. „ Similia scribit Marcianus Imperator S. Leoni (5), et similia item Anatolius Episcopus Constantinopolitanus (6). „ Et sic, *inquit*, ge„ storum vis omnis; et confirmatio auctoritati vestrae Beatitu„ dinis fuerit reservata. „ Leo confirmavit quae secundum suam sententiam de Catholico dogmate a Synodo decreta fuerant; noluit tamen confirmare privilegia Ecclesiae Constantinopolitanae, quae in synodo fuerant stabilita (7).

(1) S. Leo M. *ep.* 28 *tom.* 1. *col.* 801. *edit. Balleri.*

(2) Concilium Chalcedonense *act.* 2. *tom.* 4. *collect. Labbaei col.* 235.

(3) Confer S. Leonem M. *ep.* 82. 90. 94. *ad Marcianum Imper. col.* 1403. 1063. 1075. *ep.* 95. *ad Pulcheriam col.* 1076. *ep.* 93. *ad Synod. Chalcedonen. col.* 1067. *tom.* 1. *edit. Balleri.*

(4) Concilium Chalcedonense *in relatine ad S. Leonem tom.* 4. *Concil. col.* 1778.

(5) Marcianus *ep. ad S. Leonem inter epistolas S. Leonis tom.* 1. *col.* 1114. *edit. cit.*

(6) Anatolius Episcopus C. P. *ibid. ep* 101. *cap.* 5. *col.* 1134. *et ep.* 132. *cap.* 4. *col.* 1263.

(7) Vide-sis Leonis epistolas ad Marcianum, ad Synodum *cit. tom.* 4. *Concil. col.* 1775. 1827. in quibus per suam *approbationem gestorum synodalium* rata firma se haberi velle profitetur ea solum, quae de catholico dogmat fuerant constituta. Videnda est etiam ejusdem Leonis *ep* 117. *ad Julianum Coensem col.* 1208. *tom.* 1. *edit. cit.*, qua testatur, se quod Chalcedonense Concilium *de fide sanxerat approbasse*; idque omnibus significasse „ propter eos, qui ad occasionem velandae perfidiae suae, infirma, „ vel dubia videri volunt statuta; „ Videndus preterea Gelasius *tom. de anathem. vincul. tom.* 5. *Concil. col.* 352. Quae ex his duobus conciliis pro Summi Pontificis auctoritate educuntur argumenta, copiose persequitur, ac Dupinii calumnias refellit Bossnetus *Remarques sur l' Histoire de Conciles d' Ephese et de Chalcedonie de M: Dupin opp. tom.* 15. *pag.* 550. *seqq. a Liege* 1767.

§. XVI. Quatuor haec sunt priora OEcumenica Concilia, quae S. Gregorius M. *sicut Evangelii quatuor libros se suscipere, et venerari* profitetur (1). Quintam quoque synodum oecumenicam, quae fuit Constantinopolitana II., reverentia, et obsequio pari idem Gregorius sese amplecti declarat; et certa ea pridem confirmata fuerat a Vigilio (2), deincepsque et iam approbata ab ejus successoribus Pelagio II., Leone II.,

Martino I., Synodi VI. confirmationem datis ad Agathonem literis (3), postularunt ejus Concilii Patres his verbis: „ quam „ ut iterum per honorabilia vestra rescripto confirmetis, ve- „ stram oramus paternam sanctitatem „ Mitto cetera Concilia oecumenica, ne longus sim, atque in Tridentino consistam, cujus Patres cum hanc in Romano Pontifice potestatem manifesto agnovissent, omnem dederunt operam ut quae in Concilio decreta fuerant, a Pio IV. confirmarentur. Pontifex igitur Concilii decreta confirmat, atque iis etiam jure derogat, quod in primis fit saepissime in impedimento cognationis intra quartum gradum, quod est inductum a Concilio Lateranensi IV. Atqui neutrum facere posset Romanus Pontifex, nisi Concilio praestaret.

(1) S. Gregorius M. *lib.* 1. *ep.* 25. *opp. tom.* 2. *col.* 515. *edit. Maurin. Paris.* 1705.: „ sicut Evangelii quatuor libros, *inquit*, sic quatuor „ Concilia suscipere, et venerari me fateor . . . . quintum quoque Concilium pariter veneror . . . . Cunctas, quas praefata veneranda Concilia per- „ sonas respuunt, respuo, quas venerantur, amplector, quia dum univer- „ sali sunt consensu constituta, se et non illa destruit, quisquis aut prae- „ sumit solvere quos ligant, aut religare quos solvunt: quisquis ergo aliter „ sapit, anathema sit. „

(2) Consule ipsius Vigilii epistolam Decretalem apud Labbaeum *tom.* 6. *Concil. col.* 239. *seqq.*, in quam epistolam videnda est dissertatio Petri de Marca *ibid. col.* 245. *seqq.*

(3) Extant hae literae apud Labbaeum *tom.* 7. *Concil. col.* 1110. De Romanorum Pontificum in his, atque in ceteris deinceps habitis conciliis auctoritate, solide copioseque disputat Cardinalis Orsius *De irrefragabili R. Pontificis in definiendis fidei controversiis judicio.*

§. XVII. Saepe etiam Supremi Principes ecclesiastica jura, et privilegia confirmare consueverunt, non ut iis vim adjungerent, sed ut religionem, pietatemque suam demonstrarent, atque ea civili etiam auctoritate, et imperio roborata facilius conservarentur (1). Ea de causa bonorum quoque, et possessionum confirmationem dari consuevisse exploratum est (2); imo et pro reverentia Ecclesiarum conservanda, custodiendaque diligentius saepius populis data sunt privilegia, ne censerentur, atque in centurias, et tribus distribuerentur (3).

(1) Confer *Leg. ult. Cod. Theodos. de Relig.*

(2) Vide Formulas Marculfi *cap.* 4. et 16. *lib.* 1. apud Baluzium *Capit. Reg. Francor. tom.* 2. *col.* 256. et 262., *edit. Venet.* 1772.

(3) Id de S. Martino memoriae prodidit Gregorius Turonensis *Histor. Francor. lib.* 9. *cap.* 30. *col.* 453. et 454. *edit. Paris.* 1699.

# APPENDIX
## AD
# TITULUM DECRETALIUM DE APPELLATIONIBUS

### CAPUT I.

*Jus appellationum inhaerens, et insitum est in Romano Pontifice Ecclesiae Capite.*

### §. I.

Ut cuncta diligenter expendantur, atque aestimentur, antequam negocium aliquod finem accipiat, ac ne quis uno victus judicio, quod facile errori obnoxium esse potest, uti omnium hominum judicia sunt, semper in damno haerere cogatur, inventum est beneficium appellationis; quae definitur ab inferiori ad superiorem judicem provocatio, ut quod ab illo minus recte actum est, hujus auctoritate emendetur (1). Ex quo intelligitur, hoc beneficium ad ipsum jus naturae esse referendum, quoniam per appellationem rebus pluries cognitis, et expensis, unusquisque jus suum debita ratione persequitur. Cumque per appellationem prior sententia subjiciatur judicio alterius, qui ei vel omnem vim adimit, vel majorem attribuit, pront eam vel infirmat, vel confirmat, sequitur, ut qui appellatur supra eum, a quo provocatur in illa, de qua agitur, judicii ratione auctoritate valere debeat. Secus enim frustra quaereretur nova sententia, per quam expers auctoritatis judex antiquiorem abrogare non posset. Hinc recte Justinianus (2). „ Cum non oporteat, *inquit*, ad compares judices appel„ lationes referri, sed a minore judicio in majus tribunal a„ scendere. „ In re civili primum causam cognoscit inferior

Judex, postea fit progressus ad superiorem, postremo appellatur Supremus Princeps, cujus sententia finitur controversia, quoniam id, quod ab eo judicatum est, subditorum potestati, et judicio subjectum esse non potest (3). Hoc autem jus appellationis non solum pars est intima summae potestatis (4), sed etiam est necessaria pars officii, quo tenetur quisquis Reipublicae cum imperio praeest, qui in ejus custodia, tamquam in specula, collocatus omnia circumspicere, atque observare debet, ut rite, et recte judicia exerceantur, sitque exitus omnium controversiarum aequitati, ac veritati conveniens (5).

(1) *L.* 17. *ff. de minor.*
(2) *Novell.* 22. *Cap.* 3.
(3) Vide Montesquieum *Esprit. des loix. liv* 28. *chap.* 27.
(4) Videndi Grotius *de jur. belli, et pacis lib.* 2. *cap.* 4. §. 13. Barbeyracus in *Pufendorfium de jur. natur. et gent. lib.* 2. *cap.* 4. §. 5. *not.* 1. *tom.* 3. Bohemerus *jus public. univers. lib.* 2 *cap.* 7. §. 15. *seqq.* Heineccius *Jur. natur. et gent. lib.* 2. *cap.* 8. §. 155. *opp. tom.* 8. *pag.* 213. *edit. Neapol.* 1759.
(5) Consule Puffendorfium *de jur natur. et gent. lib* 7. *cap.* 9. et Heineccium *loc. cit.* §. 150. *seqq. pag.* 210. *seq.*

§. II. Remedium hoc appellationis, per quod plurium judicio quaesita veritas liquido elucescit, nemo sane dixerit a Christo denegatum iis, qui ab se instituta Republica continentur. Eadem vero, quae in civilibus, etiam in rebus ecclesiasticis expediendarum controversiarum est ratio; ac vetus sane, et omnium consensu probata est regula, ut *a quibuscumque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas*, provocare liceat (1). Christus non alios constituit Magistratus, qui Ecclesiam regerent, quam Episcopos Apostolorum successores, et unum omnium Caput, ac Principem Summum Pontificem successorem Petri, qui et Episcopis, et cunctis Christianae Reipublicae civibus dignitate, et jurisdictione praesideret. Si secundum hanc Christi institutionem alicujus Episcopi judicium emendari, abrogarique debuisset, quis id praestare, et quem injuria damnatus appellare potuisset? Haud sane alius Episcopus Episcopi sententiam infirmare potuisset, quoniam Christus nullam uni Episcopo supra ceteros auctoritatem, et jurisdictionem attribuit. Atqui appellatio provocatio est ab inferiore judice ad superiorem. Ergo cum errori sint obnoxiae omnium hominum sententiae,

eum aequum, bonumque sit emendare errorem, qui alteri perniciem affert, cum hic error a superiore Magistratu per appellationem sit emendandus: cum Christi institutione omnes Episcopi potestate sint pares, ac nemo in alium habeat jurisdictionem, consequens est, ut tantum Summus Pontifex, cui uni haec jurisdictio, et potestas in omnes data est, Episcoporum sententias e medio tollere, atque abrogare possit. Id vero est quod jus appellationis vocamus.

(1) Concilium Carthaginense III. an. 397. *can.* 10, *tom.* 2. *Concil. Labbaei col* 140.

§. III. Post Christi mortem visum est alios etiam constituere Ecclesiasticos Magistratus, qui supra Episcopos essent, atque infra Summum Pontificem, cujus Principatus a Deo ipso procedit; sed id solum hominum lege, et instituto factum est. Nimirum cum Petrus, ejusque successores Romani Pontifices nec ubique praesto esse, nec omnibus omnium Episcoporum negotiis ubique opportune consulere possent, ecclesiastica institutione provisum est, ut singulae provinciae unum haberent Antistitem, qui earum Episcopis; et in quavis majori dioecesi unus item esset Antistes, qui et illi, et sibi subjectis Episcopis praesideret. Ita Metropolitae et Patriarchae instituti sunt, omnino ex lege Ecclesiastica, non Divina, et utrisque data sunt jura eorum praefecturae, et jurisdictionis propria. Inter cetera vero datum est jus appellationis, quo adversus Episcopi sententiam Metropolita potitur, adversus sententiam Metropolitae Patriarcha, quod ille Episcopis, hic vero, et Episcopis, et Metropolitis superior est.

§. IV. Atque haec sane vetustissima Ecclesiae disciplina est, ac omnes, qui de jure appellationum editi sunt, canones illud semper firmum ratum haberi voluerunt, ut ab inferiore Episcopo superior appelletur. Quod Metropolitis in Episcopos, Patriarchis in ipsos Metropolitas omnium consensu adscribitur eo jure, quod superior habet in inferiorem, quis invidere poterit Romano Pontifici, qui et Episcopis, et Metropolitis, et Patriarchis superior est? Ac illa quidem Metropolitarum, et Patriarcharum praerogativa tota est humani juris, contra vero Pontificis praerogativa ex jure Divino oritur. Neque tantum jurisdictio Metropolitarum, et Patriarcharum supra ceteros infe-

riores Episcopos humani juris est, sed etiam auctoritate, ac tacito saltem consensu Summi Pontificis opus habuit ut institueretur. Cum enim Christus in unum Petrum, ejusque successores omnem contulisset in alios Episcopos auctoritatem, consensus saltem tacitus, ac praesumptus requirebatur Romani Pontificis, ut pars aliqua ejusdem auctoritatis, quam ipse solus habebat, aliis etiam tribueretur. Sed neque Ecclesia cum partem jurisdictionis affixae Primatui Metropolitis, et Patriarchis attribuit, eam Primati adimere potuit, neque ipse Primas, cum id fieri permisit, sese illa abdicare voluit. Unde patet, quod appellationum ad Metropolitas, atque ad Patriarchas, et appellationum ad summum Pontificem eadem est ratio, scilicet praerogativa dignitatis, et jurisdictionis; sed hanc illi in suos subditos repetunt ex solo jure humano, contra praerogativa Summi Pontificis in universam Ecclesiam oritur ex jure Divino; et ideo quantum hoc altero praestat, tantum jus Pontificis in appellationibus recipiendis Metropolitarum, et Patriarcharum juribus firmius, ac praestabilius est. Idem sit judicium de conciliis provincialibus, quae similiter humano jure instituta sunt, neque potuerunt adimere potestatem, quam Petri successores ab ipso Jesu Christo obtinuerunt. Quid quod appellationes non tantum ad jus, et praerogativam sunt referendae, sed etiam ad onus, et officium Primatus, cujus gratia Summus Pontifex omnium, quae in Ecclesia eveniunt, certior fieri, et curare debet, ut cuncta recte, et ordine peragantur?

§. V. Jamvero in Romano Pontifice non una inest Primatus ratio, sed ipse est etiam Metropolita Provinciae Romanae, et Patriarcha totius Occidentis. Tamquam Ecclesiae Caput, et Primas omnium, qui ad Ecclesiam pertinent, appellationes recipit, quod jus sibi cum nemine commune est; tamquam Patriarcha, et Metropolita commune habet jus appellationum cum ceteris Patriarchis, et Metropolitis. Itaque appellationes recipit ex Romana provincia, atque ex toto Occidente, cujus unus Patriarcha est. Sed nobis agendum est de appellationibus, quas ad vim intimam, et naturam Primatus pertinere demonstravimus, qua de re luculentissima sunt etiam antiquorum testimonia. Ex eorum numero seligam Julium I. (1), Bonifacium I. (2), cujus haec verba sunt. „ Certe si in quoquam „ ejus supra debitum fuit visa correptio, quoniam ideo tenet

„ Sedes Apostolica principatum, ut querelas omnium licentes „ acceptet, interpellari nos super hac missa legatione convenerat, quos curam omnium rerum manere videatis. „ Quibus sane verbis jus episcopalium appellationum ad Sedem Apostolicam repetit non ex peculiari ejusdem Sedis potestate super provincias Illyrici, sed ex *Principatu*, propter quem et omnium querelae ad Summum Pontificem deferendae sunt, et rerum omnium solicitudo ad eum pertinere debet.

(1) Julius P. *ep. ad Eusebian.* apud Constantium *ep. Rom. Pontif. col.* 386.
(2) Bonifacius I *ep.* 14. *ad Episc. Thessal. num.* 4. *ibid. col.* 1038.

§. VI. Concinunt Leo M. (1), Agapetus (2), Gelasius I. (3), qui his omnino utitur verbis „ Non reticemus autem, „ quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificem Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quae de omni Ecclesia „ jus habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte „ Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus. „ Canones nominat, sed simul etiam Canonum aequitatem ostendit *a potestate judicandi de omni Ecclesia*, hoc est, a Primatu. Idem etiam scriptum reliquit Innocentius I. (4): „ Si quae autem, *inquit*, causa, vel contentiones „ inter clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris „ fuerint exortae, ut secundum Synodum Nicaenam congregatis „ ejusdem provinciae Episcopis jurgium terminetur, nec alieni „ liceat (sine praejudicio tamen Romanae Ecclesiae, cui debet in „ omnibus causis reverentia custodiri) relictis his Sacerdotibus, „ qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. „ Recte, ac vero Petrus Constantius, qui ea verba *secundum Nicaenam Synodum* non ad eam exceptionem, quae clauditur parentesi, sed *ad antecedentia tantum* referri animadvertit. Ergo Nicaenis quidem canonibus sancitum est, ut a provinciae Episcopis clericorum disidia componantur; verum hi canones minime pertinent ad Romanam Ecclesiam, cui Primatus causa debet *in omnibus reverentia custodiri.* Falsum igitur est, quod Hincmarus Remensis (5) scripsit, nulla esse Apostolicae Sedis privilegia, quae

non alicujus Synodi canone nitantur; et bene ac sapienter Nicolaus I. (6), expressit hic verbis: „ Si Instituta Nicaenae „ Synodi diligenter inspiciantur, invenietur profecto, quia „ Romanae Ecclesiae nullum eodem Synodus contulit incre„ mentum, sed potius ex ejus forma, quod Ecclesiae Alexan„ drinae tribueret particulariter, sumpsit exemplum. „ Cur autem Nicaena Synodus nullum Romanae Ecclesiae tribuerit incrementum ita declarat: „ Ecclesiae Romanae privilegia „ Christi ore in B. Petro firmata, in Ecclesiae ipsa disposita, „ antiquitus observata, et a sanctis universalibus synodis „ celebrata, atque a cuncta Ecclesiae jugiter venerata nullate„ nus possunt minui, nullatenus infringi, nullatenus com„ mutari, quoniam fundamentum, quod Deus posuit, huma„ nus non valet amovere conatus. „ Quo ex loco etiam Natalis Alexander (7) ostendit, jus appellationum non esse a Synodo Sardicensi institutum, sed confirmatum, et celebratum, quoniam illud *appendix est Primatus*; qui in Petrum, ejusque successores a Christo Domino collatus fuit. Huc etiam referendi sunt Sozomenus (8), Socrates (9), Theodoritus (10), Valentinianus III. Imperator (11), Stephanus Larissaeus Episcopus (12), S. Bernardus (13), cujus verba sunt haec: „ Ap„ pellatur ad te. Id quidem in testimonium singularis Prima„ tus tui. „ Ipse Quesnellus qui tanta animi contentione appellationibus adversatur, fateri vel invitus debuit „ Gallicanos „ cum appellationes receperunt, respexisse ad Primatus Pon„ tificis dignitatem, ac potentiorem, ut Irenaeus vocat, prin„ cipalitatem „ (14). Praeclare Gallicanae Ecclesiae doctrinam, describit Archiepiscopus Senonensis *Instruct. Pastor. Paris.* 1753. „ Quod ex auctoritate, *inquit*, quam Christi in„ stitutione in nos (Episcopos) Pontifex habet, legitime se„ quitur, jus est judicandi sontes Episcopos. Quod si illos a „ Provinciae Episcopis in primae cognitionis causa judicari „ mores nostri postulant, jus tamen suscipiendarum appel„ lationem est illi absque ulla controversia servatum. „ Mitto Agathonem P. de causa Vvilfridi Eboracencis disserentem, Theodorum Ecdiniensem Episcopum, ceteros quos laudat Zaccaria *Anti-Febron. vindic. par.* 3. *dissert.* 8. *cap.* 5. *pag.* 452. *seqq. edit. Caesen.* 1771.

(1) Leo M. *ep:* 10. *ad Viennens. Episc. cap.* 2. *opp. tom.* 1. *col.* 386. *edit. Ballerin.*

(2) Agapetus ep. 4. *ad Justinianum Imper. tom.* 5. *Concil. col.* 942. *collect. Labbaei edit. Coleti.*

(3) Gelasius I. *ep.* 13. *ad Episc. Dardaniae tom.* 5. *col.* 328. *collect. ejusd.*

(4) Innocentius I. *epist.* 2. *ad Victric. Rotomag. cap.* 5. *col.* 749. apud Coustantium.

(5) Hincmarus Remensis *opusc.* 47. *cap.* 12.

(6) Nicolaus I. *ep.* 8. *ad Michaelem Imp. tom.* 9. *Concil. col.* 1334. *seq. collect. ejusd.*

(7) Natalis Alexander *dissert.* 28. *in saec.* 4. *tom.* 4. *Histor. Eccles. pag.* 462. *edit. Venet.* 1676.

(8) Sozomenus *Histor. lib.* 3. *cap.* 7. *pag.* 93. *edit. Taurin.* 1747.

(9) Socrates *Histor. lib.* 2. *cap.* 11. *pag.* 78. *edit. ejusd.*

(10) Theodoretus *Histor. lib.* 2. *cap.* 4. *pag.* 63. *edit. ejusd.*

(11) Valentinianus III. *ep. ad Theodosium opp. S. Leonis ep.* 55. *tom.* 1. *col.* 961. *edit. Ballerin.*

(12) Stephanus Larissaeus Episcopus in libello, qui datus est Bonifacio II., lectusque in Concilio Romano *tom.* 5. *Concil. collect. Labbaei col.* 836.

(13) S. Bernardus *de consider. ad Eugenium lib.* 3. *cap.* 2. *opp. tom.* 2. *pag.* 370. *edit. Venet.* 1781.

(14) Quesnellus *dissert.* 16. *in S. Leonem* §. 14. *num.* 4.

§. VII. Non desunt tamen, qui jus invident appellationum; quo ex numero primum fuere Eusebiani, qui cum aegre ferrent appellationem S. Athanasii ad Julium I., jus Sedis Apostolicae in discrimen revocare ceperunt (1); eosque sequuti sunt Acaciani, postea Photius auctor schismatis inter Latinam, et Graecam Ecclesiam, ac ceteri eidem schismati addicti Zacharias Episcopus Chalcedonensis, Theodorus Balsamon, Meletius Alexandrinus, Joannes Zonaras, et in Concilio Florentino Marcus Ephesinus. Exemplo horum omnium, quos odium in Sedem Apostolicam rapuit in hanc opinionem, idem quoque visum est non aliter animatis Calvino (2), M. Antonio de Dominis (3), Justo Heinnigio Boemero (4), Basnagio (5), Febronio (6), Leydekero (7); atque aliis e sectis haereticorum. Atque hi quidem in hunc errorem delapsi sunt, propterea quod Romano Pontifici vel omnem adimunt Primatum tum ordinis, et dignitatis, tum auctoritatis et jurisdictionis, vel ei tantum Primatum dignitatis contra catholicam veritatem concedendum putant. Plures etiam Catholici, quamvis in Summo Pontifice tum dignitatis, tum jurisdictionis Primatum inesse fateantur, tamen ad eum referendum negant jus appellationum, sed tantum a Sardicensi Concilio attributum putant.

Atque haec sententia est Petri de Marca (8), Stephani Baluzii (9), Joannis Gerbaisii (10), atque ut ceteros mittam, Paschasios Quesnellus (11) omni opera, ac studio sententiam hanc tueri conatus est. Quinimo in Sardicensi Concilio ne acutum quidem hi putant de vera appellatione, sed tantum de *revisione*, quae ab illa valde distat; quoniam appellatio integram transfert causae cognitionem ad judicem superiorem, qui rem totam cognoscit, eamque sententia definit. At revisio definitivum judicium relinquit priori judici ea tamen ratione, modoque, ut prioribus judicibus novi adjungantur. Quod verba ipsa Synodi videntur ostendere, quae vocabulis *provocandi*, *et appellandi* minus proprie utitur, quod retractatio vicem agat appellationis. Sed jus ipsum appellationum, quod in Primatu haeret, solide copioseque tuentur Baronius (12), Bellarminus (13), Franciscus de Simeonibus (14), Natalis Alexander (15), Christianus Lupus (16), Bianchius (17), Archiepiscopus Senonensi (18), David (19), Gerardus Casteel (20), Fratres Ballerinii (21), Mamachius (22), Zacaria (23), Cerbonius (24), Benedictus XIV. (25), aliique complures (26).

(1) Confer epistolam Julii I. *ad Eusebian.* apud Constantium *epist. Rom. Pontific. col.* 353. *seqq.*, et epistolam Eusebianorum datam ex Philippolitano conventiculo apud Hilarium *ex oper. histor. fragm.* 3. *col.* 647. *seqq. tom.* 2. *edit. Veron.* 1730. praeterea Sozomenum *histor. eccles. lib.* 3. *cap.* 7. *pag.* 93.

(2) Calvinus *Instit. lib.* 4. *cap.* 7.

(3) Marcus Antonius de Dominis *de Republ. Christian. lib.* 1. *cap.* 3.

(4) Bohemerus *de causis arduis et major.*

(5) Basnagius *Annal. politic. Eccles. ad an.* 347 *num.* 11. *seqq.*

(6) Febronius *de stat. Eccles. cap.* 5. §. 6. *num.* 2.

(7) Leydekerus *dissert. de libert. Eccles. African.*, *et transmarin. appellat.*

(8) Petrus de Marca *Concord. Sacerdot.*, *et Imper. lib.* 7. *cap.* 1. *seqq.*

(9) Baluzius *praefat. ad Gratiani decret. ab Anton. Augustino emendat. num.* 3. *seqq.*

(10) Gerbaisius *de caus. major.*

(11) Quesnellus *dissert.* 5. *seu apolog. pro S. Hilario in edit. opp. S. Leonis.*

(12) Baronius *ad an.* 347. *num.* 52. *tom.* 4. *pag.* 440. *ibique* Pagius *in not. num.* 6. *seqq. pag.* 438. *seqq.*, *et ad an.* 419. *num.* 75. *tom.* 7. *pag.* 179. *edit. Lucae.*

(13) Bellarminus *de Rom. Pontif. lib.* 2. *cap.* 21. *seqq. opp. tom.* 1. *pag.* 330. *seqq. edit. Venet.* 1731.

(14) Franciscus de Simeonibus *de judiciar. Summ. Pontif. potest. lib.* 2. *cap.* 20.

(15) Natalis Alexander *Histor. Eccles. dissert.* 28. *in saecul.* 4. *tom.* 4. *pag* 462. *seqq.*

(16) Christianus Lupus peculiari opere *de Roman. appellat. opp. tom.* 8. *edit. Venet.* 1724.

(17) Bianchius *della potestà e polizia della Chiesa lib.* 3. *cap.* 5. §. 15. *tom.* 5. *par.* 1. *pag.* 223. *seqq.*

(18) Archiepiscopus Senonensis *Instruction Pastorale contenante une troisieme lettere à un Conselier du Parlement de Paris an.* 1753.

(19) David *des jugemens canoniq. chap.* 8. *art.* 1. *pag.* 445. *edit. Paris.* 1671.

(20) Casteel *Controv. histor eccles. contr.* 31.

(21) Ballerinii *in edit. opp. S. Leonis M. observat. ad dissert.* 5. *Quesnelli tom.* 2. *col.* 527. *seqq.*

(22) Mamachius *ad Auct. op. quid est Papa ? ep.* 3. *tom.* 1. *pag.* 234. *seqq.*

(23) Zaccaria *Anti-Febron. tom.* 3. *lib.* 3. *per tot.*, *et in Anti-Febron. vindic. tom.* 3. *dissert.* 7. *cap.* 5., *et in collectione dissertat. Romae editarum tom.* 16. *dissert.* 1.

(24) Cerbonius *de jur. et leg. disciplin. lib.* 22. *cap.* 2. *seqq. tom.* 3. *pag.* 205. *seqq.*

(25) Benedictus XIV. *de Synod. dioeces. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 2.

(26) Inter eos, qui de appellationibus ad Summum Pontificem graviter, ac solide scripserunt, omittendus non est Auctor disertationis Romae editae an. 1768. *de appellationibus*, itemque Auctor libri. *Quis est Petrus ? seu qualis Petri Primatus ? par.* 3. *corollar.* 4. *pag.* 248. *seqq.*

§. VIII. Haeretici, et Schismatici, uti dicebamus, pugnant contra jus appellationem, quia Primatum negant Summi Pontificis; vero jus hoc firmissimum esse Principatus argumentum fatetur Calvinus *loc. cit.* his verbis: „ summum imperium penes eum esse constat, ad cujus tribunal provocatur. „ Nos de his hominibus hoc loco non agimus, quoniam catholicam veritatem de Primatu Romani Pontificis, eoque non tantum ordinis, et dignitatis, sed etiam jurisdictionis, et potestatis periti rerum Theologicarum viri copiosissime, atque apertissime demonstrarunt. Omnis igitur disputatio sit contra eos, qui se Catholicos profitentur, et tamen jus appellationum in discrimen revocant, neque illud in Primatu insitum, sed datum canonibus Conciliorum, ac de eo primum in Concilio Sardicensi actum fuisse arbitrantur. Qua in re duo sunt ante cetera observanda. Primum est, aliud esse de jure generatim quaerere, num scilicet aliquis jus certum habeat, et aliud de ipsius juris usu disputare; num scilicet expediat jus illud semper exercere, cum aliud interdum videatur suadere praesens temporum, ac rerum ratio (1).

Alterum est, quod ecclesiastica jurisdictio triplici ex capite statui potest; nimirum ex consuetudine, ex Jure Canonico, et Ecclesiastico, atque ex jure Divino. Consuetudinem dicimus, non quod ea per se jus aliquod tribuat, sed quia vel aliquem sibi sumit titulum ecclesiastici, aut divini juris, vel quod cum nullus initio titulus est, cursu temporis acquisita ostenditur jurisdictio sive ex consensu eorum, quorum interest, sive ipso juris perscripto, ut in praescriptionibus evenire constat. Hinc antiqua consuetudo pro jure Alexandrini Episcopi in Ægyptum, Lybiam, et Pentapolim laudatur canone 6. Concilii Nicaeni, eodemque modo Antiocheni, et caeterorum Episcoporum jura constituuntur. Canonico, vel ecclesiastico jure statuitur jurisdictio, cum Ecclesiae legibus eam alicui concessam fuisse constat, nisi ab alio fortiori jure abrogata sit, vel e medio sublata per contrarium consuetudinem, et praescriptionem. Denique ex jure Divino oritur jurisdictio, cum eadem ab ipso Deo immediate data est, eaque nec contraria consuetudine tolli potest, neque ullo humano jure abrogari. Solum si huic jurisdictioni nullus a jure Divino praefinitus est modus, potest ejus usus vel ecclesiastica lege, vel consuetudine certis coerceri finibus recti ordinis, et publicae utilitatis causa. Quod duabus ex causis fieri potest, primum ex voluntate ejus, qui cum potiatur jure nullis finibus divinitus circumscripto, tamen ob bonum publicum ei certum modum expresse, vel tacite imponit. Atque ea quidem ratione Summi Pontifices consentire potuerunt de constringendis suis, vel Decessorum suorum decretis; usu scilicet et exercitio juris illius, quod nullis terminis finierat Deus. Ita Episcopalem jurisdictionem, licet ea in genere Divini juris sit, Pontifices, et generalia Concilia arctare potuisse exploratum est, eamdemque quoad usum, et exercitium Romano Pontifici subjectam esse ipsi etiam Gallicani Scriptores confitentur (2). Ut autem in aliquo jurisdictionem inesse pateat, satis est unum, aut alterum eorum, quae commemoravi, demonstrare, contra eam abesse constat, eam nullum ex iis praesto esse certum est.

(1) Recte Natalis Alexander *Histor. Eccles. diser.* 20. *in saec. IV. prop.* 1. *tom.* 4. *pag.* 410. „ Aliud est, *inquit*, jure aliquo semper non uti; aliud „ jus illud non habere: in quo viri alioquin eruditi allucinati sunt, qui sub„ stantiam juris a perpetuo, et non interrupto ejus usu non distinguunt. „

(2) Joannes Gersonius *de statib. eccles. consider. 2. opp. tom. 2. pag.* 532. *edit. Antuerpiae* 1706. » Status praelationis Episcopalis, *inquit*, habuit in Apostolis, et in successoribus usum, vel exercitium suae potestatis sub Papa Petro, et successoribus ejus, tamquam sub habente, vel » habentibus plenitudinem fontalem Episcopalis auctoritatis. Unde et quoad » talia minores Praelati, scilicet Curati, subsunt Episcopis, a quibus usus » suae potestatis quandoque limitatur, vel arcetur; et sic a Papa posse fieri circa Praelatos majores ex certis, et rationabilibus causis, non est ambigendum. » Et *dialog. de potest. ligan., et solvend. eod. tom. 2. pag.* 399. » Cujus potestatis (jurisdictionis) plenitudo residet, *inquit*, penes summum Pontificem, et est in ipso tota potestative: ceteris vero per partes derivatur juxta determinationem legitimam, istius fontalis, et primae » potestatis « nimirum ejusdem Summi Pontificis; cujus rei consequens esse inquit, eum posse prohibere Prelatis absolvere a quibusdam casibus, quod est arctare solvendi facultatem. Clerus Gallicanus in Comitiis extraordinariis diei 8. Maii de Episcopali disserens potestate a Christo instituta ait: » At Jesus Christus ipse sua institutione limites praescripsit huic potestati, » quam subjecit Sedi Petri, in qua posuit plenitudinem Apostolicae potestatis.

§. IX. Divino jure ex Christi institutione Romanum Pontificem habere jus appellationem, superiore loco demonstratum est. Quod sane jus non in eo tantum est positum, ut Pontifex appellationes accipiat postremo loco, postquam scilicet ad Metropolitam, deincepsque ad Patriarcham provocatum est, sed etiam ut priore loco, neglectis mediis judicibus, omnes, cum libet, controversias expediat. Quod ex iis, quae supra animadvertimus, manifestum est. Scilicet jure Divino unus Petri successor omnibus Episcopis superior est. Ergo unus inferiorum sententias confirmare, aut infirmare potest. Jus humanum cum Metropolitas constituit, et Patriarchas, qui supra Episcopos essent, jus appellationum superioribus ab inferiorum judicio concessit; sed jus Divinum Romani Pontificis neque abrogavit, neque abrogare potuit. Ipse igitur nemini injuriam infert, sed suo utitur jure, si illico post sententiam Episcopi (quae prima est, ac potior Divini juris institutio) omisso Metropolita, et Patriarcha, alicujus controversiae judicium ad se deferri velit. Lex civilis quamquam certum in appellationibus ordinem praescribat, tamen propter summi Principis potestatem ceteris superiorem eum statim appellari permittit (1); cur non idem statuendum de Romano Pontifice propter hanc ipsam in Ecclesia eminentem potestatem? Rursus Ecclesiae lex, quae sola Patriarchas Episcopis superiores esse jussit, eos appellandi facultatem dedit, omis-

so judice, quem recta appellandi ratio medium interponebat (2). An quod ex lege ecclesiastica Patriarchis licet, non licebit Summo Pontifici, quem unum lex Divina Episcopis superiorem constituit, et cui lex Ecclesiae semper integram reliquit eam quoque potestatis partem, quam Patriarchis, et Metropolitis communem fecit? Neque vero a naturali aequitate alienum videri potest, quod mediis judicibus omissis statim ad Summum Pontificem appellatio deferatur. Nam naturalis quidem aequitas appellationem praescribit, rectaque appellandi ratio est, ut illa ex inferiori fiat ad superiorem; sed neque naturalis aequitas, neque eadem recta appellandi methodus postulat, ut appellatio fiat ad judicem, qui alterius potestati subjectus est. Qui postremo appellatur nemini obnoxius esse debet, ut in eo sit omnis controversiae finis, qui nullus esset, si omnis judex alterius judicio, et potestati subjiceretur. Atqui cum statim appellatur qui summam habet auctoritatem, neque alteri subditus est, nullum vitium, et culpa committitur; potius controversia clerius expeditur per eum, in quo compleri, ad exitumque perduci totum negocium debet.

(1) Consule Bynkershoek *observ. jur. Romani lib.* 3. *cap.* 4. *opp. tom.* 2. *pag.* 18. *edit. Lugdun. Batav.* 1750., et Van Espenium *Jur. Eccles. univers. par.* 3. *tit.* 10. *cap.* 2.

(2) Confer quae scripsi *in Instit. Jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 3. §. 38. *not.* 1. *pag.* 209., *et* 210. *edit. Romae* 1792.

§. X. Fieri quidem interdum potest, ut non expediat omittere medios judices, ac statim ire ad Sedem Apostolicam; quin etiam interdum locorum distantia, fraudis metus, rerum difficultas, periculum, ne satis recte noscantur, quae procul gesta sunt, facere possunt, ut non videatur ad summum Pontificem deferenda appellatio. Tunc autem ipse suo jure non utitur; sed non ideo quia peculiaribus de causis interdum non expedit Summum Pontificem suo jure uti, exinde efficitur, ut ipse revera non habeat potestatem (1). Nam aliud est, uti diximus, jus non habere, et aliud longe diversum interdum aliquem non uti jure, quod habet; quia scilicet certae quaedam occurrunt causae, propter quas ipse sibi ab eodem usu temperandum judicat. Ex quo intelligimus, quamo-

brem in provinciis quibusdam praesertim a Romana Urbe longe distantibus antiquo usu receptum fuerit, ut causae a finitimis Episcopis, vel pleniori concilio definiantur. Nimirum cum perdifficile esset rem procul actam bene cognoscere, testesque cogere ad longam, et periculosum iter suscipiendum cum facile in magna locorum distantia falsi aliquid obrepere, aut aliquid veri occultari posset, cum longa cunctatio plena esset periculi, illa est inducta consuetudo, quae abrogare quidem non potuit jus Divinum Romani Pontificis, sed tamen ob bonum publicum videtur retinenda. Nam *ipsa quidem mutatio consuetudinis*, inquit Augustinus (2), *etiam quae adjuvat utilitate, novitate pertubat.* Idem dictum volo de canonibus, qui causas appellationem Episcoporum a Summo Pontifices per delegatos in provincia judices, vel per Legatum ab eo missum cognoscendas innuunt. Nam id similiter referendum est ad illud, quod magis expedire videbatur; sed non ideo Pontificia potestas angustioribus circumscripta finibus, aut in discrimen revocata est.

(1) Huc sane referendi sunt canones Sardicenses, quibus nihil detrahitur potestati Summi Pontificis; tantum id, quod magis congruum videbatur rationi temporum, ac locorum constituitur. Imo *can.* 4. Concilii Sardicensis *tom.* 2. *Concil. col.* 659. diserte memorantur causae Episcopales agendae *in urbe Roma*, *et in judicio Romani Episcopi determinandae.* Simili modo S. Bernardus *de considerat. lib.* 3. *cap.* 4. *opp. tom.* 2. *pag.* 192. *edit. Venet.* 1765. aliquas reprehendit exemptiones, quas non expediebat concedere propter mala, quae ex his oriebantur, ab iisque concedendis deterrere conatur Eugenium III., sed non ideo negat Pontificis potestatem. » Sic factitando, *inquit*, probatis vos habere plenitudinem pote» statis, sed justitiae forte non ita. Facitis hoc quia potestis; sed utrum et » debeatis, quaestio est.

(2) S. Augustinus *ep.* 54. *opp. tom.* 2. *col.* 126. *edit. Maurin. Venet.* 1729.

„ laico ordine ab Episcopis *per unamquamque provinciam* „ sententia regulari obtineant, ut hi, qui rejiciuntur, ab aliis „ non recipiantur. Requiritur autem, ne pusillanimitate, aut „ contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio, videantur a „ congregatione seclusi. Ut hoc ergo decentius inquiratur, „ bene placuit, annis singulis per unamquamque provinciam „ bis in anno concilia celebrari, ut communiter omnibus simul „ Episcopis provinciae congregatis, discutiantur hujusmodi „ quaestiones; et sic qui suo peccaverint evidenter Episcopo, „ excomunicati rationabiliter ab omnibus aestimentur, usque- „ quo vel in communi, vel Episcopo placeat humaniorem pro „ talibus ferre sententiam. „ Canon hic, uti unicuique ejus verba legenti et intelligenti manifestum est, de laicis tantum agit, deque clericis ab Episcopo excommunicatis, sed de causis Episcoporum nulla mentio, nullum indicium, aut conjectura est. Imo vero apertissime excluduntur Episcopi, canonisque praescriptum cohibetur solum intra eos, qui *seu ex clero, seu ex laico ordine per Episcopi regularem sententiam* communione privati sunt. Si eadem praescriptio ad Episcopos etiam pertineret, nonne facta fuisset expressa eorum mentio, qui licet e clero sint, tamen propter eminentem eorum dignitatem expressam mentionem requirunt? Adde, quod canon loquitur de excommunicato *a suo Episcopo*, et ideo provinciale concilium habendum praecipit *bis in anno*; ut *communiter omnibus simul provinciae Episcopis congregatis* discutiatur quaestio, num hic communione privatus fuerit *pusillanimitate, aut contentione, aut aliquo quolibet Episcopi vitio*, et si constiterit, quod suo *peccaverit evidenter Episcopo, excommunicatus rationabiliter ab omnibus aestimetur*. An de Episcopo dici potest, quod a *suo* Episcopo excommunicatus fuerit, an Episcopus alium Episcopum sibi minime subjectum excommunicandi habet potestatem?

§. II. Falso igitur de Marca, et Quesnellus ad Romanas appellationes flectunt, et detorquent quod de ordinario judicio contra clericum, aut laicum in unaquaque provincia exercendo statutum est, neque ex eo afficitur, ut facultas eripiatur juris experiundi penes judicem superiorem. Imo vero suo ipso facto Nicaeni Patres longe aliud ostendunt; nam uti narrat Athanasius (3). „ Petrus apud nos ante persequu-

„ tionem Episcopus in persequutione martyr occubuit. Hic „ Meletium, qui Episcopus in Ægypto erat, plurimorum „ convictum scelerum, ac potissimum quod immolasset „ idolis, in communi Episcoporum synodo deposuit. Meletius „ vero neque ad aliam Synodum confugit, neque curavit apud „ posteros se purgare. . . . Interim Meletio haec agente Aria„ na exorta est haeresis: sed in Nicaena Synodo ipsa quidem „ haeresis anathemate damnata, Arianique rejecti, Meletiani „ aliquo modo recepti sunt. „ Habes hic facultatem appellandi a Synodo provinciali, quoniam Meletius *ad aliam Synodum confugere* poterat, habes ejusdem concilii judicium a Concilio Nicaeno emendatum, quoniam recepti sunt Meletiani, quos synodus provincialis rejecerat. Ergo Nicaeni Concilii Patres synodi provincialis sententiam superiori judicio obnoxiam existimarunt. Quod egregie confirmat Julius I. (4), qui Nicaenorum Patrum mentem exploratam habere debuit; cumque literas dederit septemdecim annos post Nicaenam synodum, et vero dederit ad Eusebianos, neque rem minus notam proponere, neque cavillari potuit. „ Inquit autem Julius „ Episcopi in magna synodo Nicaena congregati, non citra „ Dei consilium, prioris synodi acta in alia synodo disqui„ ri permiserunt, ut qui judicarent prae oculis habentes se„ cundum futurum esse judicium, cum omni cauthela rem „ expenderent, et qui judicarentur crederent, se non ex prio„ rum judicium odio, et inimicitia, sed ex aequitatis prae„ scripto judicatos. „ Quod si Nicaenis Patribus numquam ea mens fuit, ut a provinciae synodo appellatio non permitteretur, multo minus ipsi decernere potuerunt, ne qui ad Apostolicam Sedem provocaret. Quanta enim reverentia Nicaeni Patres Romanam Sedem prosequuti fuerint, ignorat nemo, ejusque synodi, ut inquit Bonifacius I. (5) „ non a„ liud praecepta testantur; adeout non aliquid super eam au„ sa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suum „ posse conferri; omnia denique huic noverat Domini ser„ mone concessa. „ Quae eadem sententia fuit Patribus Concilii Romani habiti Felice III. Pontifice (6), quorum haec verba sunt „ Domino ad B. Petrum dicente: tu es Petrus, et „ super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam etc. Quam „ vocem sequentes tercenti decem et octo sancti Patres apud

„ Nicaeam congregati confirmationem rerum; atque auctoritatem S. Romanae Ecclesiae detulerunt; quam utramque usque ad aetatem nostram successiones omnes, Christi gratia praestante, custodiunt. „ Vera haec Nicaenorum Patrum sententia est; et certe Sardicenses Patres, qui appellationes ad Sedem Apostolicam confirmarunt, magna ex parte Concilio Nicaeno interfuerant, et ideo credibile non est, eos tam sibi ipsis repugnantes esse potuisse, ut Sardicae probarent quod antea Nicaeae improbaverant (7).

(1) Petrus de Marca *Concord. Sacerdot. et Imper. lib. 7. cap. 2. pag. 383. edit. Roboret. seu Venet.* 1763.
(2) Beveregius *Pandect. Canon. in can. 4. Sardicens. tom. 2. pag.* 199. *edit Oxonii* 1672.
(3) Athanasius *apol. contr. Arian. tom. 1. opp. pag.* 140. *num.* 59. *edit. Patav.* 1777.
(4) Julius I. *epist. ad Eusebian.* apud Coustantium *col.* 355. *num.* 20.
(5) Bonifacius I. *ep.* 14. *col.* 1037. *ibid.*
(6) Concilium Romanum II. *tom.* 5. *Concil. col* 248. *collect. Labbaei.*
(7) Confer David *des jugemens canoniq. des Evêques chap.* 1. *art.* 2. *pag.* 20. *seqq. edit. Paris.* 1671.

§. III. Quod attinet ad canonem 15. Concilii Antiocheni, ejus sane verba sunt haec: „ Si quis Episcopus de certis criminibus accusatus condemnetur ab omnibus Episcopis provinciae, cunctique consonanter eamdem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo judicari, sed firmam concordantium Episcoporum provinciae manere sententiam „ (1). Sunt qui Antiochenos canones ab Arianis editos fuisse existimant, eaque de causa ab Innocentio I. (2) improbari; atque haec sententia est Baronii (3), et aliorum, qui eosdem canones adscribendos putant Antiochenae synodo, quae contra Athanasium habita est anno 341. occasione Encaeniorum Ecclesiae Antiochenae, quam Constantinus aedificare caeperat. Sed quoniam hanc sententiam copiose refutat Schelestrates (4), qui catholicam fuisse ostendit synodum Antiochenam, unde illi canones prodierunt; idemque sentiunt Tillemontius (5), Fratres Ballerinii (6), Ceillierus (7), alia est ineunda via, ut omnis obex Antiocheni canonis amoveatur. Scilicet eo canone neque omnium, neque ad omnes universe prohibentur appellationes. Vetatur tantum appellatio ejus, qui condemnatus fuerat consensu omni-

rum Episcoporum provinciae; *qui cuncti consonanter eamdem contra eum formam decreti protulerint*; hic quidem apud *alios* ejusdem, aut vicinae provinciae Episcopos denuo judicandus non est, quoniam *concordantium Episcoporum provinciae manere debet sententia.* Superiori canone 14. concessa fuerat appellatio, cum *judicatus ab aliis innocens creditur, reus ab aliis existimatur*, hoc est cum discordes fuerant sententiae conprovincialium Episcoporum, et hinc sane appellatio conceditur. Duobus his canonibus constitutum est discrimen inter eum, qui cunctis provinciae Episcopis consentientibus damnatus fuerat, interque eum, qui multis dissentientibus passus fuerat judicium adversarium sibi. Uterque appellare poterat; at ad quem, servato ordine, et methodo appellationum? Ad synodum provincialem, vocatis vicinae provinciae Episcopis. Itaque hoc unum sibi voluerunt utroque illo canone Antiocheni Patres, ut ei, qui omnium consensu Episcoporum damnatus fuerat, appellandi ad synodum provincialem potestas denegaretur, concederetur autem ei, in cujus judicio discordes fuerant sententiae Episcoporum. Uterque casus non agit de judicio aut jam acto, aut rursus agendo intra illius provinciae fines; non de judicio, quod, provinciali absoluto, a superiore ferendum erat. Quid igitur Antiochenum canonem 15. convertimus, et traducimus ad superiorem auctoritatem Concilii plenarii, aut Romani Pontificis, quorum nulla mentio, ac plane nullum indicium est, et quorum Antiocheni Patres ne volentes quidem potestatem imminuere, aut labefactare potuissent? Quod si adhuc hunc canonem, invita recta ratione, et veritate, ita interpretari quis velit; ut Episcopo omnium Episcoporum suae provinciae sententia damnato, cum se aliqua de causa damno, et injuria affectum sentit, omnis sit interdicta appellatio, aut judicii renovatio, fateatur necesse est, eum hoc sensu neque a Latina, neque a Graeca Ecclesia umquam fuisse receptum; cum semper in Occidente, et Oriente usitatae fuerint appellationes, semperque viguerit auctoritas Sardicensium recentiorum canonum, qui dum integras reliquerunt appellationes, hunc Antiochenum canonem emendarunt, simulque caverunt, ut jus Sedis Apostolicae in appellationibus nihil caperet detrimenti. Non igitur ex Nicaeno, aut Antiocheno canone ullum educi argu-

mentum potest, ex quo efficiatur, tam firmum, et sanctum habitum fuisse judicium synodorum provincialium, ut ab eo provocari non posset (7). Quod vero ait Petrus de Marca, id antea traditione fuisse receptum, falsissimum est, neque id ipse demonstrare potest; sed contra, quae occurrunt, vetera appellationum exempla, de quibus postea disseremus, longe aliud ostendunt.

(1) Concilium Antiochenum *cap.* 15. *tom.* 2. *Concil. Labbaei col.* 601.

(2) Innocentius I. *ep.* 7. *cap.* 3. apud Coustantium *col.* 799.

(3) Baronius *ad an.* 341. *num.* 1. *seqq.* *tom.* 4. *pag.* 360. *seqq.*

(4) Schelestrates *Sac. Antiochenum Concilium pro Arian. Conciliab. passim habitum nunc vero prim. auct. suae restit.*

(5) Tillemontius *Memoir. pour servir a l' Histoire Ecclesiast. art.* 24. *tom.* 6. *pag* 321. *edit. Venet.* 1732.

(6 Ballerinii in S. Leonem *observat. cap.* 6. *tom.* 2. *col.* 943. *et de antiq. collect.* §. 2. *pag.* 25. *tom.* 3.

(7) Ceillerius *Histoire generale des auteurs sacrés chap.* 29. *tom.* 4. *pag.* 646. *edit. Paris.* 1733.

(8) Videndus Berardus *in jus eccles. univers. dissert.* 2. *cap.* 1. *tom.* 1. *pag.* 33. *seqq. edit. Venet.* 1789.



# DE CONCILIO CONSTANTINOPOLITANO, ET CHALCEDONENSI.

## CAPUT III.

*In his duobus Conciliis minime agitur de Romanis appellationibus.*

### §. I.

Parvi momenti est canon 11. Concilii Constantinopolitani, et canon 6. Concilii Chalcedonensis, quos etiam contra Romanas appellationes afferri intelleximus; cum neuter eorum mentionem ullam faciat Romani Pontificis, ad eumque appellationes rejiciat. Sed illud accedit, quod neque Constantinopolitanos, neque Chalcedonenses canones Romana Ecclesia accepit; ac de illo quidem praeclarum extat testimonium S. Gregorii M. (1), qui ita scriptum reliquit: „ Romana Ecclesia canones synodi Constantinopolitanae hactenus non habet, nec accepit „. Imo neque alibi fuisse receptos, ostendunt exempla appellationum, de quibus inferiori loco disputabimus. Chalcedonenses quoque canones minime probavit S. Leo M., qui pluries in suis literis scribit, ab se acta ejus concilii fuisse approbata *in sola fidei causa*; neque certe in ejus scriptis ullus est locus, ex quo confici videatur posse, eum Chalcedonenses canones confirmasse (2). Ceteri Pontifices numquam eos canones ratos habuerunt, semperque obstiterunt praerogativis Episcopi Constantinopolitani, quae iis canonibus stabilitae fuerant (3). Adde quod iidem canones ad rem nostram nihil pertinent. Est enim canon 9. conceptus his verbis: „ Si quis clericus adversus clericum habet negotium, non deserat proprium Episcopum, et ad saecularia percurrat judicia, sed prius actio ventiletur apud Episco-

„ pum proprium, vel certe consilio ejusdem Episcopi, apud „ quos utraeque partes voluerint judicium obtinebunt . . . . „ Quod si clericus habet causam adversus Episcopum pro„ prium, vel adversus alterum, apud synodum provinciae „ judicetur. Quod si adversus ejusdem provinciae Metropo„ litanum Episcopus, vel clericus habet querelam, petat aut „ Primatem dioecesis, aut Sedem Regiae Urbis Constantino„ politanae, et apud ipsam judicetur. „ Canone autem 17. habentur haec: „ Quod si quisquam a suo Metropolitano „ laeditur, apud Primatem dioecesis, aut S. Constantinopoli„ tanam Sedem judicetur, sicut superius dictum est. „ Nulla hic appellationis ad Supremum judicem mentio; imo si ita nonus ille canon explicetur, ut Orientalibus liceat apud Episcopum Constantinopolitanum judicium instituere, relicto proprio Metropolita, multo magis licebit coram omnium Episcoporum Capite judicium exercere. Sed non ita eum canonem intelligendum esse monet Christianus Lupus (4), cum nullus umquam Constantinopolitanus Episcopus sibi hujusmodi privilegium facto arrogaverit. Imo horum canonum, et Patriarchatus Constantinopolitani magnus vindex Justinianus in legibus Novellis ad Petrum officiorum Magistrum datis diserte statuit, coram proprio Patriarcha omnino agendum esse adversus Metropolitas, easque leges veluti accurate observatas suo Nomo-canoni inseruit Photius, consentiuntque Theodorus Balsamon, Joannes Zonaras, Matthaeus Blastares, aliique canonum Graeci interpretes, qui omnes affirmant, cunctarum controversiarum judicia ex uno ad alium Patriarchatum traduci non posse.

(1) S. Gregorius M. *lib.* 7. *ep.* 34. *opp. tom.* 2. *col.* 882. *edit. Paris.* 1705.

(2) Confer Bartholum *Instit. Jur. canon. cap.* 30. §. 9. *pag.* 233. *seqq.*

(3) Videsis eumdem Bartholum *loc. cit.*

(4) Christianus Lupus *in not. ad eumd. canon. opp. tom.* 2. *pag.* 78., *et cap.* 4 *loc. cit. pag.* 129.

§. II. Quid vero de illa dicemus perabsurda sententia Petri de Marca, qui olim laicorum Principum fuisse affirmat praecipere, et mandare revisiones causarum Episcopalium; et ideo Sardicenses canones potestate illa, quam in Romanos Pontifices contulerant, eosdem participes fecisse juris Augu-

stalis? Contra hoc commentum gravissime, verissimeque invehitur Christianus Lupus (1). qui illud *numquam evomuisse* monet acerbiorem inimicum, atque hostem Sedis Apostolicae, non ipsum Nicomediensem Eusebium, non Photium, nec forsitan Michaelem Cerularium, multoque minus Remensem Hincmarum. Sed nos alio loco demonstravimus, nihil ad laicos Principes ecclesiastica negocia, et causas pertinere; ac bene idem Lupus Gallicano Scriptori de Marca opponit verba Ludovici Pii, qui in capitularibus Regum Francorum.(2) ita loquitur „ Placuit, ut accusatus, vel judicatus a comprovincialibus in aliqua causa Episcopis licenter appellet, et adeat „ Romanae Ecclesiae Pontificem, qui aut per se, aut per suos „ vicarios retractari ejus negotium procuret; Et dum iterato „ judicio Pontifex causam suam agit, nullus alius in ejus loco „ ponatur, aut ordinetur Episcopus; quoniam quamquam „ comprovincialibus Episcopis accusati Pontificis causam scrutari liceat, non tamen definire inconsulto Romano Pontifice „ permissum est, cum B. Petro Apostolo non ab alio, quam „ ab ipso Domino dictum est: quaecumque ligaveris super „ terram erunt ligata et in coelis, et quaecumque solveris super terram erunt soluta et in coelis. „ Et paulo post: „ Ut „ omnes Episcopi, qui in quibusdam gravioribus pulsantur, „ vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, libere Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam, quasi ad matrem, „ confugiant, et ab ea, sicut semper fuit, praefulciantur, defendantur, et liberentur. Cujus dispositioni omnes majores „ ecclesiasticas causas, et Episcoporum judicia antiqua Apostolorum, eorumque successorum, atque canonum auctoritas reservavit. Quoniam culpantur Episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quam ejusdem Sedis Papae fieri placuerit; canonibus quippe jubentibus, in talibus absque Romano nihil decerni Pontifice, nec ad synodum Episcopum convocari debere, et quidquid ex his, ea inconsulta praesumptum fuerit, viribus carere. „ Affert etiam Lupus contra de Marca aliquam saltem in ecclesiasticis judiciis adscribentem auctoritatem laicis Principibus illud S. Athanasii (3) de Imperatore Constantio: „ Quis enim videns illum iis, qui „ Episcopi putantur, praefici, in ecclesiasticisque judiciis praesidere, non merito dicat, illum esse eam ipsam abomina-

„ tionem desolationis, quae a Daniele praedicta est? Nam
„ cum amictus sit Christianismo, et in loca sancta penetret
„ et inibi consistens devastet Ecclesias abrogans canones,
„ et vi agens, ut sua obtineant decreta, quis numquam
„ audebit dicere, hoc tempus Christianis pacatum esse,
„ non potius persecutionem? Et talem persecutionem, qua-
„ lis nec antea fuerit, et qualem fortasse nemo omnquam
„ fecerit, nisi filius ille iniquitatis? „ His nimirum verbis
utebatur Athanasius, cum Eusebiani sibi adversariam sen-
tientes Mediolanensem synodum, quam postulaverant,
aliud de Athanasio judicium in palatio habendum curarent.
Neque mirum, falsissimam illam sententiam literis consi-
gnasse Petrum de Marca, qui suos illos scripsit de concor-
dia Sacerdotii, et Imperii libros, cum Praeses esset Curiae
Parlamenti, velletque videri non valde inimicus Ecclesiae,
revera tamen extollere velle laicam potestatem. Neque illud
minus vere, et recte eadem de re scribit Lupus (4).
„ Tertius error est, quod damnatis Episcopis, aut clericis
„ olim nullum suppeteret remedium, nisi refugium ad rescri-
„ pta Principum. Etenim usque ad M. Constantinum Princi-
„ pes erant Gentiles, professi hostes Ecclesiae, ac persecuto-
„ res Episcopalium synodorum. Quis tum ad ipsos accedere
„ poterat ad postulandam majorem synodum? Quis umquam
„ accessit? Nullum suppetit exemplum, nisi forsitam facino-
„ rosi Pauli Samosatensis? (5) „ Neque vero de Marca senten-
tiam suam confirmare potest exemplo Donatistarum, quos ad
Constantinum Imperatorem confugisse tradit Optatus Milevi-
tanus. Quis enim mirabitur, facinorosos, et schismaticos ho-
mines abnormem hanc appellandi methodum adhibuisse, ut a
laico Principe extorquerent, quod Ecclesiae judicio sese con-
sequi posse diffidebant? Verum Constantinus negocium hoc
ad se pertinere negavit, illosque misit ad Melchiadem Ponti-
ficem; rogavit tamen, ut etiam Gallicani Episcopi judices a-
djungerentur, ut Donatistis gratiae aliquid tribuere videretur.
Atque hoc ipsum Donatistarum factum memorat Augustinus
(6), qui Coecilianum non ad Principem deferri, neque ab eo
judices postulari, sed transmarinos implorari Antistites, hoc
est Romanum Pontificem, debuisse animadvertit. Itaque de
Marca nullum proferre potest idoneum monumentum, ut effi-

ciat, ante synodum Sardicensem Clericos, et Episcopos post ecclesiastica judicia a Principum rescriptis opem, et praesidium obtinuisse. Fuere quidem postea sub Christianis Principibus Episcopalium causarum augustae delegationes, sed tantum ab Ecclesia approbatae sunt, quae sacris canonibus convenirent, neque de his loquitur de Marca, qui Sardicensi ipso concilio jus Principis imminutum, atque ad Summum Pontificem translatum contendit.

(1) Christianus Lupus *de Roman. appellat. opp. tom* 8. *pag.* 98. *cap.* 26.

(2) Capitulare Ludovici Pii *addit. IV. cap.* 29. apud Baluzium *Capitul. Reg. Francor. tom.* 1. *col.* 604. *edit. cit.*

(3) Athanasius *Histor. Arian. ad Monach. num.* 77. *opp. tom.* 1. *par.* 1. *pag.* 308. *edit. Patavii* 1777.

(4) Lupus *de Roman. appellat. opp. tom.* 8. *cap.* 19. *pag.* 74.

(5) Rem narrat Eusebius *Histor. Eccles. lib.* 7. *cap.* 30. *pag.* 319. *edit. cit.* his verbis: „ verum cum Paulus ex Episcopi domo ejus Ecclesiae propria » exire nollet, Imperator Aurelianus ea de re rogatus sententiam, sanctissime, » quid esset agendum, decrevi. Praecepit enim, domus Ecclesiae illis tribue» retur, quibus Christiani Italiae, et Urbis Romae Episcopus per literas tribuendam praescriberent. „

(6) Augustinus *ep.* 105. *num.* 8. *opp. tom. col.* 2. 299.

# DE
# CONCILIO SARDICENSI

## CAPUT IV.

*Ab hoc Concilio repetenda non est origo Romanarum appellationum, neque in eo actum de simplici causae revisione. Ejus canones ab Orientalibus recepti. Sardicense Concilium OEcumenicum fuit. Sardicenses canones pro Nicaenis habiti.*

### §. I.

Jam igitur omnis sit disputatio de canonibus Concilii Sardicensis, ex quibus de Marca primam in judiciis Episcoporum juris Pontificii originem repetendam putat. Id si verum esset quo jure Julius P. ad Eusebianos (1) scribere potuisset? „ Non solum Athanasius, et Marcellus Episcopi huc se contulerunt, ac secum injuste actum esse conquesti sunt, sed „ et plurimi alii Episcopi ex Thracia, Caelesyria, Phaenicia, „ Palaestina, et una Presbyteri non pauci, et alii quidem Alexandria, alii ex aliis partibus ad synodum huc coactam accesserunt, qui praeter alia, quae in medium protulerunt, „ conquesti sunt insuper, Ecclesias vim, injuriamque esse „ perpessas, ac in suis, aliisque Ecclesiis paria iis, quae Alexandriae gesta esse asseveraverunt non solum verbo, sed „ rebus ipsis. Ex Ægypto quoque, et Alexandria cum denuo „ supervenissent Presbyteri, literas secum attulere, quibus „ plurimorum Episcoporum querimonia continebatur, se, „ cum huc ad concilium pergerent, detentos fuisse, atque „ etiam nunc detineri „ Ecce etiam ante Sardicensem synodum inferior clerus pari cum Episcopis jure Romam provocabat. Hujus autem appellationis exitum ipse Julius declarat (2), literis ad Eusebianos, *et ad Clerum Alexandrinum.* Si judicium synodi provincialis tam firmum, et sanctum esse debuis-

set, ut nonnisi rescripto Principis res iterum cognosci posset, haud illa certe Romana appellatio, praesertim obsistentibus Eusebianis, probari potuisset. Nihil autem refert, uti rectissime observant Fratres Ballerinii (3): „ si Athanasius appellationem proprie non interposuit, quando delata ad Romanam Sedem ejus condemnatione ab Eusebianis Athanasii hostibus, ut Summum Pontificem praeoccuparent, ille quoque suos legatos ad Pontificem misit, et Romam accitus ad judicium accurrit, et hoc judicium, in quo sententiam retulit, non primae, sed secundae cognitionis judicium fuit anterioris retractatorium, et a tota Ecclesia approbatum. „ Non enim ipsa appellatio per sese displicet Petro de Marca, Quesnello, ceteris, eaque ab iis vehementer impugnatur, sed judicium secundae cognitionis, cui primae cognitionis judicium subjicitur. Quare si in causa Athanasii itum est ad Sedem Apostolicam, ut altero judicio primum emendaretur, quod revera emendatum est, neque synodi provincialis sententia causa finiebatur, neque Principis rescriptum unum erat perfugium, et praesidium eorum, qui priori judicio victi fuerant.

(1) Julius P. *ep. ad Eusebian.* num. 18. col. 279. apud Coustantium.

(2) Confer Julii epistolam *ad Eusebianus*, itemque ejusdem *epistolam ad Clerum Alexandrinum* apud Coustantium *col.* 354. et 399., et epistolam Concilii Sardicensis *ad Ecclesiam Alexandrinam tom. 2. Concil. collect. Labbaei col.* 698. et Sozomenum *Histor. lib.* 3. *cap.* 11. *pag* 99. *edit. Taurin.* 1747.

(3) Fratres Ballerinii *opp. S. Leonis tom.* 2. *cap.* 5. *num.* 13. *pag* 935.

§. II. Sed videndum est diligentius, quid Sardicensibus canonibus provisum, prospectumque fuerit. Sunt autem hi canones, qui ad rem nostram pertinent, apud Dionysium Exiguum canones III., IV., et VII., qui postremus in Graeco rectius est canon V. Canonis III. tantum postrema pars ad hunc locum referenda est, eaque idcirco in MSS. aliarum Latinarum collectionum separato numero describitur, atque his est concepta verbis: „ Si aliquis Episcoporum judicatus fuerit in aliqua causa, et putat se bonam causam habere, ut iterum „ concilium (*aliae collectiones Latinae cum Graecis habent* „ *judicium*) renovetur. Si vobis placet, S. Petri Apostoli me„ moriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam exa-

" minarunt, (*aliae collectiones Latinae addunt, vel ab E-*
" *piscopis, qui in proxima provincia morantur*) Julio Ro-
" mano Episcopo; et si judicaverit, renovandum esse judi-
" cium, renovetur, et det judices. Si autem probaverit talem
" causam esse, ut refricentur ea, quae acta sunt, quae decre-
" verit confirmata erunt. Si hoc omnibus placet; synodus re-
" spondit placet " Canon quartus " Gaudentius Episcopus
" dixit: addendum, si placet, huic sententiae, quam ple-
" nam sanctitate protulisti, ut cum aliquis Episcopus deposi-
" tus fuerit in eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis lo-
" cis commorantur, et proclamaverit, agendum sibi nego-
" cium in Urbe Roma, alter Episcopus in ejus cathedra post
" appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino
" non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Roma-
" ni determinata. " Denique canon septimus, seu quintus ha-
bet haec " Osius Episcopus dixit; placuit autem, ut si Epi-
" scopus accusatus fuerit, et judicaverint congregati Episcopi
" regionis ipsius, et de gradu suo eum dejecerint, si appel-
" laverit qui dejectus est, et confugerit ad Episcopum Roma-
" nae Ecclesiae, et voluerit se audiri, si justum putaverit, ut
" renovetur judicium, vel discussionis examen, scribere his
" Episcopis dignetur, qui in finitima, et propinqua provin-
" cia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, et juxta fidem
" veritatis definiant. Quod si is, qui rogat, causam suam ite-
" rum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum,
" ut de latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Epi-
" scopi quid velit, et quid aestimet. Et si decreverit, mitten-
" dos esse, qui praesentes cum Episcopis judicent, habentes
" ejus auctoritatem, a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio.
" Si vero crediderit, Episcopos sufficere, ut negocio terminum
" imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo judicave-
" rit. " Notum est omnibus, hos canones conditos fuisse con-
tra Eusebianos, qui condemnato S. Athanasio, ut ei spem
omnem adimerent restitutionis, in Pseudo-synodo Antioche-
na Gregorium successorem elegerant. Itaque Sardicenses Patres
sicuti dederant synodicas literas, ut Athanasium innocentem,
suaeque Sedi restitutum declararent, ita hos canones edidisse
videntur, ut injustas querelas repellerent contra Julium Pon-
tificem, quasi ipse Orientalium jura violasset, cum ipsius A-

thanasii, et aliorum Orientalium Episcoporum, qui Romanam Sedem appellaverant, causas post eorum depositionem judicandas susceperat. Ajebant enim, uti constat ex Julii epistola ad eos data, atque ex ipsorum Pseudo-synodo Sardicensi, quod sicut Orientales suo judicio non subjecerant causas ab Occidentalibus definitas, ita neque his, neque Summo Pontifici licebat de Orientalium negociis aliquod ferre judicium, eaque infirmare, atque convellere, quae eorum synodis decreta fuerant.

§. III. Jam igitur scrutemur verba, ac sententias canonum, quorum tertius his verbis: *Si aliquis Episcoporum judicatus fuerit in aliqua causa*: sine dubio significat condemnationem, sive depositionem Episcopi, ut colligitur ex canone IV., in quo sermo est de Episcoporum depositione. Verba autem *addendum si placet huic sententiae* perspicue demonstrant, hunc canonem ad superioris argumentum pertinere. Hinc Dionysius (1), damnati Episcopi mentionem facit „ quod si da„ mnatus appellaverit Romanum Pontificem etc. „ idemque Dionysius, et Auctor collectionis Quesnellianae, praeterea Ferrandus (2), eo loco rem sese existimarunt de appellatione ad Summum Pontificem, propterea quod ei res tota decernenda committitur. Verum si de propria, ac germana appellatione ageretur, eaque ad Sedem Apostolicam, profecto Osius in canone eamdem diserte expressisset, uti expressit in canone VII. seu V.; neque ea de re decretum iteratum fuisset initio canonis VIII. Certe ipsa canonis III. verba manifestum faciunt, eum tantum spectare Episcopum, qui prima cognitione damnatus, ut fieri solebat, a suae provinciae Episcopis, novum postulabat judicium „ putans se bonam causam habere, ut iterum „ concilium renovetur „ quod quidem judicium, cum nulla interposita fuerat ad Sedem Apostolicam expressa appellatio, a finitimis Episcopis in concilio congregatis ferri consueverat. Antequam ergo id fieret., Episcopi, qui primum judicium tulerant, juxta Dionysii versionem, vel etiam alii, qui in proxima provincia commorabantur, juxta alias Latinas collectiones, quique de Episcopi depositione judicare debebant, ad Summum Pontificem ea de re scribere jubentur, ut si ipse judicium renovandum putet, ejus causae judices constituat; secus vero quae priori judicio decreta fuerant, rara firma haben-

da sunt; atque hoc est, quod Osius ad honorandam memoriam S. Petri decerni postulavit, quodque Concilii Patres decreverunt. Nam ecclesiastica lege, uti patet ex Concilio Antiocheno I. (3), cautum erat, ut si in Episcopi condemnatione inter se non convenirent sententiae Episcoporum, novum a Metropolita cum aliis quibusdam alterius provinciae Episcopis judicium ageretur. Hanc legem Osius, ut *B. Petri memoriam honoraret*, temperandam putavit, eaque de causa voluit, ut hoc novum judicium, quod hactenus sine venia Sedis Apostolicae fieri consueverat, in posterum fieret eadem consulta Sede, quae judices daret, posteaquam renovandum esse decreverat.

(1) Dionysius *in titulo can.* 3. *tom.* 2. *Concil. col.* 672.
(2) Ferrandus *Breviar. can.* 59. *tom.* 1. *thes. Meerman. p.* 151.
(3) Concilium Antiochenum *can.* 14. *tom.* 2. *Concil. col.* 591.

§. IV. Nova res erat, atque insueta, quam Osius proponebat, neque habebat legem ullam, quae id faciendum praescriberet, sed tantum suae in Apostolicam Sedem observantiae argumentum exhibebat; quod et a ceteris Patribus exhibendum cupiebat, idcirco ea formula usus est: *si placet, honoremus memoriam B. Petri*, quasi dicere voluerit, is quoque honos mihi habendus videtur Sedi Apostolicae, ut ipsum secundum judicium, quod agendum est, antequam ad illam postrema appellatio deferatur, nonnisi ea consulta fiat, ut ipsa videat, num ea res novo sit digna judicio, judicesque constituat. His porro verbis nulla omnino comprehensa est dubitatio de jure Sedis Apostolicae in appellationibus; tantum novus honos proponitur exhibendus memoriae B. Petri, ut post primum judicium alterum non permittatur, nisi illud Sedes Apostolica de re omni certior facta permittendum judicet. Quis autem ad eam ire debet hujus novi judicii causa? Res incerta, et obscura non esset, si eo canone de appellatione ageretur. Nemo enim ignorat, hanc esse interponendam ab eo, qui priori judicio victus est. Verum in canone III. ne unum quidem est verbum hujus hominis, qui cum causa cecidisset, novum postulat judicium, ut primum infirmetur. Judices, qui *causam examinarunt*, jubentur scribere *Julio Romano Episcopo*, non ut ipse confirmet, aut in-

firmet priorem sententiam, in quo sedet vis tota appellationis, sed ut videat, num ob rei gravitatem, vel ob injustitiam sententiae novi judicii periculum sit faciendum. Re cognita, ubi alterum instituendum videtur judicium, hoc minime agitur a Summo Pontifice, a quo agi deberet, si ad eum facta fuisset appellatio, sed tantum *dat judices*, quod rectissime statutum est, ut alterum hoc judicium accuratius, et facilius expediatur. Cum enim secundum Antiochenum canonem XIV. Metropolita ex propinqua provincia *alios evocare deberet Episcopos* judicatus; melius profecto, et citius negocium confici poterat a Romano Pontifice, qui propter Primatum suum in omnes Ecclesiae provincias jurisdictionem habebat, quam a Metropolita, qui per se ipsum in Episcopos alienae provinciae nihil juris obtinebat. Verum eadem formula in reliquis canonibus, in quibus agitur de appellatione proprie dicta ad Summum Pontificem, minime usurpata est, cum Patres recte intelligerent, in iis comprehendi jus proprium Sedes Apostolicae, non merum honorem alias non necessarium. Mirum est, Quesnellum putare, verba illa *si vobis placet* esse trepidantium, et dubitantium; cum formula sit communis decernentium, ut ex innumeris ecclesiasticis monumentis, atque etiam ex ethnicis apud Brissonium compertum est.

§. V. Veram appellationem ad Sedem Apostolicam, non petitionem novi judicii, continet duo, qui sequuntur, canones, nimirum IV. et V. sive VII., et hinc postremum hunc canonem, non III. laudavit Zosimus (1), ut ostenderet, propriam, ac veram appellationem a Sardicensi Concilio fuisse confirmatam. In his duobus canonibus non agitur de novo aliquo honore exhibendo, per quem *honoretur memoria B. Petri*, sed agitur de jure Sedis Apostolicae, eoque jam omnibus comperto, ac longo usu probato. Itaque hoc jus non constituitur, sed jam constitutum ponitur, modusque datur, quo post interpositam appellationem judicium in provincia exercendum est, si Romanus Pontifex illud Romae agere per se ipsum nolit. Canon IV. pertinet ad Episcopum, qui duo pertulerat sibi adversaria judicia, alterum Episcoporum provinciae, alterum finitimorum, quos Romanus Pontifex judices dederat, uti decretum fuerat canone superiori,

Quid reliquum erat huic Episcopo, ut post duo judicia tertium fieret? Una videlicet ad Sedem Apostolicam appellatio restabat, et hoc appellationis judicium duobus modis fieri poterat, primo si Pontifex per se ipsum causam noscere Romae vellet, altero, si eam aliis judicibus committeret. Primus, ille modus nullo indigebat praescripto unius, alteriusve methodi: at modus alter, in quo non una poterat adhibere methodus, explicandus erat accuratius, ut omnis in posterum ea de re disputandi locus removeretur. Itaque in canone IV. si Episcopus duobus judiciis depositus *proclamaveri agendum sibi negotium in Urbe Roma*, nihil aliud decernitur, nisi ut vis priorum judiciorum, uti fert natura appellationis, suspensa sit, neque alius ordinetur Episcopus, *nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata*. Quod sancitum est contra Eusebianos, qui, cum adhuc penderet Athanasii judicium, ei Gregorium surrogaverant. Quod si Pontifex malit aliis negocium committere, quam per sese Romae cognoscere, id fieri potest duobus modis, primum, si *ipse scribere his Episcopi dignetur, qui in finitima, et propinqua provincia sunt*, ut causam noscant, atque definiant; deinde si totius negocii expediendi causa *de latere suo Presbyterum mittat*, aut plures etiam Presbyteros, *qui praesentes cum Episcopis judicent*. Uterque modus *delegationem* continet, hanc quidem rariorem, et difficiliorem, illam autem magis obviam, et expeditam; integrum tamen est Summo Pontifici alterutrum ex propositis modis suo lubitu eligere, sive, ut in canone scriptum est; *erit in potestate Episcopi Romani, quid velit, et quid aestimet*: quod paulo mutatis verbis bis, ac tertio repetitur, ut nulla prorsus de hac potestate, et arbitrio dubitatio esse possit. Tres hi canones, quos exposuimus, omnes pertinent ad Summum Pontificem, sed inter eos hoc discrimen est: quod tertius jus novum constituit, ideoque Osius Patres rogat, ut *honoretur memoria B. Petri* (2), neque in posterum post primum judicium alterum fiat, nisi Romanus Pontifex faciendum decreverit, secus ac antiqua lex, et consuetudo praescribebat; contra vero canones quartus, et quintus confirmant jus constitutum, ideoque Osius non postulat a Patribus, ut jus appellationum constituant, sed illud firmum, certumque habet, eoque posito proponit modum, quo post

appellationem judicium exerceatur. Re non antea constituta, probata, recepta, nonne ridiculum fuisset rei tractandae modum constituere? Neque in hoc solum, quod hi tres canones omnes ad Summum Pontificem referuntur, sed in eo etiam, quod omnes depositum Episcopum respiciunt, eorum nexus, et conjunctio est. Canon tertius pertinet ad Episcopum uno tantum judicio depositum, reliqui duo canones ad Episcopum depositum duobus judiciis, nimirum Episcoporum provinciae, et Episcoporum provinciae finitimae, quos Summus Pontifex secundum superiores canones judices dederat; et hanc conjunctionem evidenter ostendunt verba canonis IV., *addendum, si placet, huic sententiae, quam plenam sanctitate protulisti etc.*; unde patet, hunc canonem additamentum esse, atque appendicem superioris. Addendum scilicet, ut si Episcopi depositio ab Episcopis provinciae primo judicio decreta confirmata fuerit secundo judicio Episcoporum, qui in vicinis locis commorantur, quamquam utraque sententia concors, et consentiens fuerit, tamen depositio vim, et exitum habere non debeat: cum Episcopus Romanam Sedem appellavit.

(1) Zosimus *in Commonitor.* quod an. 418. dedit Legatis apud Coustantium *col.* 981.

(2) Rectissime observant Fratres Ballerini, eam formulam in hoc tantum canone usurpatam fuisse *tom. 2. opp. S. Leonis observ. in 1. par. dissert. 5. Quaesnelli num. 8. col.* 947., quoniam hoc tantum canone novum jus Romano Pontifici tributum est.

§. VI. Hic sane verus est sensus Sardicensium canonum, quem ex Latina eorum lectione expressimus, quae hoc praesertim in canone eadem non est tum in omnibus mss. Dionysii, tum in codicibus sex aliarum collectionum, quae licet in radice cum Dionysiana in canonibus Sardicensibus conveniant, a Dionysio tamen non prodeunt, nimirum Veronensis, Vaticana Reginae, Barberina, Lucensis, Quesnelliana, et Hispanica (1): ex quo vel maxime confirmatur, quod expresse affirmat Dionysius Exiguus (2), horum canonum authographum Latinum fuisse, cum interpretationes ex Graeco diversae originis tantam similitudinem conservare non possent, Hinc etiam congruit eorumdem canonum lectio cum lectione

duorum canonum, qui ex Romano archivo educti a Zosimo in Apiarii causa, et Faustini Legati commonitorio inserti in Concilio Carthaginensi an. 419. lecti sunt (3). Non inficiamur, quod canonis IV. Lectio Graeca tam expresse non memorat appellationem, ac judicium in Urbe exercendum, ut memorat diserte lectio Latina; verum canon Latine, non Graece conceptus fuit. Accedit quod res eadem non obscure in Graeco indicatur iis verbis, quibus nulla prorsus memorata nova aliorum judicum delegatione, exigitur ipsius Romani Episcopi judicium, ut causa finiatur „ Si quis Episcopus fuerit „ depositus judicio Episcoporum, qui sunt in vicinitate, et „ dicat rursus sibi defensonis locum competere, non prius „ in cathedram ejus alius substituatur, nisi Romanus Epis„ copus cognoscens de hoc finem imposuerit. „ Profecto „ qui potest per judices ab se delegatos, vel per Legatum causas cognoscere, eodem jure potest et per se illam definire; imo jus delegandi ampliorem continet jurisdictionem, quoniam is, qui delegat, illam per se ipsum exercere, et aliis tribuere potest. Ipsa sane Osii formula, qua canone VII. seu V. delegatio finitimorum Episcoporum, vel Legati missio proponitur per verba *scribere dignetur*, non legem Pontifici impositam, sed faciliores, et expeditiores respicit modos cognoscendarum in provincia appellationum per Episcopos ab eodem Pontifice electos, neque hic prohibetur, ubi expedire videat, extra provinciam causas Romae, aut etiam alibi cognoscere. Ita Julius Romae Athanasii causam judicavit, quod probatum est Patribus Sardicensibus, qui etiam datis ad eumdem Julium literis graviter reprehenderunt Eusebianos (4), quia conventi „ per Presbyteros tuos, et per epistolam ad „ synodum, quae futura erat in Urbe Roma, venire noluerunt. „ Et in epistola ad omnes ubique Catholicae Ecclesiae Episcopos (5). inquiunt, „ Accersiti (*Eusebiani*) a di„ lecto nostro Comministro Julio judicio non steterunt, et „ ex ipsius Julii literis manifesta illorum sycophantia ap„ paruit; accessissent enim, si actorum suorum in commini„ stros nostros fiduciam habuissent; fraudem tamen suam „ per ea, quae in hac sacratissima synodo gesserunt, longe „ manifestius declararunt. „ Nemo certe plus Patribus, qui Sardicenses canones condiderant, scire poterat, quid iis de-

cretum fuisset ; atqui cum hi Eusebianos increpant , quod Romam vocati venire noluissent . manifestum faciunt, Romanum Pontificem eos Romam ad judicium vocandi jus, et potestatem habuisse. Secus enim quinam fuisset eos reprehendendi locus ? Neque secus Graeci ipsi Sardicenses canones intellexerunt, antequam in Photianum schisma delaberentur; nimirum Summo Pontifici integrum esse declararunt , sive per Legatos , sive per semetipsum causas judicare. Sic celeberrimus eorum interpres Theodorus Prodromus, in opere , cui titulus περί ερμηνείας κανόνων, cujus in canones Sardicenses haec verba sunt , quae ex eodem opere mss. edidit Nicolaus Comnenus Papadopulus (6). „ Semper et in omnis „ judicio damnatis licet Romanum Episcopum appellare , at- „ que eo jubente iterum judicari vel ab ipso, vel ab ejus „ Legatis. „

(1) Confer Fratres Ballerinos *in 1. par. dissert.* 5. *Quesnelli num.* 11. *opp. S. Leonis M. tom.* 2. *col.* 949.

(2) Dionysius *in epist. ad Stephanum Salonitanum statuta quoque* , inquit, *Sardicensis concilii , atque Africani, quae Latine sunt edita. Concil. Labbaei tom.* 1. *col.* 2.

(3) Consule Fratres Ballerinos *loc. cit., et in dissert. de collect. canon. opp. S. Leonis M. tom* 3. *pag.* 99.

(4) Concil. *collect. Labbaei tom.* 1. *col.* 690.

(5) Ibid. *col.* 699.

(6) *Praemot Mystag. pag.* 367.

§. VII. Jamvero ex his canonibus Concili Sardicensis quiquis non praejudicata opinione, sed tantum amore trahitur veritatis , facile intelligit, quam falso de Marca, et Quesnellus contendant, primam huic concilio deberi earum appellationum originem. Nam in duobus canonibus IV.. et V , seu VII. ne unum quidem est verbum , ex quo vel conjectura quis duci ad suspicandum possit , novum aliquod jus fuisse constitutum. Non loquendi modus , non verba , neque tacita voluntas Patrum argumento esse potest , quod Summo Pontifici tunc primum tributum fuerit jus accipiendarum appellationum, aut Episcopis earum interponendarum facultas; imo vero utrumque ponitur tamquam exploratum, et jam antea receptum, ac solum canone V. sive VII. designatur modus agendi judicium appelationis, ita tamen ut Summo Pontifici in-

tegrum sit ea in re uti arbitratu suo. Canone autem IV. audacia coercetus eorum, qui pendente appellatione ad Sedem Apostolicam, quasi Episcopus omnino depositus fuisset, alium Episcopum eligere niterentur. Quod quidem in Eusebianis decretum est, qui Athanasii causa Romam delata in Pseudo-synodo Antiochena, uti diximus, Gregorium in ejus locum substituerant. Accedit, quod cum canone VII. declaratur, Apostolicos Delegatos, si a R. Pontifice missi judicent, *habere auctoritatem ejus, a quo destinati sunt*, jus in hujusmodi causis non a concilio tributum, sed proprium, et nativum Summi Pontificis ostenditur, ex vi scilicet Primatus, cujus causa ipse omnibus Occidentis, et Orientis Episcopis non tantum ordine, sed etiam jurisdictione praepositus est. Nec praetereundum, quod cum Valentinianus III. Imperator in epistola Chalcedonensi concilio inserta (1) asseruit, Flavianum Constantinopolitanum Episcopum a Pseudo-synodi Ephesinae sententia Romanam Sedem appellasse *secundum solemnitatem*, seu ex Graeco *secundum solemnem usum conciliorum*, hujus rei originem non a Sardicensi concilio repetit, sed Primatui adscribit. Nam memorato eodem Primatu, ob quem Romanus Episcopus *locum habet*, *et facultatem de fide et Sacerdotibus judicare*, his utitur verbis: *Hoc enim* (Primatus) *gratia secundum solemnitate conciliorum, et Constantinopolitanus Episcopus eum* (Romanum Antistitem) *per libellos appellavit.*

(1) Extat haec epistola inter Leoninas *num.* 55. *opp. S. Leonis tom.* 1 *col.* 96 *edit. Ballerin.*

§. VIII. Hactenus Petrus de Marca, quique in eodem luto haesitat, Paschasius Quesnellus omnem dederunt operam, ut tantum a Sardicensis concilio sumerent Romanarum appellationum originem. Sed hoc dejecti praesidio sese alio vertunt, atque instant, et urgent, in eo concilio haud actum fuisse de appellationibus, sed tantum *revisionem* causae, de qua Episcopi judicium tulerant, Romano Pontifici fuisse concessam. Illud autem inter utramque discrimen constituunt, quod per appellationem cognitio defertur ad judicem superiorem, qui *quaestionem*, ut ajunt, *excutit, et definit in suo tribuna-*

*li*; at contra *revisio definitivum judicium relinquit priori jurisdictioni ea ratione; ut prioribus judiciis novi adjugantur.* Alia haec fallaria est aut par, aut deterior superiore. Nam ad veram appellationem, qualis est, atque ab omnibus vocatur, Sardicenses canones sine dubio referendi sunt. Tertius quidem canon, uti diximus, ad eam non pertinet, tantum decernit, ut Romanus Pontifex, *si judicaverit renovandum esse judicium .... det judices.* Sed veram appellationem manifestam faciunt reliqui duo canones IV. et V. sive VII. In illo decernitur, ut *si Episcopus fuerit depositus judicio Episcoporum, qui sunt in vicinia* (prima haec est appellatio, quae a judicio Episcoporum provinciae progreditur ad Episcopos vicinae provinciae); ac tertium petierit judicium Episcopi Romani (quae tertia, ac postrema appellatio est) *alter Episcopus in ejus cathedra post appellationem ejus qui videtur depositus esse, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.* Habes hic judicium Episcoporum provinciae, quod est primum, et ordinarium; judicium alterum Episcoporum provinciae finitimae, quod appellationis judicium est; tertium denique judicium Episcopi Romani, hoc est postremam appellationem per quam omnis controversiae finis imponitur, et habes non tantum nomen, sed etiam vim, et effectum appellationis, quae priora judicia suspendit, adeout alius Episcopus ordinari nequeat, *nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.* Hinc Episcopus, qui Summum Pontificem appellavit, non depositus dicitur, sed *qui videtur esse depositus*, quoniam ipse ante judicium Episcopi Romani revera depositus non est. Eodem spectant Canon V, seu VII., in quo agitur de appellatione ad Sedem Apostolicam tum post primum judicium Episcoporum provinciae, tum post alterum Episcoporum provinciae finitimae. Primo absoluto judicio si is, qui causa cecidit, *appellaverit, confugerit ad Episcopum Romanae Ecclesiae*, hic rogandus est, ut *scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima, et propinqua provincia sunt*, ut ipsi causam definiant. Si tertium adhuc postuletur judicium, neque illud Romanus Pontifex agere per se ipsum velit, ejus est constituere judices *habentes ejus auctoritatem, a quo destinati sunt.* Quesnelli

error ex falsa opinione manavit Petri de Marca putantis Summum Pontificem per eos canones debuisse causam committere prioribus judicibus, quibus et alii finitimarum provinciarum judices, vel etiam Legatus adjungerentur; verum revisio, non vera appellatio est, cum novum judicium etiam per priores judices absolvendum est. At canon quintus, seu septimus sine ulla obscuritate verborum finitimos designat Episcopos, quo eodem sensu explicanda sunt verba canonis III. *det judices*; verum de prioribus, judicibus in novo judicio adhibendis, ne levissimum quidem indicium est. Quidquid igitur de prioribus judicibus a novo judicio non removendis, ac de priori jurisdictione retinenda dicitur, falsum est, verbisque canonum plane repugnans. Sed ea illud de retractatione in ipsa provincia decernenda commentum refellunt diserta verba canonis IV., et refellit interpres canonum tutissimus usus, et consuetudo, unde constant causas bene multas appellationum Romae actas fuisse; uti opportuniori loco demonstrabimus.

§. IX. At qui Apostolicam Sedem habere negant jus appellationum, non tantum Sardicenses canone pervertunt, sed eos etiam ab Orientalibus minime receptos fuisse contendunt. Quod ut conficiant, id Orientalibus certum, ac firmum fuisse asseverant, quod res in Oriente judicatae nulli essent obnoxiae novo judicio Occidentalium, idque colligunt ex Concilio Antiocheno, atque ex epistola Julii Pontificis, quae id non videtur negare, ac tantum in Athanasii facto insistit. Verum illa non Orientalis Ecclesiae, sed Eusebianae factionis sententia est. Nam ab Eusebianis Antiochena illa synodus est habita, propterea nulla ejus fides, et auctoritas esse potest; ejus vera, ac germana epistola periit, falsaque est, quae in Isidori collectione describitur, uti a Joanne Harduino clarissime demonstratum est. Quin etiam haec eadem epistola ne illud quidem dicit, quod Adversarii volunt, sed solum postulant qui eam scribunt: „Quos a communione suspendimus, a vobis esse „ suspensos, et quos in ordine confirmamus Episcoporum, a „ vobis esse confirmandos, nec nos secundo loco habendos, „ cum ex his partibus ad vos usque dogmatizantes Apostoli „ pervenerint. Nec enim nos vestris resultavimus, quando hoc „ agere potuissemus, quando Novatianus a Romana pulsus

„ est Ecclesia .... Nec crimine carere potest, qui alterius ex-
„ communicatum absque ejus licentia, a quo communione
„ est privatus, in communionem susceperit, canonibus scili-
„ cet jubentibus, ut excommunicatus ab aliis non suscipiatur,
„ viventibus illis, a quibus communione privatus esse digno-
„ scitur. Nec solum in his nobis contumeliam irrogatis, sed
„ etiam in his, quod concilia nostra dissolvitis, neque ea rata
„ sinitis esse. Sunt namque a nobis, et maxime a totius Ori-
„ entis Episcopis damnati Athanasius etc. „ (1), Queruntur ergo quod statuta in Oriente infirmentur in Occidente, propterea sibi injuriam inferri ajunt, quod quilibet Superior, aut Praeses facere posset, si Successor abrogaret, quae pridem ab alio in eodem munere fuerant constituta.

(1) Vide *epistolam Orientalium ad Julium tom. 2. Concil. Labbaei col.* 502.

§. X. Zomenus (1), veram describit epistolam, seu potius summam epistolae, quam tamen et Eusebianis adscribendam monte. Postquam enim dixit, Athanasium, *cum adversaretur Arianis*, fuisse ab iis depositum cum aliis Episcopi Catholicis, ab Episcopo vero Romano *cum singulorum causas cognovisset*, in communionem receptos, addit haec „ Et quoniam
„ propter Sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat,
„ suam cuique Ecclesiam restituit.„ praeterea scripsit Episcopis Orientis eos reprehendens, quod non recte judicassent
„ deditque mandatum, ut quidam illorum omnium nomine ad
„ diem constitutum accederent, perspicue dedeclaraturi senten-
„ tiam, quam de his tulerant, eaquam, et justam esse. Quin
„ etiam minatus est, se de reliquo non passurum, eos inultos
„ esse, nisi novis rebus studere desistant. „ Cum hae literae ad ipsos essent perlatae Antiochiam convenerunt, scripseruntque Julio Pontifici epistolam exquisita verborum elegantia, et oratorio more compositum, nec minarum expertem. Nam ait,
„ quamquam literis suis fatebantur, Ecclesiam Romanam pri-
„ mas apud omnes ferre, quippe quae Apostolorum schola, et
„ pietatis origo, ac metropolis esset, tamen indignati sunt,
„ se posteriori loco haberi, quod magnitudine Ecclesiae supe-
„ rarentur, quippe qui virtute, et animi proposito essent lon-

„ ge superiores. Quin etiam criminis loco Julio objiciebant, „ quod cum Athanasio, et reliquis cum eo Episcopis com- „ municasset. „ Quod aegre ferebant propter abrogatam cum summa injuria eorum sententiam, idque facinus tamquam iniquum, et legi ecclesiasticae adversarium accusabant. „ His „ de causis, *inquit ipse Sozomenus*, cum ad hunc modum „ criminati essent, et sibi factam injuriam testati Julio pa- „ cem, et communionem pollicebantur, si depositionem eo- „ rum, qui ab ipsis fuerant expulsi, et ordinationem illorum, „ qui in priorum locum substituti fuerant, admittere voluis- „ set. Si vero decretis ipsorum resisteret, contraria denuntia- „ bant. Nam et Episcopos Orientis, qui ipsos aetate anteces- „ sissent, nentiquam contradixisse affirmabant, tunc cum „ Novatianus Ecclesia Romana ejectus est. „ Summa haec est epistolae, quam tradidit Sozomenus, et qua idem continetur, quod falsa, quae hinc expressa videtur.

(1) Sozomenus *Histor. Eccles. lib.* 3. *cap.* 8. *pag.* 95. *edit. Taurin.*

§. XI. Huic epistolae rescripsit Julius alia epistola data ad Danos, sive Diognium, qui etiam Diognitus appellatur, fuitque post Eusebium Arianae factionis praecipuus fautor, atque patronus (1). In ea Pontifex queritur, quod illae Arianorum literae pleuae essent contumeliae, et contentionis, quodque in iis adhibita esset eloquentia, quam non adhibere oportebat. „ In rebus enim, *inquit*, ecclesiasticis non ostentatio eloquen- „ tiae quaerenda est, sed canones Apostolici. „ Deinde ostendit, vetustam esse Ecclesiae consuetudinem, ut quae in aliqua synodo decreta sunt, in alia quoque examinentur, idque etiam a Nicaeno concilio statutum ait ( quod quo sensu intelligendum sit, ostendimus, atque hic ipse de Marca „ al- „ ludit, *inquit*, ad synodum Alexandrinam, cui C. Episco- „ pi interfuerunt, in qua damnatus fuit Arius, cujus causa „ de integro jussa fuit in Concilio Nicaeno „ ) idcirco eis indignum videri non debet, ut quae ab illis decreta fuerunt postea novo judicio subjiciantur, praesertim cum eorum Legati synodum postulassent. Deinde pergit ad demonstrandum ipsos potius synodo injuriam intulisse, propterea quod damnatos a Nicaena synodo receperant, et concludit: „ ergo,

„ dilectissimi, oportuit vos huc accedere, et non abnuere; et „ negotium ad finem deducere; id enim ratio postulat. „ Tum inanes refellit excusationes, quas attulerant, ne ad synodum venire cogerentur, propter angustias, rationesque temporis, et statum rerum Orientalium. Transit ad demonstrandam aequitatem sententiae ab se latae pro Athanasio, quod ipse eam dederat ex consilio aliorum Episcoporum, ex fide idoneorum testium, ex iniquitate rerum gestarum in Mareotide, ubi eorum perverse facta improbantur, disserit de Marcelli fide, eique licuisse negat sine consensu Romani Pontificis gradu movere Alexandrinum Antistitem, ubi illud praeclarum, quod supra descripsimus. „ An ignoratis, hanc „ esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, et „ hinc quod justum est decernatur. Si qua hic suspicio in „ ullius Urbis Episcopum cadebat, ad hanc Ecclesiam scribendum fuit. „ Quo ex loco manifestus est error Petri de Marca ajentis, Julium non refutasse Eusebianos contendentes, res Orientis a Romano Pontifice, et in Occidente non esse regnoscendas, sed tantum Athanasii facto inhaesisse. Pluribus hoc argumentum persequitur Christianus Lupus (2); qui cuncta, quae a de Marca proponuntur, non Orientali Ecclesiae, sed Eusebianae factioni tribuenda esse demonstrat.

(1) Julius apud Coustantium *col.* 354.
(2) Lupus *loc. cit. cap.* 28. *tom.* 8. *pag.* 107.

§. XII. Sed quoniam de Marca, Quesnellus, ceteri similes nullam in Oriente fuisse putant Sardicensium canonum auctoritatem, ea de re paulo diligentius quaerendum est. Porro Sardicenses Patres synodicam epistolam scripserunt non tantum Episcopis Lybiae, et Ægypti, sed etiam *omnibus ubique Episcopis, et Comministris Ecclesiae Catholicae*, quae utraque epistola extat apud Athanasium (1); eaque hortati sunt omnes, ut secum de iis, quae ab se constituta fuerunt, una mente consentirent, eaque probarent, et confirmarent. „ Quin potius, *inquiunt*, studete Fratres, et Comministri, „ ut spiritu nostrae synodo praesentes, suffragium vestrum per „ vestram subscriptionem ipsi adjiciatis, ut ab omnibus ubi-

„ que comministris nostris concordia servetur „, quod teste ipso Athanasio (2), Catholici Episcopi praestiterunt. Revera Concilio Orientales Episcopos complures interfuisse, ejusque decreta confirmasse, certum est Nam. Athanasius (3), postquam de dolis egerat, et fallaciis Eusebianorum, deque eorum fuga a concilio scribit haec: „ Sacra vero synodus ex „ plus triginta quinque provinciis congregata, animadversa „ Arianorum malignitate, Athanasium, sociosque admisit, „ ut se purgarent de allatis criminationibus, quorum causa „ tot fuerant calamitatibus afflicti. Postquam autem illas repulissent eo, quo supra retulimus, modo a synodo admis„ si, ac summae venerationi habiti sunt, adeout eorum com„ munionem amplecterentur, ac missis ubique literis, missis „ item in unamquamque paraeciam, maximeque Alexandriam, „ in Æpyptum, et in Lybias, Athanasium, et socios pu„ ros, omnisque criminis expertes esse declararunt. „ Eas vero provincias, quarum hoc loco mentionem facit, distincte memorat in Apologia contra Arianos (4), his verbis: „ Iis vero, quae nostri gratia decreta fuerunt, suffragati sunt „ plusquam trecenti Episcopi ex provinciis Ægypti, Libiae, „ Pentapoleos, Palaestinae, Arabiae, Isauriae, Cypri, Pam„ philiae, Liciae, Galatiae, Daciae, Mysiae, Thraciae, Dar„ daniae, Macedoniae, Epirorum, Thessaliae, Achajae, Cre„ tae, Dalmatiae, Sisciae, Pannoniarum, Norici, Italiae, „ Piceni, Tusciae, Campaniae, Calabriae, Apuliae, Bruttiae, „ Siciliae, totus Africae, Sardiniae, Hispaniarum, Gallia„ rum, Brittannicarum. „ Quando igitur S. Athanasius (5) scribit; „ conveniunt cum ex Oriente, tum ex Occidente in „ Sardica Urbe Episcopi plus minus centum septuaginta, „ cum et Occidentalium, et Orientalium Episcoporum rationem habuisse dicendum est. Nam iu synodica Concilii Sardicensis ad Ecclesiam Alexandrinam haec extat inscriptio (6). „ Sancta synodus per gratiam Dei Sardicae congregata ex „ Urbe Roma, ex Hispaniis, Galliis, Italia, Africa, Sar„ dinia, Pannoniis, Mysiis, Dacia, Norico, Tuscia, Mace„ donia, Thessalia, Achaja, Epyro, Thracia, et Rodope, „ et Palaestina, et Arabia, et Creta, et AEgypto Presbyte„ ris, et Diaconis. „ In altera autem synodica ejusdem concilii ad omnes Episcopos Ecclesiae Catholicae (7), quae

extat apud Athanasium, nomina recensentur provinciarum, et Episcoporum, qui ut inquit ipse Athanasius (8), si addantur iis. „ Qui etiam ante hanc synodum nostri gratia scripserunt, „ ex Asia scilicet, Phrygia, et Isauria, quorum nomina in „ propriis eorum epistolis circumferuntur, prope sexaginta tres, „ una omnes trecenti quadraginta quatuor sunt. Quo in loco et illud monet Athanasius, quod „ hoc suum rescriptum Sardicensis synodus ad illos misit, quibus accedendi facultas „ non esset, qui et ipsi suffragiis suis decreta synodi approbarunt. „ Ex quo evidens est error Samuelis Basnagii (9), qui pro certo statuit, Orientales, hoc est Eusebianos fuisse Sardicensibus *numero non multum inferiores*.

(1) S. Athanasius *apol. num* 41. *seqq. opp. tom* 1. *pag*. 125. *seqq*.
(2) Idem *loc. cit. num*. 1. *pag*. 97.
(3) Idem *Histor. Arian. num* 17. *tom*. 1. *pag*. 297.
(4) Idem *Apol. contr. Arian. num*. 1. *pag*. 97.
(5) Idem *Histor. Arian. num* 5. *pag*. 278.
(6) Concilium Sardicense *tom*. 2. *Concil. col*. 894. *edit. Venet. Coleti*.
(7) Athanasius *apolog. contr. Arian. loc. cit.*
(8) Idem *loc. cit.*

§. XIII. Non inficior, scriptum reliquisse Hilarium (1), quod huic synodo Episcopi sexaginta, et unus praesentes fuerint. Sed notare non potest Athanasii fides, tum quod omnibus comperta est ejus probitas, ac peritia rerum, de quibus scribebat, quibusque ipse interfuerat, tum quod cum eo consentit ratio temporum, ac personarum, cum quibus res ipsi erat, et synodica Epistola Patrum Sardicensium ad Ecclesiam Alexandrinam, cujus paulo ante facta mentio est. Accedunt testimonia Theodoriti (2), Severi Sulpitii (3), quorum uterque cunctos ex toto orbe Episcopos ad concilium vocatos testatur, ac Vigilii Tapsensis (4), qui de hoc Concilio scribit haec: „ Item apud Sardicam omnium provinciarum „ Orientis Episcopi congregati, idest Thebaida, Palestina, „ Phaenicia, Mesopotamia, AEgypto, Arabia, Syria, Cilicia, „ Cappadocia, Ponto, Paphlagonia, Galatia, Bithnia, Hellesponto, Asia, Phrygiis duabus, Pysidia, Cycladum insularum, Pamphilia. Caria, Lydia Europae, Thracia, AEniponto, Mysia, Pannoniis duabus. „ Quare dubitari non potest, quin Sardicensis Synodus, ad quam omnes tum

Occidentis, tam Orientis Episcopi vocati sunt, revera oecumenica fuerit, quod a Viris doctis apertissime demonstratum est (5). At Epiphanius (6), et Hilarius (7), ait cum Petro de Marca Basnagius (8), Sardicensem synodum oecumenicarum numero non habent, sed potius solius occidentis concilium judicant, Hic enim scribit haec Constantio Imperatori: „ Damnas quoque et substantiae nomen quo te et Sardicensi synodo, et Syrmiensi pium esse Occidentalibus mentiebaris. „ Verum Hilarius loquitur de Pseudo-Sardicensi, idest philippolitana deque Syrmiensi Synodo, quae duo Orientalium conventicula fuerunt, iisque opponit Occidentales, seu Sardicenses, quibus Imperator pium se mentiebatur, cum eorum fidem esset professus. De vera quidem, ac legitima Sardicensi Synodo loquitur Epiphanius, sed eam Occidentalem vocat, ut a Pseudo-Sardicensi Synodo distinguat. Nam Sardica civitas erat, quae ad Occidentale, Philippopolis, quae ad Orientale Imperium pertinebat. Aliunde vero Philippolitanum conciliabulum conflatum erat ex Episcopis Antiocheni Patriarchatus, qui proprie Orientis dicebatur.

(1) Hilarius *in oper. histor. fragm.* 2. *num.* 15. *opp. tom.* 2. *col.* 631. *edit. Veron.* 1730.

(2) Theodoritus *Histor. eccles lib.* 2. *c.* 4. *pag.* 64. *ed. Taurin.* 1748.

(3) Severus Sulpitius *Histor. sacr. lib.* 2. *num.* 36 *tom* 2. *pag.* 198. *edit. Veronae* 1754.

(4) Vigilius Tapsensis *contr. Eutych. lib.* 5. *num.* 3. *pag.* 58. *edit. Divion.* 1664.

(5) OEcumenicum fuisse Sardicense Concilium negat Petrus de Marca *de Concil. lib.* 7. *cap.* 3. *num* 5., *sed* eum graviter, copioseque refellunt, ac fuisse revera OEcumenicum ostendunt Baronius *ad an.* 347. *num.* 7. *tom.* 4. *pag.* 423. *edit. Lucae*, Bellarminus *lib.* 2. *cap.* 21. *de Rom. Pontif. opp. tom.* 1. *pag.* 330. *et seq. edit. Venet.* 1721. Severinus Binius *not. in Concil. Sardicen. tom.* 2. *Concil. collect. Labbaei col.* 717., David, *des jugemens canoniques chap.* 8. *art.* 3. *pag.* 43. *seqq. edit. Paris.* 1671., Ballerinii *opp. S. Leonis tom.* 3. *col.* 49. *seqq.*

(6) S. Epiphanius *Haeres.* 71. *num.* 1. *opp. tom* 1. *pag.* 829. *edit. Coloniae* 1682.

(7) Hilarius *contr. Constant. Imper. num.* 25. *tom.* 2. *opp. col* 581. *edit. Veron. cit.*

(8) Basnagius *Annal. politic. eccles. ad an.* 347. *num.* 8. *tom.* 2. *pag.* 798. *edit. Roterodami* 1706.

§. XIV. Illud inanissimum, quod Eusebiani sese a Sardicensibus Patribus separaverint, quasi hoc eorum factum

evertere possit Concilii auctoritatem. „ Nam non satis est „ quidem, *inquit Melchior Canus* (1), ad Concilium generale, si evocatio generalis est, quando adeo pauci congregantur, ut major, meliorve provinciarum pars relicta esse videatur, praesertim si causa legitima sit, cur Episcopi synodo non adfuerint. At si per malitiam hominum pessimorum una, et item altera provincia desit, non propterea „ concilii generalis nomen amittitur. „ Revera complurium Episcoporum absentia, qui cum ad Concilium vocati fuissent, Constantinopoli discesserunt triginta sex numero, quoniam a Nicaena fide obhorrebant (2), impedimento non fuit, quominus I. Concilium Constantinopolitanum ab omnibus oecumenicum haberetur; neque eadem de causa nominis sui jacturam fecerunt generalia Concilia Ephesinum, aut Sextum, licet multi abessent Orientales Episcopi, qui propter metum Saracenorum ad synodum non venerant. Hoc ipsum argumentum in medium afferunt Sacerdotes Orientis in sua ad Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum epistola, quae lecta fuit actione 3. Concilii OEcumenici. VII., ut eum ad habendam synodum inducerent, quamvis tres Patriarchae, eisque subjecti Episcopi abfuturi essent, quoniam et ad VI. synodum neminem eorum, *qui per idem tempus in his partibus Episcopi erant*, convenisse affirmabant. Ajebant enim (3). „ Ilud autem tamquam necessarium penes pontificalem apicem vestrum commonendum ducimus, ut si de beneplacito cunctorum, Regis Christi videlicet Dei nostri, et eorum, „ qui cum eo regnare meruerunt, Dei scilicet amicorum, et „ triumphatorum nostrorum, volueritis celebrare synodum, „ ne molesta vobis appareat trium Apostolicarum Sedium almorum Patriarcharum, et sanctissimorum Episcoporum, „ qui sub ipsis degunt, absentia, non ex proprio eorum „ accidens proposito, sed ex tenentium, seu dominantium illis „ terribilibus minis, et mortiferis poenis. Hoc autem subtilius est considerandum etiam ab ipsa sancta, et universali VI. „ Synodo, in qua nullus eorum, qui per idem tempus in „ his partibus Episcopi erant, convenisse inventus est ob „ obscoenorum obtinentiam. Sed nullum ex hoc sanctae Sinodo adhaesit praejudicium, neque vires habuit prohibitio „ aliqua statuendi, et manifesto faciendi recta dogmata pie-

„ tatis, praecipue cum Sanctissimus, et Apostolicus Papa „ Romanus concordaverit, et in ea inventus sit per Apocrisarios suos; et nunc, Sanctissimi, hoc cum consilio „ Dei similiter fiat. Nam sicut tunc illius fides in orbis terrae personuit fines, ita et synodus, quae nunc per gratiam „ Dei congreganda est, per interventionem vestram, et ejus, „ qui moderatur Apostolorum Principis Sedem, praedicabitur „ in omni loco, qui sub Sole est. „ Quod si complurium Episcoporum absentia nihil de auctoritate detraxit oecumenicarum Synodorum, quis non videt voluntariam illam discessionem Eusebianorum haud sane labefactare potuisse vim Concilii Sardicensis?

(1) Melchior Canus *de locis theolog. lib. 5. cap. 3. pag.* 149. *edit. Patav.* 1727. Videndus est etiam Gravesonius *Histor. Eccles. tom.* 1. *saec.* 4. *pag.* 86. *edit. August. Vindelic.* 1756.

(2) Socrates *Histor. Eccles. lib.* 4. *cap.* 8. *pag.* 227. *edit. Taurin. cit.*

(3) Concilium Nicaenum II. *act.* 3. *tom.* 8. *Concil. col.* 823.

§. XV. Eoque magis; quia licet ipsi abfuerint, consensus tamen non defuit Orientalium Ecclesiarum. Porro Eusebiani, qui primo decreto subscripserunt Concilii Nicaeni, posteaque redierunt *ad primum impietatis vomitum*, ut ait Athanasius (1), cum sibi maxime adversarium fore intelligerent Concilium Sardicense, eidem interesse noluerunt, licet ab Julio fuissent vocati, atque illud ipsi antea postulassent. Imo acrius indixere bellum Athanasio praecipuo Nicaenae fidei propugnatori, et post multa contra eum conficta crimina, factasque insidias Tyri simul congregati tum eum, tum ceteros ejusdem fidei defensores a catholica communione repulerunt, atque ab Episcopatu dejecerunt. Postea vero quamvis Macario Presbytero, et Martyrio, et Hesychio Diaconis, quos pro se Romam miserant, jam refutatis, et convictis causa cecidissent; ideoque Athanasius tantorum criminum accusatus reus, etiam judicio quinquaginta Episcoporum absolutus fuisset, suaeque Sedi restitutus, Antiochiae simul congregati literas impudentiae plenas ad Julium dederunt, quibus de Athanasii judicio querebantur. Denique cum ad indictum Sardicense concilium una cum aliis convenissent, posteaquam intelexerunt, longe alium futurum rerum exitum, quam quem ipsi

animo conceperant, neque ferre aequo animo possent, quod Athanasius, qui tum Alexandrino, tum Romano concilio absolutus fuerat, communionis particeps factus fuisset, noctu aufugerunt, seque contulerunt Philippopolim Thraciae civitatem, ubi simul congregati Julio anathema dixerunt. Profecto si quod schismaticorum hominum factione gestum est, tanti valeret, ut Sardicensis synodus neque OEcumenica haberi posset, neque vim, et auctoritatem obtineret, nullum jam esset oecumenicum concilium, cujus aliquo simili dissensu, et factione hominum perditorum non elevaretur auctoritas.

(1) Athanasius *de decret. Nicaen. synod. num.* 4. *tom.* 1. *pag.* 166. *edit. cit.*

§. XVI. Quid quod ex vetustissimo Orientali Concilio manifestum est, quanta etiam in Oriente fuerit canonum Sardicensium auctoritas? Nam Patres synodi Constantinopolitanae an. 382. in epistola ad Damasum, aliosque Occidentales, quam describit Theodoritus (1), Nicaeni Concilii nomine Sardicensem canonem in medium protulerunt his verbis: „ De particulari autem administratione singularum Ecclesiarum antiqua, ut probe nostis, obtinuit sanctio, et sanctorum Patrum, qui Nicaeae congregati sunt, regula: ut in singulis provinciis Episcopi illius provincia, et, si illis placuerit, una cum ipsis finitimi, prout utile judicaverint, ordinationes faciant. „ Atqui in Nicaeno concilio *can.* 4. decretum est: „ Episcopum convenit, maxime quidem ab omnibus, qui sunt in provincia, Episcopis ordinari „ sed de finitimis Episcopis, ubi placuerit, convocandis nihil plane decernitur. Verum *in can.* 5. Concilii Sardicensis ex interpretatione Dionysii Exigui (2), provisum est, quando quis debeat a vicinis provinciae Episcopis ordinari, et recte Petrus Constantius (3) „ Nicaeni Concilii, *inquit*, canone 4. sancitur: Episcopum convenit ab omnibus, qui sunt in provincia, Episcopis ordinari, sed de finitimis Episcopis, ubi placuerit, convocandis nihil habetur. Sardicensis vero canon quintus, seu secundum Graecos sextus, quando quis debeat a vicinis provinciae Episcopis ordinari, explicat.

„ Ad quem canonem si nunc respiciunt Orientales, dicendum „ erit, Sardicenses canones non modo in Occidente, sed et „ in Oriente pro Nicaenis fuisse habitos. „ Neque mirum est, Sardicenses canones laudatos fuisse tamquam Nicaenos, quoniam ut recte monent Fratres Ballerinii (4), in pluribus antiquissimis exemplaribus canones Sardicenses Nicaenis, et quidem sub eodem titulo, Nicaenorum canonum subjiciuntur; qua in re concors est sententia codicum, quibus tum Latini, tum Graeci utebantur, unde omnis doli, fraudisque suspicio removetur. Hoc sane tam antiquum Orientalium testimonium manifeste demonstrat, ab iis etiam Sardicenses canones fuisse receptos, atque habitos loco certae regulae, quam sequerentur, multoque ante synodum Trullanam eorum fuisse in Oriente vim, et auctoritatem. Hinc in eadem epistola, cujus paulo ante facta mentio est, habentur haec. „ Ex cujus legis, et decisionis scripto scitote, tum alias quo- „ que Ecclesias apud nos administrari, tum illustrissimarum „ Ecclesiarum Sacerdotes delectos „ et hinc etiam iidem Orientales Nectarii Constantinopolitani, et Flaviani Antiocheni ordinationes ad ejusdem concilii normam factas demonstrarunt.

(1) Theodoritus *Histor. Eccles. lib.* 5. *cap.* 9. *pag.* 183. *edit. Taurini* 1748.
(2) Concilium Sardicense *can.* 5. *col.* 674. *collect. Labbaei,*
(3) Constantius *epist. Rom. pontif. col.* 566. *adnot. C.*
(4) Ballerinii *de antiq. collect. canon. par.* 2. *cap.* 1. §. 3. *opp. S. Leonis tom.* 3. *pag. LVII.*

§. XVII. Accedit quod Patres Chalcedonenses Sardicensis synodi *constituta* laudarunt (1); postea Justiniani Imperatoris aetate, medio fere saeculo sexto Joannes Scholasticus Episcopus Constantinopolitanus Sardicenses canones inseruit in collectionem suam, quam *Nomo-canonem* appellavit (2); denique VII. fere exeunte saeculo Orientales, qui ad Trullanam synodum convenerant, sese eosdem canones suscipere professi sunt (3), quod postremum etiam de Marca confitetur. Ex quibus evidens apertumque est, magnam in Oriente fuisse auctoritatem canonum Sardicensium; et ideo falsus est Petrus de Marca, qui eos minime receptos, atque in

schismate conditos fuisse asseverat. An canones in schismate conditi, et in eo quidem schismate, quod de Marca ortum putat, quia Orientales edita ab se decreta Occidentalium judicio obnoxia esse nolebant, tanti ab ipsis Orientalibus fieri potuissent, ut in concilio, quod Occidentalibus certe non favebat, contradicente nemine, probarentur? Adde his omnibus, quod Romana Ecclesia, a qua Sardicenses canones receptos, et probatos fuisse constat, eorum auctoritatem proposuit contra Orientales, neque hi de ea dubitare ausi sunt. Sic Liberius Pontifex in literis ad Eusebium Spadonem, et in dialogo cum Constantio Imperatore (4) Sardicensem synodum commendavit; sic Innocentius I. (5) professus est, tantam in Sardicensis Concilii gestis insidere auctoritatem, ut per eam canones Antiocheni damnati fuerint. Quod est animo retinendum diligenter, ut pateat, quam falso Petrus de Marca usque ad eam aetatem Sardicenses canones receptos fuisse neget; idque ex eo colligit, quod cum Innocentius jus appellationum adversus synodum Macedoniae tueretur in causa Bubalii, et Tauriani ab eadem synodo damnatorum, nullam eorumdem canonum mentionem fecit adversus concilii Patres, qui de appellatione ad Sedem Apostolicam vehementer questi sunt. Verum hae querelae non universe fuerunt de jure appellationum, quasi hoc novum, aut injuria usurpatum haberetur, sed de illius, de qua tunc speciatim agebatur, appellationis injustitia, et inanitate. Nam concilii Patres editi ab se judicii justitiam ita manifestam esse contendebant, ut ea de re nullum novum fieri judicium posse existimarunt. Quod ipsa Innocentii verba demonstrant (6); nam inquit. „ Verum illud videtur movisse animos vestros, quod in multis Bubalius fallaciis saepe deprehensus objecerit exemplaria fictarum quasi a nobis literarum, cum pro consuetudine hominis nihil, quod proferret, jam fide dignissimum videretur. „ Illud quoque Lupus putat, Innocentium Bubalii appellationem admittere noluisse; sed importunis ejus petitionibus, ac precibus aliquid concessisse, atque ut omnem praecideret querelarum locum, tandem retractationis causam suscepisse, haud tamen absolvisse, et Bubalium restituisse. Id videntur indicare postrema epistolae verba: „ hanc autem paginulam nostram solicitius Cretensibus Episcopis relegen-

„ dam mittite, ut sciant plenissime, quid sit de Bubalio, et „ Tauriano, ceterisque pronunciatum, ut servent, qui digni „ administratione sunt, cavere a talibus, ne talia sortiantur„ hoc est, uti etiam Constantius in eum locum observat „ ut „ scientes quid de Bubalio, et Tauriano sit judicatum, caveant „ ne talia agant, indeque in parem poenam incurrant, cum „ ab administratione Ecclesiarum fuissent dejecti.„ Quod vero Innocentius neque Sardicenses canones laudaverit, neque antiquam consuetudinem, eamque unam attulerit causam „ quia veritatis exagitata saepius magis splendescit in luce, „ et pernicies revocata in judicium gravis sine illius, qui primum judicavit, poenitentia condemnat; nam fructus divinus est justitiam saepius recenseri „ nil mirum videri debet, cum necesse non sit omnes aliquid agendi proferre causas, sed ea tantum afferri soleant, quae sunt extra omnem invidiam posita, et aptiora temporibus, atque ingenio eorum cum quibus agitur. Ita jus Divinum, et Primatus interdum expresse laudantur, interdum omittuntur.

(1) Concilium Chalcedonense *in allocut. ad Marcianum Imper. tom. 4. concil. col.* 1766. *collect. ejusd.*

(2) Vide Justellum *Biblioth. Jur. Canon. tom.* 2. *pag.* 610. 612. 615. 616. *seq. edit. Paris.* 1661.

(3) Concilium Quinisextum seu Trullanum *in orat. ad Justinian. Imper. can.* 2. *tom.* 7. *concil. col.* 1346.

(4) Apud Coustantium *col.* 431. *et* 435.

(5) Innocentius I. *ep.* 18. *ad Rufum Gerontium etc.* apud Coustantium *col.* 841.

(6) Innocentius I. *loc. cit.*



## CAPUT V.

*Constans omnium aetatum consuetudo de appellationibus ad Sedem Apostolicam.*

§. I.

Satis jam de Sardicensi concilio disputatum est; nunc ut magis magisque perspicuum sit, quod supra demonstravimus, non eo concilio primum Romano Pontifici tributum jus appellationum, sed illud „ adeo necessario connexum esse cum „ Romani Pontificis in universam Ecclesiam jurisdictionis „ Primatu, ut nemo possit illud in controversiam adducere, „ nisi et hunc velit praefracte inficari (1) „; replicemus memoriam temporum, et antiqua scrutemur Ecclesiae monumenta, unde efficiemus, hanc semper in omnium animis fixam fuisse, certamque sententiam. Multa temporum injuria periere monumenta, sed ea, quae adhuc extant, ita rem testatam, atque illustrem faciunt, ut nonnisi illi, quorum animos caeçat odium in Sedem Apostolicam, eam negare possint. Primum, quod ad nos pervenerit, appellationis exemplum praebet Marcion Synopensis Ecclesiae Presbyter, qui cum propter stuprum puellae illatum a proprio Patre, et Episcopo excommunicatus fuisset, neque veniam impetrare potuisset, Romam venit, ut de Patris sententia quereretur, eique remedium adhibendum curaret. Vacua tunc erat Sedes Apostolica, ideoque Marcion Romanum clerum adiit, ab eoque postulavit, ut in communionem reciperetur. Negavit id plane Clerus inquiens „ nobis injussu venerandi „ Patris tui facere istud non licet. Una siquidem fides est, „ et animorum una consensio, neque contra spectatissimum „ collegam patrem tuum moliri quidquam possumus. „ Non solum litigius, et Walchius, sed etiam Launojus (2), de Marca (3), Dupinius (4), ipseque Natalis Alexander (5),

( quamquam pro jure appellationum graviter propugnet ) negant Marcionem ad Apostolicam Sedem provocasse. Sed eum Romam venisse certum est, uti narrat Epiphanius (6); cur Romam potius, quam ad aliam Civitatem propinquiorem, et commodiorem iter arripuit, quaeque alia potuit esse causa Romani itineris longi, et incommodi, nisi illa fuit, ut a Sede Apostolica veniam impetraret, quam frustra ab Episcopo Synopensi postulaverat? Haud quidem expresse petiit, ut Episcopi sententia infirmaretur, quod certe si petiisset, nulla prorsus esset vel levissima de appellatione dubitatio, sed petiit, quod eodem recidit, ut in communionem reciperetur Ecclesiae Romanae, *unde unitas sacerdotalis exorta est*, ut inquit Cyprianus (7). Id vero fieri non poterat nisi e medio tolleretur sententia Episcopi Synopensis; quoniam Ecclesiae disciplina sic ferebat, ut nullus Episcopus alienum Presbyterum, aut Diaconum sua communionis participem faceret, nisi sui Episcopi commendatitias haberet literas. Synopensis autem Episcopus non modo nullas hujusmodi literas Marcioni dederat, sed etiam, quae valde similis veri est conjectura Christiani Lupi (8), cum primum ejus fugam rescivit, statim de ejus crimine Romanum Clerum certiorem fecit. At quod petierat Marcion, minime obtinuit; quid ex eo effici poterit? Satis est quod revera confugerit ad Clerum Romanum, atque opem ab eo petierit a suo Episcopo condemnatus, neque appellatio ab exitu, sed a facto ipso provocationis ad Superiorem aestimanda est. Ac merito sane Marcion repulsum tulit. Non enim cleri Romani communionem consequi poterat, nisi infirmaretur sententia Episcopi, quae cum esset justissima, infirmari non poterat. Accedebat eorum temporum, quae ubique sancta, et inviolata erat, Ecclesiae disciplina, quae publicos homicidii, idolatriae, mechiae reos a perfecta in externo Ecclesiae foro, publicaque reconciliatione, et pace repellebat, quaeque semper obtinuit usque ad Pontificatum Zephirini. Unus Pontifex laxare potuisset hanc disciplinam; neque eadem potestate Romanus Clerus fruebatur. Labentibus tamen annis illam, quam dare non potuerat clerus, reconciliationem Marcion obtinuit ab Eleutherio Summo Pontifice, ea lege, ut a se deceptos Ecclesiae restitueret, quod tamen morte occupatus praestare non potuit

(9). Ex his facile intelligitur, quamobrem Romanus Clerus suae communionis participem non fecerit Marcionem; primum scilicet, quia justissima erat Synopensis Episcopi sententia, deinde quia non ei licebat mollire disciplinam, quae contra maechos obtinebat. Pertinet haec appellatio ad secundum Ecclesiae saeculum.

(1) Benedictus XIV. *de synod. dioeces. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 1.
(2) Launojus *epist.* 8. *num.* 5.
(3) De Marca *de Concil. lib.* 7. *cap* 3.
(4) Dupinius de antiq. Eccles. discipl. *dissert.* 2.
(5) Natalis Alexander *Histor. eccles. disser.* 2. *in saecul. II, art.* 3. *tom.* 3. *pag.* 299. *edit. Venet.*
(6) Epifanius *haeres.* 32. *vel* 42. *num.* 1. *pag.* 302. *edit. Coloniae* 1682.
(7) Cyprianus *ep.* 54. *ad Cornelium pag.* 266. *edit. Amstelod.* 1700.
(8) Christianus Lupus *de Roman. appellat. Gallic. Eccles. cap.* 18, *pag.* 73. *opp. tom.* 8. *edit. Venet.* 1727.
(9) Tertullianus *de praescript. num.* 30. *pag.* 212. *edit. Venet.* 1744.

§. II. Medio tertio saeculo Privatus Lambesitanus Episcopus cum in haeresim incidisset, atque alia patrasset crimina, a synodo Lambesitana, cujus approbavit judicium Donatus Carthaginensis Episcopus, et Primas Africae, condemnatus, graduque motus ad Fabianum Pontificem provocavit ac Romam venit. Hic quoque propter Fabiani mortem vacuam repperit Sedem Apostolicam, et ideo convertit sese ad Clerum Romanum, ut ab eo pacificas literas obtinere, per quas et priora tollerentur judicia, et ipse communioni restitueretur. Eam ob rem Romam misit *ex ipsius nequitiae cohorte vexillarium*, uti loquitur clerus Romanus (1), ut per fraudem negocium absolveret. Quod ut nunciatum est Cypriano, ipse statim literas dedit ad eumdem clerum, ne callidi hominis insidiis deciperetur; sed ante has literas jam clerus fraudem noverat, spemque omnem Privato ademerat communionis. An ad Fabianum Pontificem provocasset Privatus, nisi inesse intellexisses in eo potestatem recipiendi appellationem, dandaeque communionis, atque e medio tollendi judicium, quod contra se latum fuerat a synodo Lambesitana? Recte igitur Constantius (2) hoc Privati exemplum inter Romanus appellationes recensendum putat.

(1) Clerus Romanus *epist.* 37. *inter Cyprian. epist. pag.* 220.
(2) Constantius *ep. Rom. Pontifex col.* 223.

§. III. Non multo post Felicissimus cum aliis quatuor Presbyteris caput extulit contra Cyprianum electum Episcopum, paucisque aliis sibi sociis adjunctis Fortunatum Episcopum elegit. Cyprianus habita synodo eos a communione rejecit; quamobrem illi omnes provocarunt ad Cornelium Summum Pontificem, ut ab eo causa judicaretur. Dedit ad Cornelium literas Cyprianus (1), quibus de hoc eorum facto queritur; sed omnis querelarum ratio in eo est posita, quod ipse illos omnes Presbyteros meros, sibique subditos judicabat. Manifestum id faciunt verba, quibus Cypriani literae conceptae sunt, quaeque ad meros Presbyteros, qui suo sunt subjecti Antistiti, non ad Episcopos, qui alios regunt, referenda sunt. Inquit enim quod cum „ singuli Pastoribus „ portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque, et gu„ bernet, rationem sui actus Domino redditurus, oportet „ utique eos, quibus praesumus, non circumcursare. „ Loquitur hic apertissime Cyprianus de clericis sibi subjectis, qui scilicet pertinebant ad *gregem*, qui sibi adscriptus fuerat, cui *praeerat*, quemque ipse *regere*, *et gubernare* debebat; quod de Episcopis, qui non ab alio Episcopo reguntur, sed ipsi alios regunt, dici nulla ratione poterat. Erat autem in Africa non universale, sed peculiare decretum, quod meros Presbyteros Romam appellare prohibebat, idque forte in illo turbulante schismatis tempore sancitum est, ne nimis facile liceret omnibus ire in regiones longinquas, atque ita retardare negocium, quod celerem exitum postulabat. Ad hoc decretum sese refert Cyprianus, qui omnes, qui Romam provocaverant, simplices habebat Presbyteros sibi subditos, *quibus praesumus*, inquit, non Episcopos, qui aliis praeessent. Et licet Fortunatus consecratus fuisset Episcopus, tamen quia consecratus fuerat ab haeretico Privato Lambesitano, nullam hujus consecrationis rationem habendam Cyprianus putabat, secundum sententiam, in qua ipse erat, quamque postea Catholica Ecclesia condemnavit, quod scilicet Baptismi, atque Ordinis sacramenta ab haereticis collata vim nullam haberent. En igitur decretum, ad quod spectat Cyprianus, decretum scilicet proprium, et peculiare Ecclesiae Africanae, quod forte paucos ante annos emissum fuerat, praesente ipso Cypriano, uti ostendunt ea verba, *cum statu-*

*tum sit omnibus nobis*, ut removerentur tergiversationes schismaticorum, qui contra bonum Ecclesiae abutebantur beneficio appellationis. Atque in hoc ipso decretó laudando commotus, et exulceratus animus Cypriani longius progressus est, et erupit in verba, quae una Episcopi sententia totum negocium finitum statuunt, ita ut non modo ad Summum Pontificem, sed etiam ad synodum provincialem interdicta sit appellatio. Id enim significant ea verba; cum „ singulis „ Pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat, et guber- „ net unusquisque soli Domino rationem redditurus. „ Neque vero Cyprianus negavit universe jus appellationum ad Sedem Apostolicam; tantum invectus est vehementius in illam Fortunati appellationem, quam nullam justam habere causam defendebat,„ quae autem, *inquit*, causa veniendi,„ et Pseudo-Episcoporum contra Episcopos factum nunciandi „ Non negavit jus superioris judicis, sed et tacite confessus est „ navigare audent ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam „ principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est „ Hujus ergo unitatis necessitatem *cum principali Ecclesia*, seu, quod idem est, in eam subjectionem agnovit. Ne multa; cum jus appellationum connexum sit cum Primatu divinitus dato Petro, ejusque successoribus, haud sane Africani Patres partem hanc divini juris amputare, et circumcidere potuerunt. Hinc Cyprianus haud revocat in discrimen jus Primatus, neque negat, jus Ecclesiam quoque Africanam attingere, tantum proponit decretum, quod Afri emiserant, et rationem etiam addit, ut illud aequitati consentaneum esse demonstret „ cum „ aequum sit pariter, ac justum, uniuscujusque causa illic „ audiatur, ubi est crimen admissum. „ Quibus verbis Cyprianus minime negat jus appellandi Summum Pontificem; sed tantum probabilem affert rationem, propter quam judicium illud in Africa potius, quam Romae expediendum videretur; quia scilicet in Africa *et accusatores haberi, et testes criminis*, et reliqua scitu necessaria facilius, et commodius, quam procul, poterant.

(1) Cyprianus *ep.* 59. *pag.* 266. *edit. cit.*

§. III. Cypriani mentem clarius explicant, quae non mul-

tos post annos evenerunt. Basilides Asturicensis, et Martialis Emeritensis in Hispania Episcopi tamquam libellatici, aliorumque criminum rei per synodalem sententiam depositi appellarunt Stephanum Pontificem, qui eos suis sedibus restituendos judicavit. Asturicenses nullam, atque irritam esse rati hanc restitutionem, deceptumque Pontificem, et latam obreptione sententiam Basilidi Sabinum Episcopum subrogarunt; sed Emeritenses Romanae Sedis judicio acquieverunt. Reversis in suas Sedes Basilidi, et Martiali cum plures et clerici, et laici communicassent, alii vero eos Sedi Apostolicae obrepsisse rati rejicendos, graviterque puniendos censerent, turbae ortae sunt maximae, quarum tollendarum causa utriusque Ecclesiae clerus per literas S. Cyprianum, ejusque clerum consuluit. Cyprianus ne unum quidem habet verbum contra appellationem, imo eam tacite approbare videtur; tantum dicit, deceptum fuisse Pontificem, ejusque sententiam infectam vitio obreptionis, cum praesertim secundum decretum Cornelii Pontificis de clementia erga lapsos clericos, et Episcopos adhibenda, ii quidem ad poenitentiam per laicam communionem tantum admitti potuissent, sed ab ordinatione cleri, et sacerdotali honore prorsus repelli debuissent. Itaque Basilidem, et Martialem a communione arcendos statuit, neque Stephani sententiam vim ullam habere posse, quoniam omnibus compertum est, nullius esse momenti quae per obreptionem, et subreptionem impetrata sunt. Nihil attinet quaerere, uter eorum deceptus fuerit, Stephanus ne, an Cyprianus (1); satis est, quod duo illi Hispani Episcopi revera Summum Pontificem appellavarint, quod Cyprianus hanc appellationem improbare ausus non fuerit; quinimo quod jus ipsum appellandi tacite approbaverit. Quorsum enim insistere in fraude, qua circumventus fuerat Summus Pontifex, si nullam in ipso Pontifice potestatem Cyprianus agnovisset? Hinc Baluzius, haud certe fautor Romanarum appellationum (2) „ recte, *inquit*, ex hoc loco collegit Baronius, antiquissimum in Ecclesia usum esse, ut ex remotissimis orbis partibus Episcopi, qui se injuste perpessos esse a collegis suis crederent, provocarent ad Romanum tamquam primarium Ecclesiae universalis Antistitem. Vide Marcam lib. 1. de concord. cap. 10., et Pamelium ad hanc Cypriani epistolam. Futilia sunt quae hic adversus Pamelium scripsit Goulartius. „

(1) Non Stephanum a Basilide, sed Cyprianum a Felice, et Sabino deceptum fuisse, observant Fratres Ballerinii *tom.* 2. *opp. S. Leonis col.* 931.

(2) Baluzius *in not. ad Cyprian. ep.* 68. *not.* 1. *col.* 286. *edit. Venet.* 1758.

§. V. Pertinent haec ad secundum, ac tertium Ecclesiae saeculum. Quarto saeculo celebre est, quod de Coeciliano Carthaginense Episcopo memoriae proditum est. Cum enim ipse a Felice Apungitano, quem Donatistae traditorem putabant, consecratus fuisset Episcopus, hi verum Episcopum eum habendum negabant; et hinc non solum ab ejus communione discesserunt, sed etiam Carthaginem vocarunt Secundum Tigistanum Numidiae Primatem cum aliis ex eodem grege septuaginta Episcopis, habitoque concilio, non solum Coecilianum ex Episcopatu dejecerunt, sed etiam ejus loco Majorinum Episcopum elegerunt. Totum hoc negocium, ut omnes facile intelligunt, non ad fidem, sed ad meram disciplinam, et ad Coeciliani ordinationem pertinebat, et tamen Coecilianus, ut inquit Augustinus (1), „ posset non curare „ conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret et „ Romanae Ecclesiae, in qua semper Apostolicae cathedrae „ viguit Principatus, et ceteris terris, unde ipsum Evangelium ad Africam venit, per communicatorias literas esse „ conjunctum, ubi paratus esset causam dicere, si adversarii ejus ab eo illas Ecclesias alienare conarentur. „ Coecilianus plurium provinciarum synodis damnatus fuerat, et tamen eum *non curare* potuisse *conspirantem multitudinem inimicorum*, hoc est plane despicere contra se celebratas synodos, testatur Augustinus, quia *per communicatorias literas* conjunctus erat *Ecclesiae Romanae, in qua semper Apostolicae cathedrae viguit Principatus*, ibique paratus erat *causam dicere.* Quid hoc illustrius ad demonstrandum, Episcopum a synodo condemnatum suas ad Sedem Apostolicam querelas jure, ac merito deferre posse, neque ab Ecclesiae communione esse repellendum, cum habet Romanae Ecclesiae communionem? Neque in hoc negocio defuit ea, quae vero, ac proprio vocabulo dicitur, et est appellatio. Cum viderent Donatistae Coeciliani communionem cum Ecclesia Romana tanti fieri ab omnibus Catholicis, ut nullo in pretio haberetur synodalis sententia, quae eum condemnaverat, impudentissime

confugerunt ad Imperatorem Constantinum, ut a Gallicanis Episcopis judicium ageretur. Imperator cum recte intelligeret, nullam his Episcopis esse potestatem in Africanam Ecclesiam, judicium fieri jussit a Melchiade Summo Pontifice, cujus ut in totam Ecclesiam, sic in Africanam ferri sciebat auctoritatem, ut cum tribus Galliae Episcopis rem omnem cognosceret. Pontifex negocium suscepit non tamquam Imperatoris delegatus, sicuti visum est Calvinianis quibusdam (2), sed eo jure, quod ob Primatum habebat in Ecclesiam universam, et hoc eodem jure alios quindecim adjunxit Episcopos, omnesque Italos, quod facere non potuisset uti simplex delegatus, cui dictas a delegante leges, et judicandi modum, ac methodum nulla ex parte immutare permittitur.

(1) Argumentum hoc solide, graviterque persequitur Natalis Alexander *Histor. Eccles. ad saec. IV. dissert. 3. quaest. 2. pag.* 341. *tom.* 4. *edit. Venet. cit. contra quosdam*, ut ipse profitetur, *e Calviniano grege Theologastros.* Sunt hi Magistri, quorum praeceptis imbuti, et quorum disciplina instituti sunt Du-Pinius, Quesnellus, Febronius, ceteri similes.

(2) Confer Christianum Lupum *de African. appellat. cap.* 19. *et* 20. *opp. tom.* 8. *pag.* 224. *seqq. edit. Venet. cit.*

§. VI. Ventum jam est, uti constat ex iis, quae de Coeciliano narravimus, ad aetatem Constantini Imperatoris, nimirum ad eam aetatem, qua modus est factus furori ethnicorum in Christianorum caede baccantium, et Christi Religio publice dominari caepit. Ante hoc tempus res Christiana occulta, et latens vim suam, atque instituti rationem in omnium conspectu explicare non potuit; et ideo vel non integrum semper fuit Apostolicam Sedem appellare, vel multa formidolosis illis temporibus occulte sunt gesta, vel non sunt mandata literis, vel ad nos minime sunt delata, injuria vetustatis. Sed tamen hoc ipso tam rei Christianae iniquo tempore, plura, uti paulo ante demonstravimus, exempla occurrunt, ex quibus apertissimae fiunt illae, de quibus loquimur, ad Romanum Pontificem appellationes. Nolumus in iis immorari, quae proprie appellationes non sunt, sed quae tamen ostendunt, quanti omnes semper ubique fecerint judicium, et auctoritatem Romani Pontificis, ita ut nemo mirari debeat, ad eum delatas fuisse disceptationes, ut eodem judicio, et auctoritate omnis controversia expediretur. Sic

secundo Ecclesiae saeculo cum illa vehementius exarsisset disputatio de die celebrandi Paschatis, quae primum orta fuerat inter Anicetum, et Polycarpum, Victor, qui tunc Pontificatu maximo fungebatur, ad Polycratem Ephesiorum Episcopum, qui inter Asianos Primatum agere videbatur, literas dedit, quibus synodos haberi mandavit, damnavitque sententiam, quae Romanae adversaretur (1). Tertio saeculo Dionysius Alexandrinae Ecclesiae Episcopus, cum esset de fide in filium Dei suspectus, apud Romanum Pontificem Dionysium accusatus est, et is quidem ab eodem jussus de objecto crimine non provinciali synodo, sed Summo Pontifici sese purgare debuit (2). Ac dignum quoque memoratu est decretum Aureliani Imperatoris, qui a Romano Pontifice judicari voluit controversiam inter Paulum Samosatenum, quem Episcopatu moverant Patres Antiocheni, et Domnum, quem ei subrogaverant, atque illi tradi praecepit domum episcopalem, cui Italici Christianae Religionis Antistites, et Romanus Episcopus scriberent (3). Manifestum est, ab ethnico Imperatore, qui neque gnarus, neque solicitus erat hujusmodi rerum Christianorum, id fieri debuisse suasu Episcoporum, qui compertam habebant Ecclesiae disciplinam, et Romani Pontificis supra synodos auctoritatem (4). Quid opus est pluribus? Tanta semper penes omnes vis fuit, tantumque pondus, et gravitas literarum, quae a Summo Pontifice dabantur, ut eas *auctoritatis* vocabulo appellarent, ut nomen ipsum ostenderet, quanta eas observantia omnes excipere, et revereri deberent. Non enim in iis legitur *epistola Siricii*, sed *auctoritas Siricii ad Himerium*, et sic deinceps *auctoritas Innocentii ad Vitricium*, *auctoritas Zosimi ad Hesychium*, idemque legitur in ceteris literis, quae a Romano Pontifice procedunt (5).

(1) Negat Du-Pinius has synodo fuisse celebratas jussu Romani Pontificis. Sed ut mittam quae tradit Beda de *Paschae celebration. opp. tom.* 2. *pag.* 232. *edit. Coloniae Agrippin.* 1612., qui expresse memorat ea de re *auctoritatem*. hoc est literas Victoris Pontificis, quaeque item descripta sunt a Labbaeo *tom.* 1. *Concil. col.* 603. *seqq. edit. cit.*, tum ex eodem Beda, tum et nova Baluzii collectione, apertissime Eusebius *Histor. Eccles. lib.* 5. *cap.* 24. *pag.* 212. *edit. Taurini* 1746. docet, synodos illas de Paschatis celebrandi die jussu Romani Pontificis Victoris fuisse convocatas. Consule Coustantium *epist. Roman. Pontif. in Victor. col.* 91. *et seq.*

(2) Athanasius *de sentent. Dionys. num.* 13. *opp. tom.* 1. *pag.* 198. *cit. edit. Patavii.*

(3) Eusebius *Histor. Eccles. lib.* 7. *cap.* 30. *p.* 319. *cit. edit. Taurini* » Interpellatus, *inquit*, Imperator Aurelianus hoc negocium rectissi» me dijudicavit, iis domum tradi praecipiens, quibus Italici Christianae » Religionis Antistites, et Romanus Episcopus scriberent ».

(4) Quod recte animadvertit Franciscus Antonius Zaccaria *raccolta di dissertazioni di storia Ecclesiastica dissert.* 1. *tom.* 16. *pag.* 27. *seqq.*

(5) Vide Coustantium *loc. cit.* §. 1. *num.* 2. *col.* 93.

§. VII. Sed reddita Ecclesiae pace, et Christiana Religione dominante, pene innumera ad Sedem Apostolicam appellationum exempla sunt. Quaedam ex his pertinent ad Julium, qui ea tempestate Ecclesiae universae praeerat; et certe eum appellasse Athanasium tradit Liberatus Diaconus (1), idque firmissimis argumentis a Bellarmino (2), et Baronio (3), demonstratum est. Natalis Alexander (4), qui de hac appellatione late disputat, egregie fallitur, dum scribit, Athanasium venisse Romam, cum adversus eum querelae ad Julium ab Eusebianis delatae fuerunt, neque ulla contra eum, praeter Tyriam, synodus tunc habita fuerat. Nam vere Athanasius Romam petiit vocatus a Julio, postquam anno 341. ab Eusebianis Antiochiae gradu motus fuerat, et ejus loco Gregorius electus fuerat Episcopus Alexandrinus, uti certissimis argumentis et Coustantius (5), et Piacevichius (6) ostendunt. Revera Julius Eusebianis rescribens circa mensem Septembris an. 342. de Gregorio loquitur, ac praeterea querelas memorat, quas ad se detulerant non tantum Athanasius, sed etiam Marcellus, aliique complures Episcopi ex Thracia, Celesyria, Phaenicia, et Palaestina (7). Cur ab hoc novo Antiocheno Concilio Athanasius Romam appellare non poterat, quamquam antea in eam urbem vocatus fuisset a Julio? Sed non opus est verbis; hoc certum est, Julium Romae condemnasse Eusebianos, atque Athanasium absolvisse, hoc est, quod eodem recidit, eorum cognovisse judicium, expendisse, abrogasse. Negat Febronius id factum a Pontifice, quem tantum ait inquisivisse in Athanasii defensionem, eumque in communionem recepisse, et Episcopi habuisse loco. Sed quomodo Julius suam cum Athanasio tamquam Episcopo communionem confirmare potuisset, nisi eum restituisset Episcopatui Alexandrino, unde ab Eusebianis pulsus fuerat? Porro

Sozomenus (8), et Socrates (9) deserte tradunt, Julium ad suas remisisse Sedes Athanasium, et Paulum, et ceteros Episcopos, qui ab Eusebianis ejecti fuerant. Idem quoque confirmant Summi pontifices Julius (10), cujus unius abunde sufficeret testimonium, Bonifacius (11), Caelestinus (12), Felix III. (13), Gelasius (14), Nicolaus I. (15), qui omnes affirmant, Athanasium a Sede Apostolica fuisse absolutum, atque in pristinam dignitatem vindicatum. Ipse Athanasius omnem amovet dubitandi locum. Inquit enim (16) „ judicatum „ est non semel secundum nos. Primum quidem in nostra „ provincia in unum coacta ab Episcopis prope centum, „ secundo Romae, cum post missas illic ab Eusebio literas „ tum ipsi, tum etiam nos in judicium vocati sumus, con„ gregatique sunt ibi Episcopi plus quinquaginta. Tertio in „ magna synodo Sardicae coacta. „

(1) Liberatus Diaconus *Breviar. cap.* 18. *apud. Labbaeum. tom.* 6. *concil. col.* 448. de Joanne Talaja scribit haec; » Et sumpti ab eo (*Calen-» dione Antiocheno*) intercessionis synodicis literis Romanum Pontificem Sim-» plicium appellavit, sicut Beatus fecit Athanasius. »

(2) Bellarminus *de Rom. Pontif. lib.* 2. *cap.* 14. *opp. tom.* 1. *pag.* 316. *et cap.* 21. *pag.* 331. *edit. Venet.* 1721.

(3) Baronius *ad an.* 341. *num.* 49. *tom.* 4. *pag.* 381. *edit. Lucae.*

(4) Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 4. *dissert.* 22. *prop.* 1. *tom.* 4. *pag.* 428. *edit. cit.*

(5) Coustantius *monit. in epist.* 1. *Julii col.* 351.

(6) Piacevichius *in Thesaur. Theolog. tom.* 7. *par.* 1. *pag.* 725.

(7) Julius apud Coustantium *col.* 379. » Non enim, *inquit*, Athanasius „ dumtaxat, et Marcellus Episcopi huc se contulerant, ac secum injuste „ actum esse conquesti sunt, sed etiam complurimi alii Episcopi ex Thra-» cia, Coelesyria, Phaenicia, et Palaestina, et una Presbyteri non pauci, » atque alii quidem Alexandria, et aliis ex aliis partibus ad synodum huc » coactam accesserunt, qui coram omnibus Episcopis congregatis, praeter » alia, quae in medium protulerunt, conquesti sunt insuper, Ecclesias » vim, injuriamque esse perpessas. »

(8) Sozomenus *Histor. Eccles. lib.* 3. *cap.* 8. *pag.* 95. *edit. cit.* » Athanasius, *inquit*, Alexandria profugus Romam venit. Eodem tempore » Paulus quoque Constantinopolis Episcopus eo accessit.. Episcopus igitur » Romanus cum singulorum causas cognovisset, omnesque in Nicaenae » fidei doctrina constantes reperisset, in communionem recepit. Et quo-» niam propter Sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat, suam » cuique Sedem restituit. »

(9) Socrates *Histor. Eccles. lib.* 1. *cap.* 15. *pag.* 80. *edit. ejusd.* » Porro Athanasius, *inquit*, post diuturnos labores aegre tandem in Ita-» liam pervenit . . . . Eodem tempore Paulus quoque Constantinopolis » Episcopus, Asclepas Gazae etc. in Urbem Regiam adveniunt; ubi cum

» Julio Romanae Urbis Episcopo causam suam exposuissent, ille, quae est » Romanae Ecclesiae praerogativa, liberioribus literis eos commonitos in » Orientem remisit singulis Sedes suas restituens.

(10) Julius I. *epist. 4. ad Eusebian. apud Coustantium col.* 353.

(11) Bonifacius I. *ep.* 15. *ad Rufum Thessalonicen. num.* 6. *ibid. col.* 1042. *scribit haec*: „ Sed quia res postulat, approbandum documen» tis est, maximas Orientalium Ecclesias in magnis negotiis, in quibus » opus esset disceptatione majori, sedem semper consuluisse Romanam, » et quoties usus exegit, ejus auxilium postulasse. Sanctae memoriae Atha» nasius, et Petrus Alexandrinae Sacerdotes Ecclesiae hujus Sedis auxilium » postularunt. »

(12) Coelestinus *ep.* 14. *ad Clerum et Populum Constantinopol. num.* 7. *ibid. col.* 1143. agens de clericis a Nestorio degradatis, ac relegatis: » Habetis vos, *inquit*, quicumque ex Ecclesia estis ejecti, pene nostrorum » temporum beatae recordationis Athanasii Alexandrinae Ecclesia pruden» tissimi Sacerdotis exemplum. Fugatus illic (*scilicet ex Oriente*) in no» stris partibus roboratus est. Denique hic ei redintegratus est status, et » in hac Sede quietem communionis invenit, a qua semper Catholicis » subvenitur. »

(13) Felix III. in literis, quibus Acacium ad suum evocavit tribunal apud Labbaeum *tom.* 5. *Concil. col.* 217., habet haec: » Superveniens » Frater, et Coepiscopus noster Joannes fugatus ab haereticis pervasoribus » Sedis Alexandrinae, libellum nobis, quem sanctae memoriae Praedeces» sori meo paraverat porrigendum, ingressit. Quem morem Majoris sui » beatae memoriae Athanasii exemplo, et priorum nostrorum non potuimus » refutare. »

(14) Gelasius *epist.* 13. *ad Episcop. Dardaniae ibid. col.* 329. » Sed » nec ista praeterimus; *inquit*, quod Apostolica Sedes frequenter more » Majorum, etiam sine ulla synodo praecedente, et absolvendi, quos sy» nodus inique damnaverat, et damnandi, nulla existente synodo, quos » oportuit, habuerit facultatem. Sanctae memoriae quippe Athanasium sy» nodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia » damnationi Graecorum non consensit, absolvit. »

(15) Nicolaus I. *epist.* 8. *ad Michael. Imper. ibid. tom.* 9. *Concil. col.* 1332. dicit haec: » Quasi non et venerandae memoriae Methodius in » Graecia persecutione fervente, hic apud Beatum Petrum, et apud nos, » ubi olim Athanasius, ubi Paulus, ubi plurimi cum illis, et praeter il» los, ubi denique semper Catholicis subvenitur, consecuti sint requiem. »

(16) S. Athanasius *apolog. contr. Arianos num.* 1. *opp. tom.* 1. *pag.* 97. *edit. Patavii* 1777.

§. VII. Perridiculum est dicere, quod Julius tamquam Judex electus ab iis, quorum agebatur negocium, poterat vocare Eusebianos, in eos, qui venire renuebant, animadvertere, atque Athanasium absolvere. Nam hujus causae judicium suscepit Julius non tamquam judex electus ab iis, qui inter se contendebant, sed summo jure suo, suaeque Sedis auctoritate; quod testimonio Socratis, ac Theodoreti evidenter ostendit Natalis Alexander (1). Revera ex literis ab Ju-

lio datis ad Eusebianos constat, eos id aegre tulisse, eaque de re graviter fuisse conquestos, quod Julius hanc causam traxisset ad sese, eosque Romam vocasset, et exemplo Orientalium, qui in causis Occidentalibus Novati, et Novatiani nihil negocii susceperant, ne Occidentalibus quidem licere censebant de rebus Orientalium laborare. Quinam his querelis potuisset esse locus, si Eusebiani una cum Athanasio communi consensu judicem elegissent? Nonne Julius respondisset, inanes esse, ac prorsus ineptas hujusmodi querelas, cum ipse ab iis constitutus fuisset judex? At enim ipse Athanasius (2) narrat, Julium ab Eusebianis totius controversiae judicem electum fuisse, eique optionem datam, utrum vellet synodum cogere, an potius ipse judicium suscipere. Nam ait „ Eusebiani quoque ad Julium scripsere, ac sperantes, „ se nobis terrorem incussuros, rogabant, ut synodus co- „ geretur, et ipse Julius, si vellet judex foret. „ Sriptum id quidem ab Eusebianis fuit; at meris verbis, non ex animo, atque ex voluntate eligendi suae causae judicem, quem sibi sciebant adversarium maxime, et studiosum, ac fautorem Athanasii; nimirum ut ostenderent, adeo suae se causae confidere, ut Julium ipsum non recusarent judicem. Sed brevi intellectum est, qualis esset haec Eusebianorum liberalitas deferendi causam vel ad synodum, vel ad Julium ipsum, si vellet. Sperabant, se hac simulatione, et alacritate verborum Athanasio *terrorem incussuros*, et sperabant a judicio abfuturum eum, qui eorum mendacia, calumniasque refelleret. Verum „ ut de nostro adventu audierunt, *sicut ipse scribit* „ *Athanasius* (3), consternati, quod nullatenus expectarunt, „ nos illuc venturos, accedere noluerunt, absurdas causas „ commenti, sed revera timentes, ne de illis illi convinceren- „ tur; quae Valens, et Ursacius postea confessi sunt. „ Ita illa evanuit Eusebianorum ostentatio, neque habita est synodus, quam petierant; neque Julius in ea causa judicium tulit, tamquam judex electus ab Eusebianis, qui ab se propositum simulate judicium recusaverant, sed suo summo jure idem judicium egit. Atque hoc profecto summum jus, cujus gratia in eo negocio judicaverat, tum praesefert ipse Julius (4), tum agnoscit epistola Synodi Sardicensis (5), in qua mirifice laudatur „ aequitas judicii Fratris, et Coepiscopi

„ nostri Julii, qui non temerario consilio, sed cum debita „ accuratione sententiam tulit, adeo ut nihil sit dubii de „ communione Fratris nostri Athanasii relictum. „ Nihil occurrit vel unum verbum judicii ab Eusebianis commissi Julio, imo graviter reprehenduntur, quod ad synodum vocati ad eam venire noluissent. Quid sibi illa volebat synodi petitio, in qua Eusebianorum Legati tantopere insistebant, nisi illud volebat, ut declinarent judicium Julii, quod sibi adversarium fore prospiciebant? Quis autem credat, hos homines judicem eligere voluisse Julium, cujus animi sensus exploratos habebant?

(1) Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 4. *dissert.* 22. *prop.* 2. *tom.* 4. *pag.* 429.
(2) S. Athanasius *cit. apolog. num.* 20. *pag.* 110.
(3) Idem *ibid. loc. cit. pag.* 110.
(4) Julius *epist. ad Eusebian.* apud Athanasium *pag.* 111.
(5) Ibidem *pag.* 122.

§. VIII. Ex his omnibus illud perspicuum est, haud primum Romano Pontifici tribuisse jus appellationum synodum Sardicensem, sed contra illud multo ante habuisse Pontificem tamquam annexum Primatui, quo jure Divino fruitur in Ecclesia universa. Quae vero ante, eadem et post synodum Sardicensem fuit Ecclesiae disciplina, et constans, atque inviolata consuetudo; scilicet utriusque temporis cursu omnes, qui se superiore judicio damno affectos putabant, Apostolicam Sedem libere appellarunt. Ita optima illa legum interpres observantia rem conficit, atque aperte declarat, quae vera fuerit Sardicensium Patrum sententia, cum jus appellationum debitum Romano Pontifici et ex natura Primatus, et ex perpetuo consensu totius Ecclesiae confirmarunt. Sit initium a gestis ipsius synodi Sardicensis. Ea quidem Ursacium, et Valentem Episcopos tum ob Arianam haeresim, tum ob patrata in Athanasium, aliosque Orthodoxos crimina de Episcopatu dejecerat, atque omnis Fidelium communionis expertes esse voluerant. Cum autem in Illyrico, quod ad Constantis Augustis imperium pertinebat, Episcopatum gererent, et Constantis iram, cujus pura, et integra religio erat, pertimescerent, ostendentes, aut potius simulantes poeniten-

tiam, confugerunt ad Julium Pontificem, ut ejus auctoritate, jussuque solverentur poena, quam sibi Synodus inflixerat. „ Romam profecti, *uti narrat Athanasius* (1), peccata sua, „ eum poenitentia confessi sunt, gratiamque facti postularunt, „ et catholicam fidei formulam dederunt „ quam probavit Julius, eosque per *dispensationis* beneficium fidelium communioni restituit. Ex quo duo efficiuntur. Primum est, semper firmum, immotumque stetisse jus appellationum spectare ad Sedem Apostolicam; alterum, Synodum Sardicensem non meram *revisionem* Summo Pontifici dedisse, sed veram, germanamque appellationem, cujus gratia novum poterat agere judicium, et aliam, quam quae superioribus sententiis dicta fuerat, legem constituere. Haud sane Julius irritam fecit sententiam, quippe quae justitiam erat, synodi Sardicensis; sed dum duo illi Episcopi ad eum provocarunt, dumque ipse eos liberavit poena a synodo constituta, manifestum fit, eum recte fuisse appellatum, et ei fuisse supra synodum auctoritatem, et jure potuisse contra ejusdem synodi sententiam veniam dare. Quod autem Apostolica Sedes quorumvis Episcoporum, et synodorum judicia solvere per gratiam *dispensationis* possit, hoc ipso Ursacii, et Valentis exemplo demonstrat S. Hilarius Episcopus Pictavensium (2). Recte igitur Henrico Leodicensi Episcopo, qui de Dioecesano quodam suo Romae absoluto graviter conquestus fuerat, perinde ac Romanus Pontifex non illam, quam exercuerat, amplissimam potestatem haberet, rescripsit S. Gregorius VII. „ Intelligas, te aut praesumptionis spiritu, aut ignorantia, „ contra auctoritatem S. Romanae Ecclesiae verba jactasse, „ quasi imitando Orientales ( *nimirum Eusebianos* ), qui „ contra beatum Papam Julium obloqui praesumpserunt, „ eo quod ipse sanctissimum Athanasium Patriarcham sine „ eorum consensu absolverat (3). „

(1) S Athanasius *apolog. contr. Arian. num.* 58. *opp. tom.* 1. *pag.* 139. *edit. cit.*

(2) S. Hilarius *fragmen.* 2. *num.* 19. *opp. tom.* 2. *col.* 635. *edit. Veron. cit.* » Quam opportunitatem, *inquit*, nacti Ursacius, et Valens, » Romanae plebis Episcopum adeunt, recipi se in Ecclesiam deprecantur, » et in communionem per veniam admitti rogant. Julius ex consilio veniam, » quam orabant, impertit, ut cum lucro Catholicae Ecclesiae vires quoque » detraheret Arianis, cum eos, qui veritatem ante turbaverant, consilii

» hujus „ et audaciae poenitentes in communionem catholicam per veniam » reconciliatae pacis admitteret.

(3) S. Gregorius VII. *ep.* 4. *lib.* 6. apud Labbaeum *tom.* 12. *Concil. col.* 429.

§. IX. Haec, quae de Ursacio, et Valente narravimus, ad ipsam pertinent synodum Sardicensem, ipsumque attingunt tempus; quo eadem habita fuit; et ideo monumentum proferri nequit illustrius, et luculentius ad declarandam mentem Patrum Sardicensium. Triginta post annos Petrus Athanasii successor in Episcopatu Alexandrino cum ab haereticis Sede pulsus fuisset, ejusque loco electus Lucius, Romam venit praesidium imploraturus a Damaso, qui tunc Pontificatum maximum obtinebat. Damasus judicium Romae suscepit, et absolvit, tantaque fuit hujus judicii vis, et auctoritas, ut Clerus Populusque Alexandrinus nihil metuens iram haeretici Imperatoris statim Lucium pelleret, suaeque Sedi Petrum restitueret. Quo spectavit Bonifacius I. (1), cum literis datis ad Rufum, et alios Macedoniae Episcopos scripsit haec; „ Sanctae memoriae Athanasius, et Petrus Alexandrinae „ Sacerdotes Ecclesiae hujus Sedis auxilium postularunt. „ Atque idem sibi voluerunt Euterius Thianensis, et Elladius Tarsensis, cum scribentes Sixto Summo Pontifici (2), his usi sunt verbis: „ Et olim siquidem saepius jam ex Alexan„ dria hujusmodi haereticis zizaniis insurgentibus suffecit ve„ stra Apostolica Sedes per universum tempus illud ad men„ dacium convincendum, impietatemque reprimendam, et „ corrigenda, quae necessarium fuit, muniendumque orbem „ terrarum ad gloriam Christi, tam sub illo ter beato, et „ inter sanctos habendo Episcopo Damaso, quam sub pluri„ bus aliis etc. (3) „

(1) S. Bonifacius I. *epist. Rom. Pontif. col.* 1042.
(2) Ibid. *col.* 1246.
(3) Christianus Lupus, et Emmanuel a Schelestrate inter Romanas appellationes referunt etiam appellationem Maximi Cinici Episcopi Constantinopolitani, atque hujus sane opinionis fundamentum est epistola S. Ambrosii, et Episcoporum Italiae ad Theodosium *tom.* 3. *Concil. edit. Mansi col* 631. Sed primum haec epistola non Pontificis, sed S. Ambrosii, atque aliorum Episcoporum nomine scripta est, ideoque ad Romanas appellationes, de quibus agimus, proprie, ac vere traduci non potest, deinde vero quamquam de hujus epistolae veritate minime dubitarint Sirmondus, qui eam primus edidit, Baluzius, Quesnellus, Dupinius, Maurini editores operum

S. Ambrosii, Mansius, tamen firmissima sunt argumenta, quae ad ejus falsitatem ostendendam a Joanne David *jugemen. canon. chap. 4. art. 2. pag. 196. edit. Paris.* 1671. Natale Alexandro *Histor. Eccles. saec. 4. dissert.* 28. *tom.* 4. *pag.* 472., et Antonio M. Merenda *in opusc. S. Damasi diatrib. cap.* 1. *seqq. pag.* 180. *seqq. edit. Romae* 1754.

§. X. Eodem Summo Pontifice Damaso cum a Caesaraugustana Synodo condemnati fuissent Instantius, Salvianus, et Priscillianus „ Romam profecti sunt, ut apud Damasum „ Urbis ea tempestate Episcopum objecta purgarent„ uti narrat Sulpicius Severus (1). Quid sibi hoc iter, et quid itineris causa haec purgatio volebat? Hoc certe volebat unum, ut Damasi auctoritate, abrogata sententia Synodi Caesaraugustanae, purgatis locus pristinus restitueretur. Haud sane restituit Damasus, quoniam eo beneficio dignos non putavit homines jure, ac merito condemnatos, sed non ideo vera, ac germana appellatio haberi nequit, propterea quod ejus vis, et veritas non ex rei exitu, sed ex facto ipso appellantis aestimatur, et in ea tam probanda, quam rejicienda jus appellationis eluceat (2). Qua in re illud in primis dignum observatu est, quod Instantius, ejusque socii sese etiam Mediolanum contulerunt ad S. Ambrosium, cujus praeclara erat ubique fama, et existimatio, tum propter dignitatem Sedis, tum propter viri sanctitatem. Verum Ambrosio sese minime purgare studuerunt, uti se purgare voluerant Damaso, quia scilicet hic tantum poterat summa, qua in tota Ecclesia potiebatur, auctoritate, ille vero non poterat purgationem utilem reddere, et salutarem.

(1) Sulpicius Severus *Histor. sacr. lib.* 2. *cap.* 481. *tom.* 2. *pag.* 225. *edit. Veronae* 1754.

(2) Ibidem *pag.* 256. Videsis Fratres Ballerinios *observat. in dissert.* 5. *Quesnelli tom.* 2. *opp. S. Leonis col.* 933.

§. XI. Eusthatius Episcopus cum ab Arianis Episcopis in synodo Melitinensi in Armenia circa annum 357. de gradu dejectus fuit, appellavit Liberium Pontificem, a quo communicatorias accepit literas, per quas suae Sedi restitutus est. Rem omnem narrat S. Basilius (1), his verbis: „ Quaenam „ autem ei proposita fuerint a beatissimo Episcopo Liberio, „ et quibusnam assensus sit, ignoramus, nisi quod epistolam

„ attulit, quae eum restituebat, eaque ostensa synodo Tya-
„ nensi in suum locum restitutus est. „

(1) S. Basilius ep. 263. num. 3. opp. tom. 3. pag. 406. edit. Maurin. Paris. 1730.

§. XII. Sed illustris in primis est appellatio S. Joannis Chrysostomi, qui, cum injusto judicio synodi ad Quercum prope Chalcedonem condemnatus fuisset, ad S. Innocentium I. Summum Pontificem provocavit. Pontificiae potestati adversantes (1), primum hujus appellationis testem putant S. Gelasium I., perinde ac alia desint monumenta, quae eam testatissimam faciunt. Sed principio magnum his hominibus praejudicium facit auctoritas tam antiqui, ac tam vitae integritate illustris Pontificis, qualem Gelasium fuisse omnes norunt, qui cum haec scriberet, ut Acacinorum improbitatem retunderet, summa cautione opus habuit, ne quid mandaret literis, quod non esset certissimum, longeque remotum ab omni cavillandi loco. Deinde vero Chrysostomum revera appellasse Summum Pontificem, ut ejus auctoritate, et judicio adversus eum lata sententia e medio tolleretur, manifestum faciunt tum ipsius Chrysostomi literae (2), tum literae Honorii Imperatoris (3) ad Arcadium Imperatorem datae. In illis Chrysostomus narratis omnibus, quae iniquissime acta fuerant, Innocentium Pontificem rogat his verbis: „ ne igi-
„ tur tanta confusio omnem, quae sub coelo est, terram in-
„ vadat, rogo ut per epistolas denuncietis, ea quae tam ini-
„ que acta sunt ab una parte, absentibus, et non declinanti-
„ bus judicium ( [illegible] ) nullum habere robur, si-
„ cut ex sua natura nullum habent; et ut qui talia ausi sunt,
„ ecclesiasticarum legum poenis subjiciantur. Nos igitur, qui,
„ nec convicti, nec reprehensi sumus, nec rei demonstrati,
„ literis vestris quamprimum frui date, et caritate vestra, ce-
„ terisque omnibus, ut antea. „ An non vera haec, et germana appellatio est, cum Chrysostomus confugit ad Romanum Pontificem, ut ante actum judicium nullius roboris esse statuat, iniquos judices canonicis poenis obnoxios esse decernat, sibique injuria deposito concedat communionem, pacem, caritatem, quemadmodum iis ante depositionem fruebatur? Si-

imiter Honorii literae ad Arcadium datae memorant appellationem ad Sedem Romanam interpositam, missosque ad eam ex utraque parte Legatos, et *pacificam Joanni Episcopo permissam communionem*, quae nonnisi abrogata synodi sententia permitti potuisset, detrusosque violenter in exilium antistites *non examinatis rebus*, antequam institutum Romae judicium absolveretur (3).

(1) Petrus de Marca *de Concil. lib.* 7. *cap.* 9. Dupinius *de antiq. Eccles. discipl. dissert.* 2. *cap.* 2. §. 2. Basnagius *Annal. Polit. Eccles. ad an.* 404. §. 9. *et* 10. *tom.* 3. *pag.* 204. *edit. Roterodam.* 1706.

(2) Sunt haec Chrysostomi verba apud Palladium *dial. de vit. Chrysost. opp. S. Jo. Chrysost. tom.* 13. *pag.* 9. *edit. Venet.* 1754. secundum interpretationem Emerici Bigotii, qui certe suspectus esse non potest, quod nimium Sedi Apostolicae favere voluerit, et hanc ipsam interpretationem probat Petrus Coustantius *ep. Rom. Pontif. col.* 786. Quod si placeat Palladii verba ita interpretari, ut visum est Febronio: *obsecro, ut scribas, quod haec tam iniqua facta sint, non habeant robur*: res eodem recidit. Innocentium enim rogabat Chrysostomus, ut quae contra sese acta fuerant, irrita declararentur, quod certe non fecisset, nisi eam in Summo Pontifice auctoritatem agnovisset. Quid enim opus habebat epistola unius, alteriusve privati Episcopi, in quo non inerat potestas, quam unus habebat Summus Pontifex, infirmandi ea quae gesta fuerant, cum praesertim suis faverent partibus quadraginta Episcopi, qui latam sententiam injustam, hac nullam in omnium conspectu profitebantur?

(3) Honorius *epist. ad Arcad. Imper. opp. S. Jo. Chrysostomi tom.* 3. *pag.* 525. *edit. ejusd.* Consule David *jugem. canoniq. chap.* 7. *art.* 5. *pag.* 430. Natalem Alexandrum *Histor. eccles. saec.* 4. *dissert.* 28. *prop.* 3. *tom.* 4. *pag.* 466. Baronium *ad an.* 404. *num.* 20. *tom.* 6. *pag.* 442., Pagium *Critic. ad eumd. num.* 16. *pag.* 443., Christianum Lupum *de appellat. dissert.* 1. *cap.* 25. *et* 34., *et dissert.* 3. *cap.* 3. *pag.* 97. 134. 301. *opp. tom.* 8. *edit. Venet.* 1727., Bianchium *delle esterior polizia della Chiesa tom.* 5. *par.* 2. *cap.* 5. *lib.* 3. *pag.* 81. *seqq.*

§. XIII. Fatemur sane, Chrysostomum etiam ad Venerium Mediolanensem, et ad Chromatium Aquilejensem Antistites dedisse literas (1); verum hae literae, non solum anno 406, datae sunt, hoc est biennio post, quam antiquior illa ad Innocentium epistola scripta fuerat, sed etiam nihil habent simile eorum, quae hac epistola continentur; uti facile intelligit quisquis hanc cum illis conferre velit. Neque aliud suadet clausula, qua Innocentii epistola concluditur, qualis a Palladio describitur, his concepta verbis: „ Haec ipsa etiam scripta „ est ad Venerium Episcopum Mediolani, et ad Chromatium „ Aquilejae Episcopum. Vale in Domino (2). „ Principio haec

clausula minime invenitur in Codicibus manuscriptis, quos laudat Coustantius (3), neque item extat in omnibus editionibus operum S. Joannis Chrysostomi, neque in exemplari ejusdem epistolae, quam Fronto Ducaeus ceteris adjunxit epistolis Chrysostomi, neque in altero exemplari, quod Montfauconius separatim descripsit inter easdem epistolas (4), neque demum in accuratioribus collectionibus conciliorum (5), in quibus omnibus epistola concluditur his verbis, „ semper vale, „ et ora pro me Domine reverendissime, et sanctissime. „ Ex quo facile intelligitur, eamdem clausulam prodiisse ex penu alicujus interpolatoris, qui Palladii Codicem, quo Ambrosius Camaldulensis, et Bigotius usi sunt, depravavit. Deinde etiamsi vere Chrysostomus ad Venerium, et Chromatium perferendum curavit exemplar epistolae, quam ad Innocentium per Legatos misit, haud tamen efficitur, quod in his duobus parem cum Innocentio potestatem residere existimaverit. Ipsi sane principem habebant locum inter Italiae Episcopos, quibus ordinarium constabat Summi Pontificis concilium, a quo graviora quaeque ad Sedem Apostolicam delata negocia expediebantur; et hinc mirum non est, quod Chrysostomus ad Innocentium provocans, his quoque Episcopis, qui tunc soli erant Italiae Metropolitae, scripserit, ac datarum ad Innocentium literarum exemplar miserit, ut ad concilium vocati rem totam, de qua agendum erat, compertam haberent. Verum quatuor Episcopi, qui Chrysostomi legatione functi sunt, non solum Joannis, sed etiam quadraginta Episcoporum, qui in ejus communione perseverabant, clerique Constantinopolitani, eisque, et Chrysostomi adversarii aures praebuit Innocentius, qui tum illi, tum Clero rescripsit, et hae literae per totum Orientem sparsae, ac disseminatae sunt.

(1) Joannes Chrysostomus *ep.* 155. *ad Chromatium*, *et ep.* 182. *ad Venerium opp. Chrysost. tom.* 3. *pag.* 689. *et* 702. *edit. Venet.* 1734.

(2) Palladius *de vit. S. Jo. Chrysostomi opp. Chrysost. tom.* 13. *pag.* 9. *edit. ejusd.*

(3) Coustantius *epist. Rom. Pontif. col.* 787.

(4) Montfauconius in Chrysostom. *ep. ad Innocent. cit tom.* 3. *pag.* 315.

(5) Labbaeus *tom.* 3. *Concil. col.* 59. *edit. Venet. cit.*

§. XIV. At quod demum Innocentii, quem Chrysostomus appellavit, in ea controversia judicium fuit? Ipse scili-

cet rebus diligenter cognitis, auditisque Chrysostomi adversariis abrogavit, atque rescidit, sicuti narrat Palladius, qui utitur verbo ἀθετήσας, quod est participium verbi ἀθετέω, quodque latine significat non tantum *improbare*, sed etiam *infirmare*, *abrogare*, uti pluribus datis exemplis contra Dupinium Bianchius (1), contra Basnagium Mansius (2) ostendunt. Quam Palladii sententiam ita explicatam egregie, confirmat omnis antiquitas; nimirum Gelasius, qui datis ad Episcopus Dardaniae literis (3) scribit, *Apostolicam Sedem absolvisse Joannem Constantinopolitanum, quem synodus etiam Catholicorum Praesulum certe damnaverat*; Vigilius (4), qui Chrysostomum, et Flavianum a Catholica Ecclesia sejunctos haberi non posse affirmat, *quod semper inviolatam eorum communionem Romani Pontifices servaverunt*; Facundus Episcopus Hermianensis (5), qui memorat *judicium Sedis Apostolicae, quae per beatissimum Papam Innocentium praedicti sancti Joannis in exilio constituti damnationem solverat*. Sunt haec monumenta certissima, ex quibus apertissimum est, Joannem Chrysostomum ab Innocentio Pontifice solutum fuisse poena a synodo constituta, et vero solutum methodo judiciali, hoc est auditis Chrysostomi adversarii, excussisque omnibus, quae recta, et diligens judicandi ratio postulabat. Neque vero quod Innocentius affirmavit necessariam esse synodum, ut omnis de tam gravi negocio controversia tolleretur, argumento esse potest, uti visum est Dupinio, et Febronio, quod Summus Pontifex eam ab se potestatem abesse existimaverit. Jam enim Innocentius in gradum pristinum restituerat Chrysostomum, et eum participem fecerat ecclesiasticae communionis, a qua eum rejecerat Theophili synodus; quod satis superque est, ut dubitari non possit, quin Pontifex voluerit, et potuerit ejusdem synodi antiquare sententiam. Eodem jure praecidere potuisset omnem disputationem, sed maluit obtemperare prudentiae regulis, quod erat necessarium ea maxime tempestate, qua Arcadii uxor Eudoxia male animata in Chrysostomum omnem certe dedisset operam, ut solius Innocentii judicium et suspectum esset, et ab omnibus despiceretur. Sed has ipsas prudentiae leges consonas esse voluit legibus justitiae, et Pontificis auctoritati. Justitiae inquam legibus,

Nam Chrysostomus violentum spolium pertulerat, quo vi ejectus fuerat ex Episcopatus possessione, justitiae autem leges sic ferebant, ut primum vi erepta possessio redintegraretur, postea de violentiae crimine judicium fieret (6). Itaque Chrysostomo primum restituta est antiqua possessio, quam vis injusta rapuerat, dictaque lex ab Innocentio, ut postea de violentiae crimine quaereretur. Ita satisfactum est justitiae legibus, quae hunc judicii ordinem postulabant, sed simul etiam ea, quam habere oportebat, ratio est habita Pontificiae auctoritatis. Innocentius reddiderat, ac restituerat Chrysostomo locum, gradumque suum, quod vel unum satis erat, ut haec auctoritas tum infirmandi synodi sententiam, tum in integrum restituendi spoliatum nota esset, ac manifesta omnibus; neque ullus dubitandi locus esse poterat, quin ille qui haec praestiterat, posset etiam de violentiae crimine judicare. Sed prudens Pontifex sciebat, quantum gratia, et auctoritate valeret Theophilus, quam multos haberet sibi concordes, et consentientes, quam infeusa esset Chrysostomo Imperatrix, ei hinc intelligebat fore, ut cum omnibus compertum esset quanta ipse caritate, et concordi amicitia complecteretur Chysostomum, sui solius judicium suspectum traduceretur, neque aptum esset ad omnem praecidendam controversiam. Itaque ut os omnibus obturaret, maluit de suo jure decedere, et Concilio Occidentalium, et Orientalium Episcoporum cognoscendum relinquere crimen violentiae, dicta tamen lege, ut firmum immotumque esset quod ipse judicaverat, neque „ Joannes judicium ingredi de-„ beret, nisi ipsius prius restituta fuisset et Ecclesia, et „ communio (7). „

(1) Bianchius *dell' esterior polizia della Chiesa lib.* 3. *cap.* 5. §. 7. *num.* 6. *tom* 5. *par.* 2. *pag* 88. *seqq.*

(2) Mansius *in not. ad Natal. Alexandr. dissert.* 28. *saec.* 4. *tom.* 4. *pag.* 482. *edit. Venet.* 1776.

(3) Gelasius *ad Episc. Dardan. ep.* 13. apud Labbaeum *tom.* 5. *conc. col.* 329.

(4) Vigilius *in consit.* apud Labbaeum *tom.* 5. *Concil. col.* 1348.

(5) Facundus Hermianensis *pro defens trium capit. lib.* 6. *cap.* 5. *inter oper. varia Sirmondi tom.* 2. *col.* 432. *edit. Venet.* 1728.

(6) Cujacius *ad tit.* 62. *lib.* 7. *Cod. opp. tom.* 9. *pag.* 1035. » Majo-» rem celeritatem, *inquit*, desiderat reformatio, et restitutio possessionis » vi ereptae, quam executio criminis ex L. Julia de vi publico, vel pri-

» vata, et hoc est quod ait L. si quis inf. ad L. Iuliam de vi publica,
» ante omnia causam violentiae examinari, idest causam possessionis vi ex-
» reptae: examinari ut quamprimum redintegretur, non publicam violen-
» tiae crimen, quia, ut ait eadem lex, prius est finienda causa posses-
» sionis, quam perveniatur ad crimen violentiae.

(7) Palladius *loc. cit. pag.* 13.

§. XV. Adhuc Pontificatu Maximo fungebatur Innocentius, cum Africani Patres non obscurum dederunt novae ad eumdem appellationis argumentum. Primosus Episcopus in Mauritania Caesariensi criminis accusatus reus cum ad provinciae synodum ire nollet, literas ab Imperatore impetravit, ut a plenario Africae concilio judicaretur. Sed ne in hoc quidem plenario concilio sui facere copiam voluit, quamquam huc Imperatoris rescripto vocatus fuisset. Quare Episcopi Mauritaniae in Concilio Charthaginensi rem omnem Innocentio significari voluerunt, ut ei compertum esset. „ Primosum per „ Principales Civitatis Thiganensis conventum, literis eorum „ fuisse, ut secundum principalia scita plenario Concilio sui „ praesentiam faceret; et ut oportuit requisitus Primosus repertus non est, sicut Diaconi renunciaverunt. Sed qui po„ poscerunt eidem Mauri de plenario concilio oportere literas „ destinari ad venerabilem fratrem Senem Innocentium has „ placuit mitti, ut agnoscat Primosum requisitum a Concilio, „ et minime fuisse repertum (1) „. Quid hanc sibi voluisse dicamus solicitudinem Episcoporum Mauritaniae, ut Innocentio compertum esset, Primosum ad Concilium fuisse vocatum, neque tamen sui copiam fecisse? Profectio vel appellavit Primosus Innocentium, vel ne eum appellare posset, metuebant Africani Patres, quia secus inutilis fuisset tanta illa eorum solicitudo, ut summus Pontifex de rebus omnibus a Primoso gestis certior redderetur. Nisi accipiendae appellationis potestatem in Romano Pontifice agnovissent, frustra laborassent de ostendendo negocio, cujus ille judex minime esse debebat. Aliarum quoque Africanarum appellationum exempla memorat Augustinus (2), de quibus alius erit agendi locus.

(1) Concilium Carthaginense, quod laudat Franciscus Antonius Zaccaria *raccolta di dissertazioni etc. disser.* 1. *tom.* 16. *pag.* 78.

(2) Augustinus *ep.* 209. *ad Caelestin. num.* 8. *opp. tom.* 2. *edit. Maurin. Venet.* 1729. *col.* 779. Coustantius *col.* 1036. *not. c.* haec dicta

esse existimat eo temporis intervallo, quo Afri Romam Appellare permiserant, donec expensis Nicaeni concilii exemplaribus perspicuum fieret, num in iis laudati a Zosimo canones reperirentur; sed eum solide refellit Jo. Franciscus Antonius Zaccaria *cit. disser.* 1. *pag.* 78. *et* 79.

§. XVI. Triennio post ipse Innocentius per appellationem judicavit causam Bubalii, et Tauriani, quos Macedoniae synodus condemnaverat. Petrus de Marca, et Constantius hanc appellationem aegre tulisse existimant Macedoniae Episcopos, eaque de re graviter cum Summo Pontifice fuisse conquestos; Verum egregie falluntur, uti a Davidio (1), Christiano Lupo (2), Natali Alexandro (3) demonstratum est. Ipsi enim Macedoniae Episcopi plus semel contra Bubalium, et Taurianum suas ad Innocentium querelas detulerant, eumque *iteratis querimoniis* rogaverant; ut *iterum in homines perditissimos insurgeret* (4). Quis dicat his Episcopis displicuisse susceptum ab Innocentio judicium, quod ipse eorum suasu, ac precibus susceperat? Accedit, quod quidquid egerant Macedoniae Episcopi non sine consilio, et auctoritate egerant Rufi, quem Summus Pontifex in toto Illyrico sui Vicarium constituerat (5). An est credibile, Rufum, et qui eo vel auctore, vel suasore Turianum, et Bubalium condemnaverant, iniquo animo ferre potuisse, quod Innocentius ea de re novum ab se ipso judicium institui vellet? Sed non opus est verbis; nam ipse Innocentius aperte declarat causam, propter quam Episcopis Macedoniae non liceret quieta mente consistere. Scilicet Innocentii literas Bubalius finxerat, quas per totam provinciam pervulgaverat, et quibus suadere conabatur, habere se Innocentii communionem, dum contra ipse Episcoporum Macedoniae judicium confirmaverat (6).

(1) David *jugemen. canon. chap.* 10. *art.* 5. *pag.* 542. *seqq. edit. Paris.* 1671.

(2) Christianus Lupus *de Rom. appell. Eccles. Gallican. dissert.* 1. *tom.* 31. *opp. tom.* 8. *pag.* 122. *edit. cit.*

(3) Natalis Alexander *Histor. eccles. in saec.* 4. *disser.* 28. *prop.* 3. *tom.* 4. *pag.* 476.

(4) Innocentius *ep* 18. apud Coustantius *ep. Rom. Pontif. col.* 841. „ Mora, *inquit* Coepiscoporum nostrorum Maximiani, et Eumenii, vel „ potius importunitas temporum fecit, ut vos iteraretis de Bubalio, et „ Tauriano querimoniam, et nos iterum in homines perditissimos insur„ geremus. „

(5) Innocentius *ep.* 13. *col.* 817. *loc. cit.* „ Arripe itaque, *inquit*,

„ dilectissime Frater, nostra vice per suprascriptas Ecclesias, salvo earum „ primatu, curam; et inter ipsos Primates primus, quidquid eos ad nos „ necesse fuerit mittere, non sine tuo postulent arbitratu. Ita enim aut „ per tuam experientiam, quidquid illud est, finietur; aut tuo consilio „ ad nos usque perveniendum esset mandamus. „

(6) Innocentius *cit. ep.* 18. *col.* 842. » Verum illud, *inquit*, video » movisse animos vestros, quod in multis Bubalius saepe fallaciis depre» hensus objecerit exemplaria fictarum quasi a nobis literarum, cum pro » consuetudine hominis nihil, quod proferret, jam fide dignissimum vi» deretur. »

§. XVII. Innocentio in Pontificatu maximo successit Zosimus, et duae extant ad eum memoriae hominum traditae appellationes, altera Coelestii, quem Carthaginensis synodus condemnaverat (1), altera Patrocli Episcopi Arelatensis. Proculo Episcopo Massiliensi Taurinensis Synodus adscripserat ordinationes provinciae Narbonensis secundae; hinc Patroclus, qui grave eo decreto detrimentum acceperat, Zosimum appellavit, a quo Taurinensis synodi sententia e medio sublata est (2). Hanc appellationem ne ipse quidem Paschasius Quesnellus in discrimen revocare ausus est; inquit tamen, id immerito, suoque arbitratu a Patroclo factum fuisse. Sed eodem Pontifice magna in primis inter eum, et Episcopos Africanos exarsit controversia. Milevitana synodo II. Presbyteris, et clericis vetitae fuerant transmarinae, hoc est Romanae appellationes, nihilotamen minus Apiarius Presbyter, quem Urbanus Episcopus Siccae in provincia proconsulari de gradu dejecerat, Zosimum appellavit. Pontifex de Milevitano decreto certior factus animo magno, ac fortiter negocium hoc suscipiendum putavit, ut obsisteret rei novitati, Sedisque Apostolicae jura tueretur; sed in hoc tam gravi negocio summam cautionem adhibere voluit, ne turbas cierent Afri, quorum ingenium fervens, ac petulans magnum ejus rei metum afferebat. Itaque in Africam misit Legatos tres Faustinum Episcopum Potentiae, ac Philippum, et Asellum Presbyteros Ecclesiae Romanae, qui jussi sunt una cum vicinis Episcopis Apiarii causam cognoscere. Quod plane consentaneum erat Africanis canonibus, quibus sancitum fuerat, ut irent ad vicinos Episcopos Presbyteri, aliique inferiores clerici, qui se a suis Episcopis damnum accepisse querebantur. Sed cum haec legatio commovere animos Afrorum posset, quaedam Zosimus scripto mandavit, de quibus monitos Legatos voluit; in

primis vero tradidit canones Sardicenses, quibus jus appellationum explicatur. Hos canones Nicaenos appellavit non ut aliquid per fraudem, et malitiam fingeret, sed ut sequeretur consuetudinem Ecclesiae Romanae, quae in suo codice post Nicaenos continuo descriptos, et sub eodem titulo habebat canones Sardicenses, uti in Codice Justelli, aliisque manuscriptis codicibus reperti sunt (3). Neque nova, et inaudita videri poterant Africanis Patribus praescripta synodi Sardicensis. Nam huic synodo interfuerat Gratus Episcopus Carthaginensis, et Primas totius Africae cum aliis triginta quinque Episcopis Africanis. iique omnes subscripserant, et approbaverant quae ab eadem synodo decreta fuerant. Quis vel conjectura adduci ad suspicandum poterat eosdem Episcopos non probaturos ejus Concilii auctoritatem; praesertim cum Carthaginensi Concilio II. (4) statutum fuisset, ut ab ipsis *veterum statuta servari deberent*? Itaque Zosimus ea in re sequutus est consuetudinem Ecclesiae Romanae, quae nullum faciebat discrimen inter Nicaenos, et Sardicenses canones; cui quoque consuetudini obsequutus est Innocentius I. (5), et obsequuti Zosimi successores, ne ipso quidem excepto Leone M., qui semper tamquam Nicaenos laudarunt canones Sardicenses. Bellarmini (6), et Baronii (7) opinio est, eosdem canones habitos fuisse tamquam Nicaeni Concilii partem, aut appendicem, propterea quod utrique Concilio iidem Patres magna ex parte, Osio Praeside, interfuerunt. Sic unum ob omnibus numeratur Concilium Florentinum habitum Eugenio IV. Pontifice, licet magna pars sessionum, et definitionum ejus Ferrariae contigerit. Pari modo facile evenire tunc potuit, quod synodi Nicaena, et Sardicensis ab iisdem Patribus celebratae eodem fine proposito argumento pro una synodo haberentur. Amortius (8) in Archivio Diessensi sese invenisse testatur antiquissimum codicem, in quo post Concilium Nicaenum alterum describitur *Concilium Nicaenum XX. Episcoporum*; quod secundum appellatur. Ex quo conjicit, viginti Episcopos Occidentales post discessum aliorum Patrum aliud Nicaeae Concilium habuisse, in quo illi conditi fuere canones, quos postea Sardicensis synodus probavit, et uberius, ac fusius explicavit. Quod si verum est, facile intelligitur, quamobrem in codicibus Occidentis hi canones continuo post Nicaenos descri-

pti, ac Nimeni appellati fuerint. Sed ejus rei causam investigare, et perscrutari curiosius, nihil attinet, cum res ipsa certa, et comperta est.

(1) Confer Facundum Hermaniensem *lib.* 7. *cap.* 3. *inter. opp. Sirmondi t.* 2. *col.* 440. *edit. Venet.* 1728., et Zosimum P. *ep.* 2. *ad Aurelium et alios Africae Episc.* apud Coustantium *ep. Rom. Pontif. col.* 944.

(2) Zosimus *ep* 5. apud Coustantium *col.* 959

(3) Vide Ballerinios *de antiq. collect. Latin. par.* 2. *cap.* 1. §. 3., *col. LVII. t.* 3. *opp. S Leon.*, et Joan. David *des jugemens canoniques des Eveques chap.* 1. *art.* 6. *p.* 43. *seqq.*

(4) Concilium Carthaginense II. *an.* 390. *can.* 10. *tom.* 2. *Concil. col.* 1247. *Concil. Labbaei.*

(5) Innocentius I. *ep.* 6. apud Coustantium *col.* 790.

(6) Bellarminus *de Rom. Pontif. lib.* 2. *cap.* 25. *opp. tom.* 1. *pag.* 335. *edit. Venet.* 1721.

(7) Baronius *ad an.* 347. *num.* 108. *pag.* 458. *edit. Lucae.*

(8) Amortius *elem. jur. canon. in praefat.* §. 8. *pag.* 5. *edit. Ferrariae* 1763.

§. XVIII. Ut in Africam Zosimi Legati venerunt, Aurelius concilium Carthagine convocavit, in quo magna, concertationumque plena disputatio de his canonibus acta est. Ea certe nullo negocio sublata fuisset, si Africani Episcopi compertos habuissent veros, et germanos canones Sardicenses (1). Sed hos illi ignorabant, quia descripti non erant in codicibus, quibus utebantur, oecumenici concilii Nicaeni, et quamquam Gratus Carthaginensis Episcopus huic concilio, uti diximus, interfuisset, tamen ita ejus memoria absoleverat, ut non aliud in Africa nosceretur Sardicense concilium, quam conciliabulum Philoppolitanum, quod Schismatici in Thracia habuerant, ementito nomine Sardicensis, ut hac fraude incautos deciperent, veroque concilio Sardicensi auctoritatem adimerent (2). Verum in eo concilio controversia sublata non fuit; et ideo statutum, ut ea de re diligentius quaereretur concilio, quod erat habendum anno, qui proxime sequebatur; sed interim (tanta erat Afrorum erga Summum Pontificem reverentia) laudati a Zosimo canones observarentur (3). Habitum demum est hoc Concilium cui praeter Pontificis Legatos Episcopi CCXVII. interfuerunt. Synodica, quam Patres scripserunt, epistola primum nunciant (4) Bonifacio I., qui post Zosimum Summus Pontifex creatus fuerat, Apiarium, qui suorum criminum veniam postulaverat, communioni, non item Siccensi Ecclesiae ob bo-

num pacis fuisse restitutum, eique datas literas communionis, ut ubique suo lubitu Sacerdotii munera exerceret. Postea de canonibus, in quibus omnis posita erat controversiae ratio, sermonem instituunt, iisque se parituros profitentur usque ad inquisitionem, investigationemque meliorem canonum Nicaenorum, rogantque Pontificem, ut ea de re consulat Episcopos Orientales. Nullum in hac tota epistola verbum est, quod contra Pontificiam auctoritatem facere videatur.

(1) Quod diserte fatentur Constantius *in ep.* 15. *Zosimi col.* 982., et Tillemontius *in vita S. Augustini art.* 324. *Histoir. eccles tom* 13. *pag.* 861. *edit. Venet.* 1732., quorum neuter haud sane haberi potest fautor appellationum.

(2) Vide S. Augustinum *ep.* 44. *num.* 6. *opp. tom.* 2. *col.* 103. *edit. Maurin. Venet.* 1729.

(3) Patet id ex literis plenarii concilii Africani ad Bonifacium Zosimi successorem apud Constantium *epist. Rom. Pontif. col.* 1012.

(4) Vide eamdem Africani Concilii synodicam epistolam *num.* 2. *col.* 1011. *loc. cit.*

§. XIX. Non multo post, nimirum circa exitum anni 425. haec in Africa controversia recruduit. Quamquam Afri totum de perquirendis Nicaenis canonibus negocium Summo Pontifici commisissent, haud tamen ipsi totam ejus curam abjecerant, sed ad Atticum Constantinopolitanum miserant Marcellum Subdiaconum, ad S. Cyrillum Alexandrinum Innocentium Presbyterum, ut per eos vera haberent exemplaria canonum Nicaenorum. Cum his exemplaribus tantum continerentur Nicaeni canones jam Afris noti, non item illi, quos Zosimus laudaverat, fuit id Bonifacio significatum; sed tunc nihil novi actum est contra appellationes. Denique Apiarius, cujus causa Zosimo Pontifice tota illa contentio orta est, ejus redintegnandae auctor, fuit cum Coelestinus Pontificatum gereret. Cum enim iterum ob ejus scelera communionis expers factus fuisset, appellavit Summum Pontificem, a quo non tantum poena solutus, sed et in Africam missus est cum Faustino Legato, ut hujus auctoritate sustentaretur. Legatus potius se Apiarii patronum, quam judicem praebuit, omniumque odium ob intolerabilem superbiam, et arrogantiam in se concitavit. Dum haec gerebantur, Apiarius angore, et solicitudine conscientiae vexatus sponte sua confessus est scelera, quae omnium animos, adeo gravia erant, horrore perfuderunt. Hinc Afri obla-

tam sibi putarunt occasionem scribendi ad Coelestinum rogantes eum, ut non facile suscipiat appellationes, quoniam magna exinde mala, et incommoda oriebantur. Has literas paulo diligentius expendere oportet, quoniam invidi vituperatores Sedis Apostolicae magnam ex iis contra jus appellationum educi argumentum posse arbitrantur (1).

(1) Omissis Joanne Calvino, M. Antonio de Dominis, ceteris similibus, qui se Romani Pontificis Primatui bellum indixisse profitentur, Paschasius Quesnellus Africanam Ecclesiam numquam Romanum Pontificem appellasse contendit, ideoque recentiori aetate jus hoc appellationum Sedem Apostolicam injuria arripuisse contendit. M. Antonium de Dominis, ac ceteros praesertim haereticos refutavit M. Antonius Cappellus *dissert. de appellationibus Ecclesiae Africanae ad Romanam Sedem.* Quesnello satisfecit Christianus Lupus *dissert.* 2. *de. Africanae Ecclesiae ad Sedem Apostolicam provocationibus opp. tom.* 8. *pag.* 145. *seqq.* Multa etiam ea de re habent Orsius *de Rom. Pontif. auctoritate lib.* 7. *cap.* 14. *tom.* 4. *pag.* 705. *seqq. edit. Romae* 1711., *et Istor. Ecclesiast. lib.* 27. *num.* 36. *seqq. tom.* 12. *pag.* 121. *seqq. edit. Romae* 1753. Ballerinii *opp. S. Leonis M. tom.* 2. *col.* 933. 958. 961.; Cerbonius *de jur. et leg. disciplin. lib.* 22. *cap.* 5. §. 4. *tom* 3. *pag.* 320. *seqq. edit. Romae* 1777.

§. XX. Ut rectum de hoc controversia judicium ferri possit, videndum est diligenter, quid in illo ipsa aestu contentionis Afri contenderent. An quod proprium non esset Summi Pontificis jus suscipiendi appellationes ex tota Ecclesia, an quod ipsi non liceret de rebus Afrorum ad se provocantium judicare? Rem sane postulassent et injustam, plenam intolerabilis arrogantiae, si solis Afris concessum contendissent jus hoc summum, et singulare, ut in Ecclesiae capite non agnoscerent supremam illam potestatem, quam in Orbe Christiano ceterae omnes Ecclesiae agnoscebant. Ad Summum Pontificem cunctae non solum ex Occidente, sed etiam ex Oriente suo lubitu provocabant, neque de his appellationibus ullae umquam querelae sunt habitae, neque ullae contentiones fuerunt. Provocaverant Marcion (1), Basilides Asturicensis, et Martialis Emeritensis, S. Athanasius Alexandrinus Episcopus, Paulus Episcopus Constantinopolitanus, Asclepa Gazensus, et Lucius Adrianopolitanus, Marcellus Ancyranus, Ursacius, et Valens, Petrus Alexandrinus, Justantius, Salvianus, et Priscillianus, Patroclus Arelatensis, quorum supra facta mentio est, et fortasse multi alii, quorum vetustate evanuit memoria. Quin ex ipsa Africa Romam appellaverant Privatus Lambesitanus Episcopus, Novatus, Fortunatus Felicissimus, et quatuor Afri-

canae Ecclesiae Presbyteri, Coecilianus Antistes Charthaginensis, Coelestius, Primosus Episcopus Thigauensis in Mauritania Caesariensi. Quis sibi illud in animum inducere poterit, ut credat; ea aetate Africanos Episcopos in tantam audaciam erumpere potuisse, ut contra exempla Majorum suorum, contra totius Ecclesiae sententiam, et disciplinam jus sibi esse crederent, quod neque sui Majores habuerant, neque habebat Ecclesia universa? Neque tantum jus Primatus in totam Ecclesiae, sed etiam jus Patriarchicum in totum Occidentem, ideoque etiam in Africam impugnassent. Forte minus grave, et molestum fuisset, si contra Romanas appellationes caput extulissent Orientales, qui suos habebant Patriarchas; sed absurda, et intolerabilis fuisset contentio illa Afrorum, qui non alium habebant Patriarcham, quam Romanum Pontificem, cui uno ictu et jus Primatis in tota Ecclesia, et jus patriarchae in Occidente eripere voluissent. Ita scilicet evertendi ordinem, et rationem ecclesiasticae Hierarchiae, quae ubique vigebat, et autocephalam faciendi totam Africam eorum fuisset optio, et potescas.

(1) Consule quae supra scripsimus *pag.* 319.

§. XXI. Id si opinione, verisque similitudine non est credibile, omnem sane evellunt scrupulum, remque ponunt in illustri loco ipsae Afrorum literae datae ad Zosimum, Bonifacium, Coelestinum Summos Pontifices, ex quibus manifestum est, numquam Afros novam illam, et absurdam opinionem animo concepisse, ut putarent, Romanum Pontificem non habere potestatem suscipiendi Africanas appellationes. Ordiamur ab iis, quae Zosimo Pontificem gesta sunt, cum ob Apiarii appellationem illa inter Sedem Apostolicam, et Afros primum exarsit disceptatio. Is quidem Apiarii appellationem suscepit, et eum communioni restituit, misitque in Africam Legatos tres, qui eum restituendum curarent, eisque dedit commonitorium, quod coram 217. Patribus Carthagine congregatis lectum fuit. Quatuor autem mandata eo commonitorio continebatur, sicuti constat ex literis Patrum Carthaginensium ad Bonifacium datis (1): „ Unum de appellatio-„ nibus Episcoporum ad Romanae Ecclesiae Sacerdotem; al-

„ terum ne ad Comitatum Episcopi importune navigent; tertium de tractandis Presbyterorum, et Diaconorum causis apud finitimos Episcopos, si a suis excommunicati perperam fuerint; quartum de Urbano Episcopo excommunicando, vel etiam Romam vocando, nisi ea, quae videbantur corrigenda, corrigeret. „ Quid ad haec Patres Carthaginenses? Ipsi sane rem totam explicant in literis, quas mortuo Zosimo ad ejus successorem Bonifacium dederunt: „ Quoniam Domino placuit (*inquiunt*) ut de his, quae nobiscum egerunt sancti Fratres nostri, Coepiscopus Faustinus, et Compresbyter Philippus, et Asellus, non beatae memoriae Episcopo Zosimo, a quo ad nos mandata, et literas attulerunt, sed tuae venerationi, qui es divinitus constitutus, humilitas nostra rescriberet, ea breviter insinuare debemus, quae utrorumque concordia terminata sunt, non ea, quae prolixis gestorum voluminibus cotinentur, in quibus, salva quidem caritate, non tamen sine parvo altercationis labore demorati sumus, ea gestis deliberantes, quae nunc ad causam pertinent .... Apriarius Presbyter, de cujus et ordinatione, et excommunicatione et provocatione fuerat exortum non solum Siccensi, verum etiam toti Africae Ecclesiae non leve scandalum, de omnibus erratis suis veniam petens, communioni est restitutus. Prior autem Coepiscopus noster Siccensis Urbanus, quod in eo corrigendum visum est, sine ulla dubitatione correxit. Quia vero paci, et quieti Ecclesiae non tantum in praesens, sed etiam in posterum prospiciendum fuit, quoniam talia multa praecesserant, ut vel similia, vel etiam graviora deinceps praecaverit oporteret; placuit nobis, ut de Siccensi Ecclesia, retento scilicet honore gradus sui, Presbyter removeretur Apiarius, et accepto epistolio, ubicumque alibi vellet, et posset Presbyterii munere fungeretur. „ Nihil sane in his literis, et nihil in iis, quae in ea disceptatione acta sunt, quod jus Romani Pontificis perfrigant, et labefactet; imo cuncta manifestam faciunt reverentiam, qua Africani Episcopi Sedem Apostolicam proseqnebantur. Pontifex Apiarii appellationem suscipit, eumque restituit in gradu pristinum; tres in Africam Legatos mittit, ut ad exitum perducenda curent, quae ab se decreta sunt; Urbanum Episcopum excom-

municandum, vel Romam vocandum statuit, nisi mandatis pareat. Nullae in his omnibus Afrorum querelae contra Pontificis potestatem, nullae quod Urbanus vel Romam ire jubetur, vel ecclesiasticae communionis expers declaratur, ubi Apiarium restituat. Legati non tantum cum omnium consensione tranquille recipiuntur, sed etiam a Patribus, qui numero 217. Carthaginem convenerant, ad ferendum in eo negocio judicium secum admittuntur, eaque sententia Pontifici significatur. Cuncta haec evidenter ostendunt, ex contentionibus, quae Zosimo Pontifice excitatae sunt, argumentum educi plane nullum, quo confici videatur posse, Africanos Episcopos jus appellationum ad Sedem Apostolicam in discrimen revocare voluisse.

(1) Vide epistolam omnis Concilii Africani apud Coustantium *ep. 2. Bonifacii col.* 1010. *seqq.*

§. XXII. Non multo post nova efferbuit materia contentionis. Quamquam Africani Patres professi essent inquisitionem canonum Nicaenorum curae esse Romano Pontifici, haud tamen ipsi omiserunt ad S. Cyrillum Alexandrinum Innocentium Presbyterum, et ad Atticum Constantinopolitanum Marcellum Subdiaconum mittere, ut ad se certa Nicaeni Concilii exemplaria perferrent. Certior ea de re statim est factus Summus Pontifex Bonifacius; sed tamen in suo statu mansit illa de appellationibus concertatio. Ita acta res est, donec Apiarius ob graviora, quae postea patravit, crimina iterum ab ecclesiastica communione ejectus, ad Bonifacium provocavit, qui deceptus simulatione pietatis, falsique nunciis, quos accepit, eum poena liberavit. Atque ut ea, quae decreverat, exitum haberent celeriorem, iterum in Africam misit Faustinum Legatum, qui aspere, et acerbe Afros tractare caepit, partesque potius egit defensoris, quam judicis. Quae res quantum Afrorum animos concitarit, facilius est intelligere, quam sermone explicare. Accessit postea factum ipsius Apiarii, qui suorum scelerum conscientia cruciatus cuncta sponte confessus est, quae cum Afrorum animos horrore compleverunt, tum manifesto demonstrarunt, minus rectum fuisse Bonifacii judicium, qui communioni restituit Apiarium

de cujus criminibus amplius dubitari non poterat. Hinc tota orta est controversia de appellationibus. Hactenus exitum consequuta fuerant mandata Pontificis, qui Apiarium restituerat, non solum antequam de veritate quaereretur Canonum Nicaenorum, sed etiam posteaquam re quaesita diligenter compertum est, in illorum numero non haberi canones, quos Zosimus proposuerat. Afrorum animi jam exulcerati arrogantia, et asperitate Legati nullum amplius modum ab se habendum putarunt; vimque omnem explicarunt, excusserunt ingenii, ut efficerent, finiendas esse omnes controversias in Africa, ubi initium habuerant. Haud tamen eo usque progredi ausi sunt, ut jus Romani Pontificis in discrimen adducerent, negarentque ad eum pertinere Africanas appellationes, uti caeterae ex toto Christiano orbe appellationes pertinebant. Tantum contenderunt, quod magis expediret, essetque magis congruens, et conveniens ecclesiasticae disciplinae rem finire in Africa, ubi reus, ac testes aderant, cunctaque in promptu erant ad ostendendam rei veritatem necessaria; quam negocium committere transmarino Judici, qui propter locorum distantiam copiam habere non poterat omnium rerum scitu necessarium, et ideo facile induci in errorem poterat. Recens memoria judicii, quod Romae latum fuerat, et quod poena solverat Apiarium, qui certe omnium concessu, ipsoque confitente multorum criminum reus erat, illustre ejus rei praebebat argumentum; et hinc Afri majores sumpsere animos, ut transmarinis appellationibus intercederent.

§. XXIII. Sed in illo ipso aestu disputationis de jure summi Pontificis recipiendi omnes appellationes nemo dubitare ausus est. Quod manifesto patet ex ipsa Apiarii appellatione. Licet enim ipse merito gradu motus ob crimina Afris certa appellationis effugio sese protexisset, licet Faustinum Legatum a Pontifice missum ita circumvenisset, ut sui patronum potius, quam judicem haberet, ejusque patrocinio fretus nonnisi post longam disceptationem ad suorum scelerum confessionem compulsus fuisset, licet Africani Patres hoc appellationum abusu irritati hujusmodi *clericorum improba refugia*, ut vocant, averti summopere vellent, nihilominus non modo Faustinus, et duos alios Legatos ab Apostolica Sede

missos non repulerunt, sed eorum etiam sententiae acquiescentes Apiarium communioni restituerunt. Adeo vero Pontificiam auctoritatem in his ipsis clericorum appellationibus venerati sunt, ut quamquam idem Apiarius post primam restitutionem iterum in alia crimina lapsus, et idcirco depositus ad Romanum Pontificem iterum confugisset, quamquam nova delegatio Faustini transmissa eo tempore fuisset, cum jam Afri certo sciebant, inter veros, et proprios Nicaenos canones eum non reperiri, de quo quaerebatur, ac proinde non amplius teneretur conditione, qua se obligaverant usque ad diligentiorem Nicaenorum canonum inquisitionem, adhuc tamen in obsequium Sedis Apostolicae eumdem Faustinum Legatum ut judicem receperunt, et solum cum Coelestino conquesti sunt, quod ille Apiarii patrocinium potius, quam judicium suscepisset, partesque ageret defensoris potius, quam judicis. Quamquam vero sibi appellationes displicere declaraverint, tamen numquam negarunt, numquam se dubitare professi sunt, quod Romanus Pontifex jus haberet ad eas suscipiendas; quod quidem ad eas omnino repellendas argumentum fuisset plane maximum.

§. XXIV. Imo Afri non modo nullum umquam fecere verbum de hoc tanto, tamque gravi argumento, quod unum rem conficere potuisset; sed potius inania quaedam, et excogitata solerter in medium attulerunt, ut propositum tuerentur suum. Non erat quidem in numero canonum, qui proprii, ac veri Nicaeni dicebantur, canon, quem Zosimus laudaverat, licet Romana Ecclesia eum tamquam Nicaenum haberet sed certe conditus erat ab antiquissima synodo, hoc est Sardicensi, et Afris firmum ratumque erat, ut in Concilio Carthaginensi II. sancitum (1), et in Codice canonum Ecclesiae Africanae (2) repetitum erat, ab se *veterum statuta servari debere*. Itaque dubitari non poterat, quin et hic Sardicensis canon, qui certe inter *veterum statuta* recensebatur, ab Afris observari deberet. At Sardicensem canonem de appellationibus ad Sedem Apostolicam, quem Zosimus tamquam Nicaenum proposuerat, Afri ignorasse videntur, quoniam aperte inquiunt, plures se legisse codices, atque illum nullibi reperisse. Verum difficile est suadere sibi aliquem posse, quod ipsi revera Sardicenses canones ignorarent. Huic con-

cilio interfuerat Gratus Primas Africae cum aliis 35. Episcopis, et hos secum detulisse canones, cunctaque synodalia veri simillimum est; imo et ipse Gratus hoc concilium in sua Carthaginensi synodo laudaverat (3), eique, praefuerat Osius Afris valde familiaris, et ideo credibile non est, illud Afris multum commendare noluisse. Forte in hoc toto negocio perspici videtur posse Africanum ingenium, et callidas. Zosimus tantum in Nicaeno Concilio insistebat, atqui ab eo certe aberat canon, quem ipse in medium attulerat. Satis id fuit Afris, qui cum tantum operae, studiique ponerent in removendis transmarinis appellationibus, refutato argumento, quo Zosimus nitebatur, rem omnem se confecisse existimarunt, ignorationem simulantes canonis Sardicensis, cujus Pontifex mentionem non fecerat. Fac tamen hunc canonem revera Afros ignorasse; res adhuc eodem recidit. Nam qui cuncta veterum statuta observare debebant, sine dubio et canonem observassent tam insignis concilii, quale fuit Sardicense, si illum revera exploratum, perspectumque habuissent (4). Neque hoc solum argumento nitebantur Afri, ut transmarinas appellationes averterunt; sed etiam proponebant Nicaenum canonem 5., quo cautum est, ut *hi, qui abjiciuntur ab aliis non recipiantur*, quem canonem etiam ad Episcopos producendum contendebant; praeterea ipsius Nicaeni Concilii decretum, quo Metropolitarum judicio tum inferiorum clericorum tum Episcoporum causae committuntur, et quoad *improba clericorum refugia* nulla definitione derogatum esse ajebant Ecclesiae Africanae. De hoc Nicaeno canone supra actum est; hic tamen pauca in memoriam revocanda sunt. Hujus canonis verba sunt haec (5): „ De his, qui a communione segregati sunt seu ex clero, seu ex laico ordine, ab „ Episcopis per unamquamque provinciam sententia regularis obtineat; ut hi, qui abjiciuntur ab aliis non recipiantur. „ Requiratur autem, numquid vel pusillanimitate, vel contentione, vel alio quolibet Episcopi vitio, videantur congregatione pulsi sint. Ut hoc ergo decentius inquiratur, bene „ placuit annis singulis per unamquamque provinciam bis in „ anno concilia celebrari, ut communiter omnibus simul Episcopis provinciae congregatis discutiantur hujusmodi quaestiones, et sic qui suo peccaverint evidenter Episcopo ex-

„ communicati rationabiliter ab omnibus aestimentur, usque„ quo vel in communi, vel Episcopo placeat humaniorem „ pro talibus ferre sententiam. „ Canon hic unamquamque provinciam singulatim acceptam respicit, sibique illud unum vult, ut qui ab uno Episcopo excommunicatus fuerit ab altero ejusdem provinciae Episcopo particeps non fiat communionis, totaque ejus vis unius provinciae finibus continetur, neque ad alias provincias traduci post. Quod pars altera ejusdem canonis egregie confirmat. Ibi enim decernitur, ut res tota in provinciali concilio expendatur, ut nosci possit, num clericus, vel laicus *pusillanimitate*, *aut contentione*, *aut alio quolibet Episcopi vitio* a communione amotus fuerit. Quod si in concilio constituerit, clericum, vel laicum contra suum Episcopum revera peccasse, tunc sane statuitur, ut qui revera peccarunt *excommunicati ab omnibus rationabiliter aestimentur*, ab omnibus inquam ejusdem provinciae, extra quam decreta concilii provincialis vim cogendi non habent. Totus ergo Nicaenus canon singulos cujusvis provinciae Episcopos respicit, eoque ipsi prohibentur in suam communionem recipere qui ab alio ejusdem provinciae Episcopo excommunicati fuerint, novumque judicium, si quo forte opus fuerit, synodo provinciali committitur, et in eo, quod sit judicatum omnes in eadem provincia stare debent.

(1) Concilium Carthaginense II. *can.* 10. *col.* 1393. *Concil. collect. Labbaei tom.* 2.

(2) Codex canon. Eccles. African. *cap.* 13. apud Labbaeum *tom.* 2. *Concil. col.* 1265.

(3) Concilium Carthaginense I. *can.* 5. *tom.* 2. *Concil. col.* 749. *collect. Labbaei.*

(4) Recte Coustantius *in ep.* 15. *Zosimi col.* 982. „ Satis illi (*Zosimo*, » *inquit*, ) erat, Afris, qui in Carthaginensi II. Concilio can. 10. pro» fitentur, atque Codice canonum Ecclesiae Africanae c. 13. repetunt: a » nobis veterum statuta servari debere, Sardicensis synodi proponere aucto» ritatem, neque ipsi metuendum erat, ne decreta respuerent, quae Pri» matem suum vel praesentia, vel subscriptione comprobare didicisset. » Tantum ea de causa decretis illis, quae Zosimus Nicaena appellaret, » concedere non posse epist. 2. ad Coelestinum num. 4. scribunt, quia » inquiunt in nulla invenimus Patrum synodo scriptum. Si hoc tam gravi » in synodo constitutum reperissent, eos statim Zosimi voluntati obsequntu» ros fuisse, quis dubitet ?

(5) Concilium Nicaenum *can.* 5. *tom.* 2. *Concil. Labbaei col.* 35.

§. XXV. I[llegible] scilicet Afri praejudicata opinione, studioque partium abrepti Nicaenos canones interpretabantur; et ita quod pro singulis Episcopis uniuscujusque provinciae ab eo concilio sancitum est, non solum, referebant ad omnes Episcopos quarumlibet provinciarum, sed etiam argumentum sumebant, ut Afrorum negocia intra Africam finienda esse demonstrarent. Deinde quod in Nicaeno pro clericis, et laicis, statutum est, etiam ad Episcopos producendum putabant ajentes. „ Decreta Nicaena sive inferioris ordinis clericos, sive ipsos „ Episcopos suis Metropolitanis commiserunt. „ Haud vero cautum est a Nicaenis Patribus, uti Afri existimabant, *quaecumque negocia in suis locis, ubi orta sunt, finienda*, sed tantum, ut omnes cujusvis provinciae Episcopi obstringantur legibus sui concilii provincialis; sed ne unum quidem est verbum de altero judicio, quasi hoc neque ab oecumenico concilio, neque a Summo Pontifice fieri possit; imo hoc nullo modo excludunt Nicaeni Patres, semel ac eorum decreta tantum cujusvis singularis provinciae Episcopos attingunt. Addebant etiam Afri in hac de appellationibus concertatione, in transmarino judicio testes facile adesse non posse; praeterea nullo Patrum decreto fuisse sancitum, ut a Sede Apostolica Legati in Africam mitterentur, ut expenderent judicia, de quibus emissa fuerat appellatio. Sed quod ad testes attinet, eorum absentiae incommodo per scripta, quibus certa sit fides, et auctoritas, facile remedium adhiberi poterat; quoad Legatos vero in Africam mittendos, id quidem Afri vere affirmare poterant, si in Sardicensium canonum ignoratione versabantur. Certe in Nicaeno Concilio, quo uno Zosimus nitebantur, secundum exemplaria, quae ad eos ex Oriente missa fuerant, nihil tale reperiebatur. Sed non ideo propter hanc ignorationem, fiebat, ut non immerito, et injuria querentur.

§. XXVI. Excitabant etiam, et inflammabant Afrorum animos splendor Ecclesiae Africanae, ingensque numerus Episcoporum, quibus ea constabat, ita ut ab iis res quaeque arduae, et difficiles expedire facile possent; neque oporteret quaerere externos judices, qui redintegrarent negocium tot, ac tantorum virorum judicio absolutum. Porro civiles provincias sex, ex quibus Africa constabat, ecclesiasticas quoque fuisse, et in eis frequentissimas etiam Sedes Episcopales exploratissimum esse, ait Christianus Lupus (1). Jacobus Sirmon-

dus (2) Notitiam vulgavit provinciarum ecclesiasticarum Africae, atque in ea provinciae proconsulari assignantur Sedes LIV., Numidiae CXXV., Bizacenae CXIII., Mauritaniae Caesariensi CXXVI., Mauritaniae Sitifiensi XLIV., Provinciae Tripolitanae V., atque in ea etiam numerus deficere videtur. Nam in Caesareensi provincia omittitur ipsa Ecclesia Caesareensis; et Cartaginensi Synodo, quam ex sola sua provincia contra Pelagianos celebravit Aurelius Primas, adfuerunt Episcopi LXVIII. Victor quoque Vitensis (3), scriptum reliquit, in Proconsulari tunc provincia fuisse Episcopos CLXIV., ubi solum etiam de solis Episcopis superstitibus loqui videtur. Magno igitur Episcoporum numero constabant uniuscujusque synodi provinciae, et frequentissima erant plenaria totius Africae concilia; ideoque in hac tam ingenti copia Episcoporum videbantur judicia recte procedere, et omnem fraudis suspicionem procul esse debere. Atque hoc est quod innuunt. Africani Patres in epistola ad Coelestinum (4), cum inquiunt credibile non esse cuilibet posse Deum nostrum examinis „ inspirare justitiam, et innumeralibus „ congregatis in concilium Sacerdotibus denegare.„ Hoc peculiare habebat Africa, propter quod domestica judicia satis esse videbantur, ut omnia penitus absoluta haberentur, eaque praesertim de causa Africani aegre ferebant transmarina judicia, uti ea semper aegre tulerunt tum antea, tum postea, quod etiam Cyprianus, et Augustinus ostendunt.

(1) Christianus Lupus *de African. Eccles. Rom. appellat. cap.* 2. *opp. tom.* 8. *col.* 149.
(2) Sirmondus *opp. tom.* 1. *pag.* 257. *edit. Venet.* 1728.
(3) Victor Vitensis *persec. Vandal. lib.* 1. *pag.* 6. *edit. Paris.* 1569.
(4) Apud Coustantium *ep.* 2. *inter epist. Caelestini num.* 3. *col.* 1061.

§. XXVII. Omnia haec conjunctim, uti par est, accipiuntur, et facile patebit, quam effrenata cupiditate arderent Afri avertendi transmarinas appellationes, et quanta animi contentione laborarent, ut conficerent quod sibi proposuerant. Nihilominus quamquam tanto essent incensi desiderio finiendi intra Africam sua judicia, causasque haberent haud plane despiciendas, tamen numquam de Summi Pontifici potestate

suscipiendi ex toto orbe appellationes dubitare ausi sunt. Imo vero cum *deprecantur* ut *non facilius* admitiat appellationes eorum, qui Romam ex Africa provocaverint, atque ut hae preces eum, quem optant, exitum consequantur, argumenta conquirunt, ut quod sibi, idem et Pontifici persuasum sit. Quod *de inferioribus clericis*, deque *laicis* a Nicaeno concilio constitutum fuit, id argumento est Afris, quod etiam Episcopi eadem lege teneantur; quod eadem synodus et inferiores clericos, et ipsos Episcopos suis Metropolitis subjectos esse voluit, id ipsis consequens esse videtur, ut nemo sit supra ipsos Metropolitas, qui ab horum judicio provocantes audire possit; quod satius esset expedire negocia eo in loco, uti originem habuerunt, id tanti faciendum putarunt Afri, ut nefas esse crederant extra eum locum redintegrare judicium, ac victis nullam spem esse reliquam appellationis vellent. His argumentis Afri sententiam suam tuebantur, uti evenit in omnibus disputationibus, in quibus duo inter se certant, et exquirit uterque argumenta, quibus omnes suae sententiae causam, rationemque cognoscant. Simili modo Afri argumentatione probabilem, et prope veram sententiam suam reddere conabantur, ut permoverent animum Pontificis ad suscipiendam *deprecationem* suam, atque ad rejiciendas appellationes, quae ad sese ex Africa deferebantur; sed nullam umquam fecere mentionem ejus rei, quae una rem confecisset; scilicet numquam visi sunt dubitare de potestate Summi Pontificis suscipiendi appellationes tum ex Africa, tum ex orbe universo. Itaque res illae ab Afris in toto illo negocio gestae rediguntur omnes ad meram disputationem, qua illi suas proponebant rationes, non quod non agnoscerent auctoritatem Patriarchae, et Primatis, quam reliquae nationes agnoscebant; sed quod, ut putabant, magis expediret, magisque esset utile, et congruum ecclesiasticae disciplinae cuncta negocia finire in Africa, ubi praesentes erant testes, omniaque occurrebant ad judicium recte exercendum necessaria, ac tantus aderat Episcoporum numerus, quam ire ad externos judices, qui non gnari rerum gestarum, neque instructi rebus necessariis ad judicium recte exercendum facile delabi in errorem poterant, in quem et Pontifex ea de causa delapsus fuerat. Sed qualis exitus hujus disputationis fu-

it? Nihili factae sunt inanes illae rationes; quae Primatus jura intervertere non poterant, et quas antea recipere consueverat appellationes Afrorum ad se provocantium Sedes Apostolica; easdem et postea repugnante nemine recipere perrexit, uti paulo post ostendemus.

§. XXVIII. Postremo dicendum aliquid est de canone 22. Concilii Milevitani II., quo Presbyteri, Diaconi, ceterique inferiores Clerici ad transmarinos judices ire prohibeutur his verbis (1): „ Item placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel „ ceteri inferiores Clerici, in causis, quas habuerint, vicini „ Episcopi eos audiant . . . . . Quod si ab eis provocandum „ putaverint, non provocent nisi ad Africana concilia, vel „ ad Primates provinciarum suarum. Ad transmarina autem „ qui putaverit appellandum a nullo intra Africam in com„ munionem suscipiatur. „ Hic idem Canon bis est descriptus in Codice Canonum Ecclesiae Africanae, primum *cap.* 28. deinde iisdem omnino verbis in *cap.* 125. (2), cum hoc tamen discrimine, quod hoc solum habet, quod extat in Concilio Milevitano, unde sumptum est; illud vero post vetitam Presbyteris, clericisque inferioribus appellationem ad transmarina judicia additamentum habet conceptum his verbis; *sicut et de Episcopis saepe constitutum est.* De hoc additamento, quod ad Episcopos pertinet, non una doctorum hominum sententia est. Natalis Alexander (3), et Cardinalis Orsius (4) adjecta deinceps putant ea verba: *sicut et de Episcopis saepe constitutum est*; cum nullum extet Africanum concilium, a quo hujusmodi Episcoporum appellationes ad Summum Pontificem vetitae sint. Quomodo igitur *saepius* vetitae in eo canone dici possunt? Accedit quod hic canon sumptus ex canon 22. Concilii Milevitani II., ubi de his agitur Episcoporum appellationibus et in quo nullum est ea de re verbum; quod in ipso Codice Ecclesiae Africanae, ubi idem decretum bis describitur, et vero describitur iisdem verbis tantum in *cap.* 28. illud de Episcopis additamentum extat, abest a *cap.* 125; quod desideratur in collectione Cresconii, iu qua imo longe aliud habetur (5), qui et illum canonem Milevitanum et ceteros, quibus Africana Ecclesia regebatur, diligentissime collegit. Illud quoque observatu dignum, quod si illa de Episcopi disciplina saepius constituta fuisset, haud sane Africani Patres in negocio, de

quo tanta animorum contentione disputabatur, unum aut alterum proferre non omisissent, et tamen nullum proferre potuerunt; neque credibile est, Pontificios Legatos, qui praesentes erant, additamentum illud, quod nulla auctoritate nitebatur, tolerare voluisse. Quid quod Afri in literis ad Coelestinum datis, ut rejiciant Episcoporum appellationes, nullum afferunt canonem, quo eae vetitae habeantur? Ut ostendant non licere Sacerdotibus, clericisque minoribus trans mare appellare, nituntur canone 5. Concilii Nicaeni, quo cautum est, ut clerici in una provincia excommunicati ecclesiasticae communionis participes in alia provincia fieri nequeant, tum ajunt *si de inferioribus Clericis, vel de laicis videtur ibi praecaveri, quando magis hoc de Episcopis voluit observari*? Si aliquis extitisset canon, qui Episcopos ea in re quibusvis clericis, et laicis aequaret, nonne eum in medium attulissent? Quod certe magis aptum fuisset, et accomodatum ad causam, quam tuebantur, quam insistere in inani argumento, quo ad Episcopos trahitur quod de inferioribus clericis, et laicis constitutum est; quasi eadem sit omnium conditio, ratio, gradus. Longe alia mens est Augustino (6), qui postquam statuit potuisse Coecilianum *non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret* communione conjunctum *Romanae Ecclesiae, in qua semper apostolicae cathedrae viguit principatus*, magnum inter Episcopos, interque Presbyteros, Diaconos, clericosque inferiores discrimen facit his verbis: „ neque enim de „ presbyteris, aut diaconis, aut inferioris ordinis clericis, „ sed de collegis agebatur, qui possent aliorum collegarum „ judicio, praesertim apostolicarum ecclesiarum causam suam „ integram servare. „

(1) Concilium Milevitanum II. *can.* 22. *tom.* 3. *Concil. col.* 585. *collect. Labbaei edit. Coleti.*

(2) Codex Canonum Eccles. African. *cap.* 28. *et cap.* 125. *col* 1276. *et* 1348. *apud Labbaeum tom.* 2. *Concil.*

(3) Natalis Alexander *Histor. Eccles. in saec.* 4. *dissert.* 28. *prop.* 3. *tom.* 4 *pag.* 479.

(4) Cardinalis Orsius *Istor. eccles. lib.* 27. *num.* 36. *tom.* 12. *pag.* 134. *seq. edit. Romae cit.*

(5) Cresconius *Breviar. canon.* apud Voellum *Bibliot. Juris Canon. cap.* 149. *tom.* 1. *pag.* 457. *edit. Paris.* 1661. „ ut inter discordes Episcopos

» comprovinciales Antistites audiant; quod si damnatus appellaverit Romanum Pontificem, id observandum, quod ipse censuerit, » et *in libro canon. ibid. in append. pag.* 33.

(6) S. Augustinus *ep.* 43. *num.* 7. *opp. tom.* 2.

§. XXIX. Contra Fratres Ballerinii (1) verba: illa *sicut et de Episcopis saepius constitutum est*: vera concilii verba esse arbitrantur, sed tamen referenda ad alteram canonis partem, hoc est ad ea verba: *sed ad Primates suarum provinciarum, aut ad universale concilium*. Scilicet ante eum canonem Presbyteris licebat ab Episcopi sententia provocare ad vicinos Episcopos sex (2), quorum judicio controversia finiebatur. Sed cum Presbyteri, ut longius producerent beneficium appellationis, Romam appellare incepissent, idque aegre ferrent Africae Episcopi, visum est decretum emittere, per quod et Presbyteri haberent, qui de eorum controversiis tertio loco judicarent, nimirum Primates, aut Patres universalis concilii Africani, qui pariter et Episcopis judices dati fuerant. Haud igitur prohibentur Episcopi Romam provocare, sed ne provocarent Presbyteri, quia nullum habebant tertio, ac postremo loco judicem, qui eorum querelas cognosceret, sancitum est, ut hic judex esset Primas provinciae, aut universale concilium Africanum, quorum ab alterutro ut causae judicentur Episcoporum, constitutum est. Quod egregie confirmant ea, quae paulo post hoc concilium a Laurentio Episcopo gesta sunt, quem Romanum Pontificem appellasse non obscure indicat Augustinus (3). Sunt haec de Episcoporum appellationibus; quod vero attinet ad appellationes Presbyterorum, aliorumque inferiorum clericorum, non inficiamur, in can. 22. Concilii Milevitani II., qui descriptus est in Codice canonum Ecclesiae Africanae (4), eorum appellationes ad transmarina judicia expresse fuisse interdictas. Sed in hoc ipso canone quamquam condito, cum jam Afrorum animos transversos agere caepisset illa de appellationibus altercatio, quae biennio post eos acri, et vehementi quadam incitatione inflammavit, nullum excidit verbum, quo jus pontificium in discrimen adduci posse videretur. Tantum Patres suo illo decreto avertendam curant nimiam appellandi licentiam, qua Presbyteri, aliique Clerici abutebantur, et qua fiebat, ut Episcopi jus suum libere exercere non possent, et negocia minus commode, ac minus cito, et

accurate expedirentur. At quale huic licentiae remedium adhibetur? An statuunt Afri, nefas esse appellare, an lex directo fertur in eosdem clericos, ut non appellent, an appellantes depositionis, privationis clericatus, aut simili poena plectuntur? Nullum de his omnibus verbum est. Lex directo fertur in ipsos legislatores Episcopos, qui sua sponte constringunt potestatem suam, sibique ipsis legem dicunt, ut qui *putaverit* ( leni hoc utuntur verbo, non acerbo illo, et imperioso, *qui ausus fuerit*, aut simili ) appellandum, a nullo eorum intra Africam in communionem recipiatur. Itaque si recte vim verborum, ac legis intelligimus, tota illa lex pactum conventum fuit inter Episcopos, qui sibi ipsis mutuo consensu legem imposuerunt, ut eorum nemo in communionem susciperet Presbyteros, ac ceteros clericos, qui putaverint appellandum. Odiosae, ac molestae erant Afris transmarinae Appellationes, illisque omnis cura, atque opera posita erat in iis removendis. Quid agerent, ut quod animo agitabant, consequerentur? Fas non erat appellationes absolute interdicere, quoniam omnibus compertum erat jus Summi Pontificis; non item licebat privatione clericatus, aut simili poena plectere appellantes, propterea quod poena consequens est criminis, neque illi criminis ullius rei haberi poterant propter appellationem. In hoc rerum discrimine Africani Episcopi quasi mediam sequuti sunt viam, per quam neque aliquid detraherent de jure Summi Pontifici, et simul modum ponerent appellationibus, a quibus adeo voluntate, ac studio abhorrentes erant, et quae multa secumferre incommoda existimabant. Longe dispari ratione usi sunt Patres adversus eos, qui ab Africanae Ecclesiae communione rejecti confugientes ad Ecclesias transmarinas per dolum, et fallaciam, hoc est per crimen, earum communionem impetrassent. Nam in eodem Codice Ecclesiae Africanae (5), sancitum est ut „ quicumque non communicans in Africa, in transma„ rinis ad communicandum obrepserit, jacturam clericatus „ excipiat. „ Hic quidem reus criminis judicatur, quoniam in transmarinis ad communicandum *obrepsit*, hoc est per dolum, et fallaciam communionem obtinuit ( 6 ), et ideo tamquam reus criminis clericatus munere, et officio privatur. At qui justae, et legitimae appellationis beneficio ad Apostolicam Sedem provocavit, cum nullius criminis argui possit, nulli poe-

nae directo subjicitur, sed ipsi Episcopi pacto inter se inito jubentur eum non participem facere communionis suae. Quid quod in eo Codice, quem Hadrianus I. dedit Carolo M., canon ille conceptus est his verbis (7): „ Clerici, qui ad transmarina, non ad Primates suos, provocaverint, in communionem non recipiantur „. Quod egregie congruit cum alio canone ejusdem Codicis (8), quo sancitum est ut „ a quibuscumque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas fuerit provocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint, vel animico animo judicasse, vel aliqua cupiditate, aut gratia depravati. „ Hoc sane canone disertissime permittitur appellatio *a quibuscunque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas*, neque id obesse statuitur judicibus, qui priorem tulere sententiam, nisi convicti fuerint, *vel inimico animo judicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia depravati.* An non major auctoritas inest in Summo Pontifice, non solum tamquam Primate totius Ecclesiae, sed etiam tamquam Patriarcha Africae universae? Quomodo igitur haec duo inter se pugnantia componi poterunt, ut secundum canonem 15. provocare liceat ad majorem auctoritatem ecclesiasticam, contra vero secundum canonem 105. non liceat provocare ad Patriarcham Africae, et Primatem Ecclesiae, hoc est ad majorem ecclesiasticam auctoritatem? Contra nulla pugna est, si legamus canonem uti est in Codice Hadriani descriptus, per quem integra relinquitur facultas provocandi ad majorem ecclesiasticam auctoritatem, modo appellatio fiat ordine, et gradatim, non *per saltum*, ita ut non liceat neglecta media auctoritate statim ad majorem provocare.

(1) Ballerinii *in S. Leonem tom.* 2. *in* 1. *part. dissert.* 5. *Quesnelli cap* 6. §. 28. *col.* 966. *et* 967.

(2) Concilium Hipponense an. 393. et Carthaginense an. 397. in quo Breviarium Canonum Hypponensium lectum, et confirmatum fuit, unde Augustinus *ep.* 65. *opp. tom.* 2. *col.* 154. *edit. cit.* » sex Episcopi, *inquit*, » causam Presbyteri terminari Concilio statutum est. »

(3) S. Augustinus *ep.* 209. *num.* 8. *opp. tom.* 2. *col.* 779. *edit. Maurin. cit.*

(4) Codex canonum Ecclesiae Africanae *can.* 28. apud Labbaeum *tom.* 2. *Concil. col.* 1276.

(5) Citatus Codex *can.* 105. *eod. loc.* 1336.

(6) Natalis Alexander *Histor. Eccles. saec.* 4. *dissert.* 28. *quaes.*. *u-*

*nic. prop.* 3. *tom.* 4. *pag.* 379. *edit. Venet. cit.* » Cum obreptum, *inquit*, » ex Ulpiano idem sit, quod mendacio, et dolo impetratum, hujus canonis genuinus sensus est: si quis excommunicatus in Arica mendaciis, » et dolis impetraverit communionem a Romana Sede, Clericatu privetur. » Verum eos non percellit canon iste, qui legitimae appellationis suffragio ad Sedem Apostolicam confugerint. »

( 7 ) Capitula Hadriani I. *cap.* 28. apud Labbaeum *tom.* 8. *Concil. col.* 578.

(8) Codex Canon. Eccles. African. *can.* 15. *tom.* 2. *col.* 1268.

§. XXX. antequam hoc de Africanis appellationibus argumentum deseramus, operae pretium est et alia proferre appellationum exempla, quae ad eadem regionem pertinent: ut ex iis pateat, qualis fuerit exitus contentionis, quae inter Sedem Apostolicam, interque Afros acta est. Mittimus quae de Prisco, Victore, Laurentio, omnibus Episcopi Mauritaniae Caesariensis narrat Augustinus (1), cujus verba sunt: „ Existunt exempla, ipsa Sede Apostolica judicante, vel aliorum judicata firmante, quosdam pro culpis quibusdam nec „ episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos. Quae ut a nostris temporibus remotissima non requiram; recentia memorabo. Clamet Priscus provinciae Caesariensis Episcopus, aut ad Primatum locus, sicut ceris, et „ mihi patere debuit, ut Episcopatus mihi remanere non „ debuit. Clamet alius ejusdem provinciae Victor Episcopus „ cui relicto in eadem poena, in qua et Priscus fuit, nusquam „ nisi in diaecesi ejus ab aliquo communicatur Episcopo; „ clamet, inquam, aut ubique communicare debui, aut etiam in meis locis communicare non debui. Clamet tertius ejusdem provinciae Laurentius Epicopus, et prorsus „ hujus vocibus clamet: aut in cathedra, cui ordinatus sum, „ sedere debui, aut Episcopus esse non debui. „ Praeclarum hoc Augustini testimonium est, *Sedem Apostolicam* in causis Afrorum vel *judicasse*, vel *aliorum judicata firmasse*, et vero Augustinus ea tantum memorat, quae *recentia* sunt, minime requirit ea, quae *a nostris temporibus sunt remotissima.* Sed in his exemplis non insistimus, quoniam certo statur non potest, quo haec tempore evenerint, quamquam circa hanc aetatem contigisse, simillimum veri est. Sed certe cum illa ferveret controversia propter Apiarii appellationem, ad Summum Pontificem Bonifacium Antonius Fussa-

lensis Episcopus provocavit. Hunc hominem Episcopum creaverat S. Augustinus, sed ei postea Ecclesiae administrationem propter ejus scelera eripere coactus est. Primum quidem in hac sententia acquiescere visus est Antonius, sed postea conciliata sibi gratia Valentini Numidiae Primatis, ab eo literas impetravit ad Bonifacium, quibus tamquam sceleris purus magnopere commendabatur. Tam gravi testimonio, et commendatione Primatis, ad quem III. Carthaginense Concilium causas omnes Episcoporum, qui accusati fuerat, deferri voluit (2), fretus Bonifacius Antonium absolvendum putavit, modo vera essent quae ab eo narrata fuerant. Sed interim vita functus est Bonifacius, et illa inquirendi provincia ad ejus successorem Coelestinum delata est. Ad eum Augustinus literas dedit, observantiae in Sedem Apostolicam, et reverentiae plenas, in quibus non modo nulla vel levissima querela est adversus Bonifacium, qui Antonium poena solverat, imo eum excusat, quod deceptus commendatione Primatis judicium illud ediderit; laudat vero, quod *pastorali, vigilique cautela*, ut inquit, *beatissimus Papa Bonifacius in epistola sua posuit de Antonio loquens Episcopo, et ait si ordinem rerum nobis fideliter indicavit.* Mox hunc ordinem fideliter indicatum non fuisse demonstrat, ipseque rem gestam narrat, qualis revera est, ut ostendat, Antonium pro suis sceleribus justas, ac debitas solvisse poenas. Denique Pontificem rogat, ne in Africam mittat publicas potestates, quae *Apostolicae Sedis sententiam exequantur*, omnemque dat operam, ut suadeat, rata firma habenda esse a Summo Pontifice, quae ab se gesta sunt (3). An hos animi sensus, et haec literis mandare potuisset Augustinus, nisi ei certum fuisset, in Summo Pontifice inesse potestatem infirmandi ea, quae ab se gesta fuerant, et Antonium restituendi in locum, unde fuerat dejectus? Quem ea res habuerit exitum, incertum est; quamquam valde simile veri sit, Antonio ademtam fuisse Ecclesiam, cui praefectus fuerat (4).

(1) S. Augustinus *ep.* 209. *num.* 8. *opp. tom.* 2. *col.* 779.
(2) Concilium Carthaginense III. *can.* 7. *tom.* 2 *Concil. col* 1400.
(3) S. Augustinus *loc. cit. num.* 9., quem in locum videndus est Christianus Lupus *de appellat. dissert.* 2. *cap.* 21. 22. 23. *pag.* 232. *seqq. tom.* 8. *opp.*

(4) Sic Monachi S. Mauri *in not. ad eamd. epist. loc. cit.*, et sic etiam Cardinalis Orsius *histor. Eccles. lib. 27. num. 16.*

§. XXXI. Est etiam ex eadem Africae regione celebris appellatio Lupicini Episcopi, qui Afrorum judicio damnatus provocavit ad S. Leonem M., qui eum communioni restituit. Audiendus ipse Leo (1), cujus verba sunt haec: „ Causam „ quoque Lupicini Episcopi illic jubemus audiri, cui mul- „ tum, et saepius postulanti communionem hac ratione red- „ didimus, quoniam cum ad nostrum judicium provocasset, „ immerito eum pendente negotio a communione videamus fu- „ isse suspensum. „ His verbis praeclarum habemus ipsius Leonis testimonium de Lupicini appellatione; habemus quoque expressam vim, et effectum ejusdem appellationis, quia pendente neque Lupicinus suspendi, neque alius ejus loco ordinari poterat. Paschasius Quesnellus, homo singularem in modum male animatus in Sedem Apostolicam, partem illam epistolae Leonis, quae pertinet ad Lupicini appellationem, Leoni tribuendam negat, sed eum solide graviterque refellunt Fratres Ballerinii (2).

(1) S. Leo M. *ep.* 12. *opp. S. Leonis tom.* 1. *col* 668. *edit. Ballerini*
(2) Confer Fratres Ballerinios *in admonit. ad eamd. epist.* 12.

§. XXXII. Superiorum Pontificum vestigiis insistens S. Gregorius M. et alias bene multas suscepit appellationes, quarum sibi jus firmiter esse profitebatur (1). Hoc loco de iis tantum loquimur, quae ad Africam spectant, reliquas alibi persequemur. Argentius Leigensis Ecclesiae Episcopus Catholicis Donatistas in Ecclesiis praeferri permiserat; quamobrem Felicissimus, et Vincentius Diaconi negocium hoc ad Gregorium detulerunt. Is vero rem totam commisit Hilaro Monacho, ut *praefatum Episcopum idoneae satisfactioni committere non omitteret*, haberetque concilium, in quo omnia sedulo noscerentur (2). Ad eumdem Gregorium Constantius, et Mustellus Ecclesiae Pudentianae Diaconi in Numidia suas detulere querelas, quod Maximianus corruptus praemio Donatistarum Episcopum Donatistam ordinari permiserat. Is autem Columbo Episcopo negocium dedit, ut Concilium cogeret, ac Maximianum *a dignitate*, *officioque*, *quo fungitur*, *degradaret*, si

reus criminis revera deprehenderetur (3). Non hic Primatis, neque universalis Africae concilii judicium exquiritur, sed Pontifex rem totam committit primum Monacho, deinceps Episcopo, eorumque sententia negocium finiri jubet. Eidem Columbo Episcopo Gregorius causam commisit Donadei Diaconi, qui a suo Episcopo Victore dejectus e gradu dignitatis ad se provocaverat, ut rem diligenter nosceret, et si eum innoxium deprehenderet, in ipsum Episcopum canonicis poenis animadverteret (4).

(1) S. Gregorius M. *ep.* 29. *lib.* 10. *opp. tom.* 2. *col.* 1061. *edit. Paris* 1705.
(2) S. Gregorius M. *ep.* 84. *lib.* 1. *col.* 567.
(3) Idem *ep.* 48. *lib.* 1. *col* 611.
(4) Idem *ep.* 8. *lib.* 12. *lib.* 12. *col.* 1186.

§. XXXIII. Nunc me referam ad ordinem temporum, a quo me abduxerunt Africanae appellationes, de quibus praepostere agendum putavi, ut uno in conspectu ponerem initium, cursum, exitum controversiae, quae inter Afros, Sedemque Apostolicam acta est, Pontificatum Maximum obtinentibus Zosimo, Bonifacio, Coelestino. Huic vero circa annum 432. in Pontificatu successit Sixtus III., quo Pontifice binae occurrunt appellationes ad Sedem Apostolicam, quarum alteram Episcopi ex Euphratesia, ex utraque Cilicia, secunda Cappadocia, Bythinia, Thessalia, et Moesia emiserunt (1). Hi omnes a judicio Concilii Ephesini provocant ad Summum Pontificem, eumque rogant „ut manum porrigat salutarem, et „ auferat mundi naufragium. omniumque horum inquisitio„ nem jubeat fieri . . . . . ut revocentur quidem sancti Pa„ stores, qui injuste sunt a sui ovibus effugati, et reddatur „ gregibus ordo, et antiqua concordia. „ Alterum appellationis exemplum praebet id, quod ab Iddua Smyrnensi Episcopo eodem Sixto Pontifice gestum est. Non satis convenit inter doctos, et intelligentes viros, cujus judicio damnatus Iddua Romanae Sedis auctoritatem imploraverit. Lucas Holstenius, qui primus Sixti epistolam vulgavit, eum a Proclo Constantinopolitano damnatum, atque ab hoc judicio ad Sixtum provocasse arbitratur. Contra Christianus Lupus (2), eum a

Basilio Primate damnatum, atque a Proclo absolutum putat, a cujus judicio, sive ipse Basilius, sive alius Idduae accusator appellavit. Hoc certum est, delatam fuisse appellationem ad Sixtum, qui ea de re testimonium perhibet his verbis: „ Ha„ bes recentissimum nuper habitae actionis exemplum fratris „ nostri Idduae, circa quem tuae fraternitatis decrevimus ju„ dicium custodiri: cognitioni tuae facere nolentes inju„ riam. „ (3)

(1) Sixtus III. *ep.* 4. *n.* 16. *col.* 1252. apud Coustantium *ep. Rom. Pontif.*

(2) Christianus Lupus *de appellat. dissert.* 1. *cap.* 34. *opp. tom.* 8. *pag.* 137.

(3) Sixtus III. *ep.* 9 *num.* 3. *col* 1266. *ibid.*

§. XXXIV. Ventum est ad aetatem S. Leonis M., quo Pontifice Sedis Apostolicae auctoritas in suscipiendis appellationibus sese in primis mirifice explicavit. Antequam vero de singulis, quae hoc temporis intervallo evenerunt, dicere incipiamus, ipse audiendus est Leo, qui his omnino verbis Episcopos provinciae Viennensis alloquitur (1). „ Nobiscum „ itaque vestra fraternitas recognoscat, Apostolicam Sedem, „ pro sui reverentia, a vestrae etiam provinciae sacerdoti„ bus innumeris relationibus esse consultam, et per di„ versarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat; „ appellationem causarum, aut retractata, aut confirmata fuis„ se judicia. „ Nullum certe praeclarius, aut illustrius proferri monumentum potest, ut pateat, Romanum Pontificem etiam in Gallia jus appellationum exercuisse. Tam insigne, tamque perspicuum Leonis testimonium pupugit Paschasium Quesnellum, qui ut inde evadat, omnes persequitur vias, et modo fidem Leoni negandam praedicat, quoniam in propria causa idoneus testis esse nequit, modo id ab eo scriptum putat errore memoriae, aut dolo Chelidonii, modo victus vi veritatis Leonem respexisse contendit antiqua monumenta rerum in Galliis gestarum, quae ad nos minime pervenerunt (2). Sunt haec retinenda animo diligenter, antequam eorum, quae dicturi sumus, narrationem expediamus. Chelidonius in synodo, cui praeerat S. Hilarius Arelatensis, accusatus fuerat, quod viduam habuisset uxorem, antequam Episcopus crearetur,

quodque antequam inter clericos cooptaretur, dum judicis munere fungebatur, reum criminis morte mulctasset, quod utrumque Episcopum dedecebat. His de causis synodi sententia ipse ab Episcopatu dimotus est. Chelidonius Romam venit, secumque detulit testes, qui sibi inustam notam abstergerent. Leo autem re cognita, atque habita synodo Chelidonium suae Sedi restituit, datisque literis ad Episcopos provinciae Viennensis suam hanc sententiam significavit. In his porro literis narrat, quomodo Chelidonius, et Hilarius in Concilio Episcoporum, praesente Leone suam causam egerint. „ Hilarius, *inquit*, rationabile, quod in Sanctorum concilio „ Sacerdotum posset respondere, non habuit; Hinc absolu„ tus est Chelidonius Episcopus, quoniam se injuste Sacerdo„ tio fuisse dejectum manifesta testium responsione coram Hi„ lario monstravit, ita ut Hilarius, quod contra opponeret, „ non haberet. Remotum est ergo judicium, quod prolatum „ in hac sententia legebatur; quod tamquam viduae maritus „ Sacerdotium tenere non posset (3). „ Nihil hic sane desiderari potest, ut vera, numerisque omnibus absoluta appellatio habeatur. Chelidonius Hilarii judicio condemnatus Romam venit, ut Leonis auctoritate illius sententia infirmetur, Romam quoque venit Hilarius, ut coram Summo Pontifice causam tueatur suam. Pontifex habita synodo utrinsque rationum momenta diligenter expendit, et cum nihil *rationabile* Hilarium habere deprehendisset, contra vero cum Chelidonius *se injuste Sacerdotio fuisse dejectum* ostendisset, Hilarii sententiam e medio tollendam, et suum Chelidonio locum restituendum judicavit. Qua in re illud in primis est observatu dignum, quod tum Hilarius, tum Chelidonius jus suscipiendi appellationem, potestatemque infirmandi latam sententiam in Leone agnoverunt. Non enim Chelidonius id consilii cepisset, si Leonis sententiam nihil sibi obesse existimasset, neque Hilarius tam longum iter suscepisset, ut se Leoni probaret, suamque causam diceret coram eo, et Patribus concilio congregatis, nisi probe intellexisset, integrum esse Summo Pontifici confirmare, aut infirmare sententiam, quae ab se lata fuerat. Ex quo intelligitur, quam falso Quesnellus statuat, de Gallicanis judiciis apud Sedem Apostolicam agi non potuisse, quod a primis Ecclesiae temporibus usque ad eam aetatem obtinuisse

contendit. Cur igitur Hilarius Romam venit, ut justam esse sententiam suam, eamque ratam firmam esse habendam Leoni demonstraret? Hujus avertendi judicii facilis, et expedita fuisset via, si ea, quam Quesnellus suo ingenio fingit, viguisset disciplina, ut Gallicanae sententiae Apostolicae Sedis judicio non subjicerentur. Neque Hilarius tantum Sedis Apostolicae auctoritatem agnovit, spreto illo, quod numquam fuit, Gallicanae Ecclesiae privilegio, sed omnes etiam agnoverunt Patres, qui ad Concilium convenerant, et omnes agnoverunt Gallicani Episcopi, quos Leo per literas (4) totius rei gestae certiores fecit nuncians: „ remotum fuisse judicium, quod prolatum „ in hac sententia legebatur, et redditum Ecclesiae suae, et „ huic, quam amittere non debuerat, dignitati Coepiscopum „ Chelidonium, sicut gestorum series, et post decursam co„ gnitionem sententia, quae a nobis est prolata, testatur. „ Quis credat ex tot Galliarum Episcopis ne unum quidem fuisse, qui de hac Leonis sententia, quasi ea esset adversaria disciplinae Ecclesiae Gallicanae, quereretur?

(1) S. Leo M. *ep.* 10. *cap.* 2. *col.* 634. *edit. Ballerin.*
(2) Quesnellus *in S. Leonem dissert.* 5. *par.* 1. *cap.* 16. » Cum Leo » dixit, *inquit*, diversarum appellationem caussarum, sicut vetus consuetudo » poscebat, aut retractata, aut confirmata fuisse judicia, vel memoria lapsus est, vel a Chelidonio palpante, et imponente delusus. vel denique » alia penes se rerum in Galliis gestarum monumenta habuit, quae ad nos » usque non pervenerunt. » Consule Fratres Ballerinios *observ. in cit. dissert. Quesnelli opp. S. Leonis M. tom.* 2. *col.* 939. *seqq.*
(3) S. Leo M. *ep.* 10. *cap.* 3. *col.* 635.
(4) Ibidem.

§. XXXV. At neque Hilarium, neque Gallicanos Episcopos Leonis decreto paruisse, Quesnellus contendit. Quod de Hilario dicit, id colligi putat posse ex Auctore vitae ejusdem Hilarii, qui tradit quod ille; „ in Civitatis recessu to„ tum se ad placandum animum S. Leonis inclinata humili„ tate convertit, missa primum S. Ravennio tunc Presbyte„ ro, postmodum proprio successore, deinde S. Nectario, „ Sanctoque Constantio praecipuis Sacerdotibus. Et quia quan„ tum in hac causa dictaverit, nulla possum ratione conne„ ctere. „ Hoc loco Auctor vitae S. Hilarii narrat quae idem Hilarius scripsit, postquam *inclinata humilitate* se totum con-

vertit ad placandum Leonis animum, eaque de causa tres ad eum Legatos misit. Quis credat, ex hac narratione illud posse colligi, quod Quesnellus putat; Hilarium, qui tantopere studebat placare, ac lenire animum Leonis, sui instituti rationem defendere, ac Leonem refutare voluisse, quasi iniquam sententiam protulisset? Neque solum Quesnellus Auctori vitae Hilarii adscribit quod nusquam scripsit, sed etiam dolose, et malitiose confundit tempora, quaeque Auctor vitae gesta narrat ab Hilario, dum Romae morabatur, transfert ad tempus, quo Hilarius ex hac vita discesserat. Inquit enim Quesnellus: „ numquam tamen Hilarius resiliit ( a pristina „ sententia ) sanctae post mortem memoriae ab ipso Leone „ appellatus, et ut testatur laudatus toties ejus vitae scriptor, „ etiam in discrimine vitae positus communioni ejus, quem „ cum tantis viris damnaverat, conjungi nullatenus acquie- „ vit, „ Scribit quidem Auctor vitae de Hilario, quod ipse: „ in discrimine vitae positus communioni suae, quem cum „ tantis viris damnaverat, conjungi nullatenus acquievit: „ verum id refert ad tempus, quo Hilarius Romae commorabatur, ibique suam causam defendebat. Unde post quaedam alia, quae tum in eodem *capite* 17., tum in *sequenti* 18. de Hilario tradit, et illud praesertim, quod „ in civitatem „ regressus totum se ad placandum tunc animum S. Leonis „ inclinata humilitate convertit „ *cap.* 19. ejus obitum describit. Quesnellus igitur, ut quod sibi proposuit efficiat, narrationem Auctoris vitae S. Hilarii pervertit, quaeque hic vivens fecit cum iis confundit, quae post ejus obitum acta sunt. Revera si, ut ipse animadvertit, Hilarius sanctae post mortem memoriae ab ipse Leone appellatus fuit, id argumento est plane maximo, eum decreto Leonis usque ad mortem non obstitisse. Ac quomodo obstare potuit, si Valentinianus sua constitutione in Gallias missa decretum Leonis ab omnibus observari jussit, et nominatim Hilario praecepit, ne auderet huic decreto repugnare? „ Quid enim, *inquit Valenti-* „ *nianus*, tanti Pontificis auctoritati in ecclesiis non liceret? „ Sed nostram quoque praeceptionem haec ratio probavit, ne „ ulterius nec Hilario, quem adhuc Episcopum nuncupari „ sola mansueti Praesulis permittit humanitas, nec cuiquam „ alteri ecclesiasticis rebus arma miscere, aut praeceptis Ro-

„ mani Antistitis liceat obviare..... Hac perenni sanctione „ censemus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quam aliarum provinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine venerabili Papae Urbis aeternae auctoritate tentare. Sed „ hoc illis, omnibusque pro lege sit quidquid sanxit, vel „ sanxerit Apostolicae Sedis auctoritas; ita ut quisquis Episcoporum ad judicium Romani Antistitis evocatus venire neglexerit, per moderatorem ejusdem provinciae adesse cogatur.,,

(1) Confer Constitutionem Valentiniani *post cit. epist.* 10. *S. Leonis opp. tom.* 1. *col.* 642. *seqq.* De hoc toto argumento videndus Cerbonius *de jur. et leg. disciplin. lib.* 22 *cap.* 5. §. 5. *tom.* 3. *pag* 335. *seqq.*

§. XXXVI. Nunc videamus, num Gallicani Episcopi Leonis decreto obtemperaverint; quoniam et eos restitisse Quesnellus putat. Cujus sententiae argumentum est, quod Ravennius, qui Hilario in Episcopatu Arelatensi successit, Metropoliticam dignitatem obtinuit, quam Leo ademtam Arelatensi Episcopo Viennensi tribuerat. Sed mera haec fallacia est, praeterea nihil. Nam Leo solum Hilarium, non item Arelatensem Ecclesiam Metropolitica dignitate privavit, et ideo mirum non est, quod Ravennius una cum Episcopatu Arelatensi eidem affixam dignitatem obtinuerit. Clara sunt Leonis verba, quae demonstrant, dictam esse sententiam contra unum Hilarium, non contra Ecclesiam Arelatensem. Inquit enim (1). „ Nec ultra Hilarius conventus audeat indicere „ synodales, et Sacerdotum Domini judicia, se interserendo „ turbare. Qui non tantum noverit se ab alieno jure depul„ sum, sed etiam Viennensis provinciae, quam male usur„ paverat, potestate privatum.... Non ergo intersit ordina„ tioni, non ordinet etc. „ Ac tantum abest, Gallicanos Praesules Leonis decreto repugnasse, ut potius sua agendi ratione maximam ei subjectionem, et obsequium declaraverint. Nam cum eidem per literas significarunt, concordi omnium consensu Ravennium electum fuisse Episcopum Arelatensem, rogarunt, ut ei restitueret Metropoliticam Dignitatem, ex qua exciderat Hilarius, quod ejus in se offensionem concitaverat, uti manifestum est ex literis, quas ea de re ad Leonem dederunt. Sic enim ajunt „ unde praemissis officiis, quae Apo-

„ stolatui vestro jure debentur, suggestionem nostram, quae „ justitiae partibus fungitur, audiendam a corona vestra minime dubitamus; quippe cum non aliqua nova institui, „ sed prisca per vos optamus, et antiqua reparari. Nec enim „ justum est, ut honorem ejus, quem, ut probavimus, impense diligitis, illa res minuat, qua pietatem vestram alter offendit. Et sane manifestum est, Ecclesiae Arelatensi „ Divinae gratiae favorem adesse, cui talem habere contigit „ sacerdotem; per quem privilegia dignitatis antiquae, quae „ dolebat sibi pro tempore diminuta, gauderet in perpetuum, recentioribus Apostolicae Sedis auctoritatibus reformata (2). „

(1) S. Leo M. *ep.* 10. *cap.* 7. *opp. tom.* 1. *col.* 639. *edit. Ballerin.*
(2) Sic epistola Comprovincialium Episcoporum Metropolis Arelatensis inter epistolas S. Leonis *num.* 65. *opp. ejusd. tom.* 1. *col.* 993 *seqq. edit. ejusd.* Videndi Ballerinii *observat. in cap.* 2. *par.* 3. *dissert.* 5. *Quesnelli num.* 2. *opp. S. Leonis tom.* 2. *col.* 998.

§. XXXVII. Pertinet etiam ad Leonem appellatio Projecti Episcopi; cui cum adhuc vivo Hilarius Patroclum surrogasset contra leges Sacrorum Canonem, is ad Leonem provocavit. Hic vero quidquid Hilarius gesserat, in Concilio Episcoporum ob Projecti ad se delatas querelas, lacrimabilesque literas civium, qui Projecto Episcopo suberant, plane infirmavit, ac decrevit, ut Projectus Episcopus in suo Sacerdotio permaneret; atque ab Episcopatu removeretur qui ejus loco ordinatus fuerat. Audiendus ipse Leo, cujus verba sunt haec (1): „Nos tamen quod vobis credimus, Deo judice, placiturum, in commune cunctis fratribus consulentes, et male „ ordinatum submoveri, et Episcopum Projectum in suo „ sacerdotio remanere debere decrevimus; id statuentes, ut „ si quisquam fratrum nostrorum in quacumque provincia „ decesserit, is sibi ordinationem vindicet sacerdotis, quem „ illius provinciae Metropolitanum esse constiterit. „ Hoc decretum una cum alio, cujus paulo ante facta mentio est, quod ad Chelidonium pertinet, Leo misit per literas ad Episcopos provinciae Viennensis, et utrumque fuit Valentiniani constitutione firmatum. Quae a Quesnello, ceterisque similibus ad minuendum Leonis fidem in medium afferuntur, copiose, ac

scienter refutata sunt a viris doctrina praestantibus (2), et ideo nihil est, quod in iis iterum refutandis nostra quoque opera collocanda videtur.

(1) S. Leo M. *cit. ep.* 10. *cap.* 5. *col.* 639.

(2) Confer Cerbonium *loc. cit.* §. 6. *pag.* 348., et Fratres Ballerinios, qui Quesnelli ratiunculis uberrime satisfecerunt *tom.* 2. *opp. S. Leonis in dissert.* 5. *Quesnelli col* 756. *seqq.*

§. XXXVIII. Cum his appellationibus, quarum nunc facta mentio est, consentiunt, et concinunt, appellationes tres, quae eodem Leonem Pontifice emissae sunt. Earum prima est Eutychis, qui cum a Concilio S. Flaviani Constantinopoli condemnatus fuisset, Leonem appellavit. Quod manifestum faciunt literae tum Eutychis, qui Pontificem rogat, ut nullum sibi ex lata sententia detrimentum inferri patiatur (1), tum S. Flaviani (2), qui Leonem orat, ut ratam firmam esse velit depositionis sententiam, quae contra hunc hominem a Concilio dicta est. Hanc sententiam confirmavit Leo, uti constat ex literis, quas ad eum dederunt ejusdem Concilii Patres (3), qui narrantes ea quae Dioscorus contra jus fasque egerat in latrocinio Ephesino, illud quoque memorant, quod ipse in gradum suum restituisset Eutychen, quem Summus Pontifex ex eo dejecerat.

(1) Extat haec epistola *inter opera S. Leonis M. ep.* 21. *col.* 741. *tom.* 1. » Et obsecro, *inquit*, nullo mihi praejudicio facto ex his, quae per insidias contra me gesta sunt, quae visa vobis fuerit super fidem proferre » sententiam, et nullam deinceps permittere a factiosis contra me calumniam » procedere etc.

(2) Haec quoque epistola descripta est *inter opera S. Leonis ep.* 26. *col.* 788. » Commotus igitur, *inquit*, Sanctissime Pater, ob omnia, quae » ausus est, et propter ea, quae adversus nos, sacratissimamque Ecclesiam » facta sunt, atque fiunt, solita fiducia utere, sicut Sacerdotio convenit, » et vindicans communem rem, sanctarumque Ecclesiarum compositionem, » dignare per proprias quidem literas suffragari depositioni canonicae ad» versus eum factae.

(3) Sic Concilii Patres Leoni scribunt *ep.* 98. *col.* 1092. Et Eutychen » pro impietate damnatum, suae tyrannidis decretis innoxium statuit, et » dignitatem, quae a vestra illi ablata fuerat Sanctitate (quippe ut ab eo, » qui hac gratia erat indignus) ille restituit. » Consule David *des jugem. canon. chap.* 6. *art.* 2. *pag.* 285. Natalem Alexandrum *Histor. Eccles. saec.* 4. *dissert.* 28. *prop* 3. *tom.* 4. *pag.* 468. Christianum Lupum *de appellat. dissert.* 3. *opp. tom.* 8. *pag.* 290. Bianchinum *dell' esterior po-*

*disin della Chiesa lib.* 3. *cap.* 5. *tom.* 5. *par* 2. *pag.* 189. *seqq.* Ballerinius *tom.* 2. *oper. S. Leonis col.* 1123. *seqq.* Zaccariam *Raccolta di dissertazioni tom.* 16. *dissert.* 1. *pag.* 109. *seqq.*

§. XXXIX. Altera appellatio est S. Flaviani Episcopi Constantinopolitani, qui cum a Concilio Ephesino, quod se oecumenicum esse existimabat, condemnatus fuisset, ad S. Leonem provocavit. Nulla prorsus ea de re dubitatio esse potest, quoniam Pontificis Legatis *libellum appellationis Flavianum Episcopum dedisse*, ipse Leo diserte testatur (1), idque etiam confirmat Valentinianus Augustus literis ad Theodosium datis (2), et Liberatus Carthaginensis Ecclesiae Archidiaconus (3). Leo vero habita Romae synodo Ephesini conciliabuli decreta abrogavit, et Flavianum suae Sedi restituit; uti constat ex literis, quas Pontificius Legatus Hilarius, qui Concilio interfuit, ad Pulcheriam Augustam dedit (4). Sed rem ipsa evidentia illustriorem faciunt complures synodicae literae, quae a Leone scriptae sunt. In literis ad Pulcheriam inquit (5): „ Quoniam Flavianus Episcopus in nostra „ omnium communione persistit, atque hoc, quod factum „ est sine consideratione justitiae, et contra omnem canonum „ disciplinam, ratum haberi nulla ratio permittit. „ In synodica ad Constantinopolitanos (6), scribit haec: „ Quisquis „ enim incolumi, atque superstite Flaviano Episcopo vestro „ sacerdotium ejus fuerit ausus invadere, numquam in communione nostra habebitur, nec inter Episcopos poterit numerari. „ Denique in Synodica ad Faustum, Martinum, Petrum, Magnum Emanuellem Presbyteros, et Archimandritas Constantinopolitanos (7), haec habentur: „ Et custodientes unanimitatem cum Fratre nostro Flaviano Episcopo, „ quem ad tempus Dominus permisit impiorum factione tentari, ut probatum sibi Sacerdotem suum perseverantiae „ merito faceret clariorem. „ An non hoc judicium est, quo abrogatur sententia pseudo-synodi Ephesinae, et Flaviano restituitur locus, unde ejus decreto injuria dejectus fuerat? Nolumus immorari in refutandis ratiunculis, iisque inanissimis Quesnelli, Dupinii, Launoj, Gerbaisii, quoniam id doctissimi Viri solide, copioseque praestiterunt (8).

(1) S. Leo *ep.* 44. *col.* 915. *cit. ed Ballerini.* » Ut quia, *inquit*, et

» nostri fideliter reclamarunt, et eidem libellum appellationis Flaviani
» Episcopus dedit. »

(2) Valentinianus Imperator literis ad Theodosium datis inter epistolas S. Leonis *ep.* 55. *col.* 962. » Debemus, *inquit*, cum omni competenti de-
» votione defendere fidem, et dignitatem propriae venerationis B. Apostolo
» Petro intemeratam et in nostris temporibus conservare, quatenus Beatis-
» simus Romanae Civitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotii super
» omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide, ac sacer-
» dotibus judicare .... Hujus enim rei gratia, secundum solemnitatem
» Conciliorum, et Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellavit,
» propter contentionem, quae orta est de fide. »

(3) Liberatus *Breviar. cap.* 12. apud Labbaeum *concil. tom.* 6. *col.* 438. » Flavianus autem, *inquit*, contra se prolata sententia, per ejus Le-
» gatos Sedem Apostolicam appellavit libello. »

(4) Hilarus literis ad Pulcheriam datis inter epistolas S. Leonis *ep.* 44. *col.* 928. scribit haec: » Vestra itaque veneranda clementia cognoscat a
» praefato Papa cum omni Occidentali concilio reprobata omnia, quae in
» Epheso contra canones per tumultus, et odia saecularia a Dioscoro Epi-
» scopo gesta sunt, et nulla ratione haec in his partibus suscipi posse, quae
» per potentiam praedicti, non sine laesione fidei, et praejudicio Sanctis-
» simi Viri, innoxiique commissa sunt. » Vide etiam Joannem VIII. P. *ep.* 199. apud Labbaeum *tom.* 11. *Concil. col.* 129.

(5) S Leo *ep.* 45. *col.* 923.

(6) Idem *ep.* 50. *col.* 933.

(7) Idem *ep* 51. *col.* 937. Digna est etiam quae legatur ejusdem Leonis *ep.* 44. *col.* 909. ad Theodosium, in qua describuntur gesta a Dioscoro praeterea synodo, rectaeque fidei illata injuria.

(8) Videndi David *des jugemens canoniques chap.* 6. *art.* 3. *pag* 294. *seqq.* Natalis Alexander *Histor. Eccles. in saec.* 4. *dissert.* 28. *prop.* 3. *tom.* 4. *pag.* 468. Christianus Lupus *de appell. dissert.* 4. *tom.* 8. *pag.* 318. Bianchius *dell' esteriore polizia della Chiesa lib.* 3. *cap.* 5. §. 13. *tom.* 5. *par.* 2. *pag.* 223. *seq.* Ballerinii *Observat. in Quesnelli dissert.* 8. *tom.* 2. *opp. S. Leonis col.* 1153. *seqq.* Zaccaria *Raccolta di disertazioni di Storia Ecclesiastica dissert.* 1. *tom.* 16. *pag.* 112. *seqq.*

§. XL. Postremum exemplum appellationis ad Leonem praebet Theodoritus Episcopus Cyri, qui in eodem Conciliabulo Ephesino Episcopatu motus fuerat. Cujus rei testimonio sunt literae, quas ipse ad Leonem dedit, et quibus haec scribit (1): „ At ego Apostolicae vestrae Sedis expecto senten-
„ tiam, et oro atque obtestor Sanctitatem tuam, ut mihi re-
„ ctum, ac justum tribunal vestrum invocanti opem ferat, jubeat-
„ que ad vos venire, et doctrinam meam Apostolicis vestigiis
„ inhaerentem ostendere. „ Et paulo post Leonis judicium sese expectare profitetur, ut intelligat, parere ne ipse debeat depositionis sententiae adversus se latae a synodo Ephesina.
„ Ante omnia, *inquit*, ut a vobis docear oro, an me oporteat

„ in hac injusta depositione acquiescere, an non: vestram „ enim sententiam expecto. „ Has literas, cum ipse eas per se Romam deferre non posset, *regiarum literarum vinculis*, ut ipse inquit, impeditus, ad Leonem misit per Hispatium, et Abramium Chorepiscopos, et Alypium Exarchum Monachorum. His legatis alias etiam tradidit Theodoritus literas, quas inter erant et literae ad Renatum Presbyterum, quem adhuc vivum putabat, et qui tamquam Leonis Legatus Ephesino Conciliabulo interfuisse ferebatur. Harum autem literarum verba sunt haec (2): „ Hac igitur de causa tuam oro sanctitatem, ut persuadeas sanctissimo, ac beatissimo Archiepiscopo, ut Apostolica utatur auctoritate, et praecipiat ad vestrum convolare concilium. Habet enim sanctissima illa Sedes Ecclesiarum, quae in toto orbe sunt, principatum multis nominibus: atque ante haec omnia, quod ab haeretica labe immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in ea sedit; Apostolicam gratiam integram conservavit. Quae a vobis fuerint judicata, in iis, qualiacumque erunt, judicii vestri aequitati confidentes acquiescemus, et rogamus, ut judicium ex scriptis constituatis. „ Porro si Theodoritus vult Leonem *Apostolica auctoritate praecipere*, ut Romam veniat ad Concilium, quod a Summo Pontifice habebatur de ecclesiasticis negotiis, non id certe aliam ob causam postulare potuit, nisi ut Ephesina sententia suae depositionis Apostolicae Sedis judicio, et auctoritati subjiceretur. Et vere fuisse subjectam, ab eaque infirmatam, testatur Leo, qui literis postea datis ad Teodoritum disertissime memorat judicium ejusdem Sedis Apostolicae, a qua Teodoritus sceleris purus declaratus, in suumque locum restitutus est. „ Ait enim „ Benedictus Deus noster, cujus invincibilis veritas ab omni „ haereseos macula nudum te, secundum Apostolicae Sedis „ judicium, demonstravit (3). „ Hinc in synodo Chalcedonensi Marciani Imperatoris Ministri mandarunt, ut secundum Imperatoris voluntatem Theodoritus ad Synodum veniret, quoniam a Leone Episcopatui restitutus fuerat. „ ingrediatur, „ *inquiunt*, et Reverendissimus Episcopus Theodoritus, ut sit „ particeps synodi, quia et restituit ei Episcopatum Sanctissimus Archiepiscopus Leo (4). „ Cumque judices pro eo synodi sententiam postulassent, *ut Ecclesiam suam reciperet, sicut et sanctissimus Leo Archiepiscopus iudicavit*; Epi-

scopi plaudentes responderunt; *Theodoretus dignus est Sede . . . . post Deum Leo judicavit.* (5).

(1) Theodoritus *inter epistol. Leon. ep.* 52. *tom.* 1. *opp. S. Leonis col.* 947. *edit. Ballerin.* Quem in locum videndi sunt Ballerinii *in not. num.* 6., qui recte animadvertunt, quod *Graecus textus habet ἐπικαλουμένῳ.* Verbum autem *ἐπικαλέομαι pro appellare ad superiorem judicem frequenter accipitur*, uti multis datis exemplis ostendunt.

(2) Theodoritus *ep.* 116. *opp. Theodorit. tom.* 3. *pag.* 989. *edit. Paris.* 1642.

(3) S. Leo *ep.* 120. *col.* 1226. *edit. ejusd.*

(4) Concilium Chalcedonense *act.* 1. *tom.* 4. *collect. Labbaei col.* 874.

(5) Idem Concilium *act.* 8. *col.* 1523. *ibid.* Recte Cardinalis Orsius *histor. eccles. tom.* 14. *lib.* 33. *num.* 20. *pag.* 245. *edit. Romae* 1755. » Se » il Santo Pontefice, *inquit*, non avesse giudicato altrimenti in favore di » Teodoreto, se non in quanto aveva rescrisso gli atti del Conciliabolo di » Efeso, non avrebbe fatto per esso nulla più, che per Iba d' Edessa, e » per Sabiniano di Perra. E nondimeno quando questi due Vescovi furono » ristabiliti dal Sinodo di Calcedonia, nè essi, nè il Concilio, nè i Le- » gati Apostolici dissero, che fossero già stati ristabiliti da S. Leone » De hac Theodoreti appellatione videndi sunt David *jugemen. canon. chap.* 6. *art.* 4. *pag.* 316., Natalis Alexander *Histor. eccles. saec.* 4. *dissert.* 28. *tom.* 8. *pag.* 169. Christianus Lupus *de appellat. dissert.* 5. *opp. tom* 8. *pag.* 348. Ballerinii *opp. S. Leonis. tom.* 2. *col.* 1257. *seqq.*

§. XLI. Mitto appellationem Contumeliosi Rejensis in secunda Narbonensi provincia Episcopi, cui testimonio est Agapetus Pontifex (1), Salonii Ebredunensis, et Sagittarii Vapigensis, quam memorat Gregorius Turonensis (2), ceteras, quas collegerunt viri multum in his studiis, et multa cum laude versati (3); ut veniam ad Gregorium M., quo Pontifice luculentissima occurrunt exempla appellationum ad Sedem Apostolicam, quibus nos finem, et modum faciemus hujus disputationis, quam longiorem esse sentimus; sed rerum copia, ut ajebat Cicero, verborum copiam genuit. Sane, ut verbis utar Petri de Marca (4). „ Inter omnes Pontifices nemo „ peritior fuit jurium Sedis Apostolicae quoad appellationes, „ quam Gregorius Magnus. Rebus ille gerendis admotus per „ multos annos Ecclesiae Orientalis mores introspexerat, quum „ Sedis Apostolicae Apocrisarium ageret Constantinopoli. „ Quaedam nos seligemus, exempla appellationum, quas ad Gregorium delatas fuisse hominum memoriae proditum est. Honoratus Salonae Archidiaconus summa animi contentione adversabatur Natali Archiepiscopo, quod neglectis sui officii

partibus sumptuosis conviviis, et omni voluptatum genere delectaretur, et Ecclesiae reditus ad affines, cognatosque suos locupletandos converteret. Ut hanc ab se molestiam removeret Archiepiscopus, Honoratum Archidiaconatus dignitate dimovit; hic vero appellavit Pelagium II., qui utrumque Romam venire jussit. Pelagio interim in Pontificatu successit Gregorius, qui Natali imperavit, ut illico Honoratum in pristinam dignitatem restitueret, amoto Archidiacono, quem ipse creaverat, ac nisi pareret, graviores ei poenas minitatus est (4).

(1) Agapetus *ep. 7. ad Caesarium Arelaten. tom. 5. Concil. Labbaei col.* 916.

(2) Gregorius Turonensis *Histor. Franc. lib. 5. cap. 21. col. 231. edit. Paris* 1799.

(3) Christianus Lupus de *Africanae Ecclesiae Romanis appellationibus cap.* 34., et de *Romanis Gallicanae Ecclesiae appellationibus opp. tom.* 8., et alia affert hujusmodi appellationum exempla, aliaque etiam Zaccaria *Raccolta di dissertazioni di storia ecclesiastica tom. 16. dissert. 1. cap. 6. pag.* 132. *seqq.*, et Auctor *dissertationis de appellationibus ad R. Pontificem par. 3. cap. 4. et 5.*

(4) Petrus de Marca *Concord. Sacerdot. et Imper. lib. 7. c. 18. n.* 3.

(5) Gregorius M. *ep. 19. 20. lib. 1, opp. tom. 2. col.* 503. *et* 504. *edit. Paris.* 1705.

§. XLII. Hadrianus Thebarum in Thessalia Episcopus quorumdam criminum a Joanne, et cosma Diaconis accusatus fuerat, ideoque a Metropolita Joanne Larissae Episcopo gradu motus fuerat. Ab hoc judicio Hadrianus ad Joannem Episcopum primae Justinianae Vicarium Apostolicum provocavit, qui quidem Larissensis Episcopi sententiam ratam firmam habendam esse decrevit. Ægre hoc judicium tulit Hadrianus, suamque causam ad Gregorium detulit, ac Romam venit. Gregorius autem postquam se legisse affirmavit quae coram utroque Episcopo tum Larissae, tum primae Justinianae gesta fuerant, initio hunc arguit de injusto judicio, deinde graviter reprehendit, quod ad Sedem Apostolicam misisset neminem, qui acti judicii rationem redderet, cum sciret ad eam delatam fuisse appellationem; postremo Hadrianum absolvit ab utroque judicio, atque Episcopo primae Justinianae triginta dierum spatio sacra communio interdici voluit. Gregorii verba sunt haec: „ Sed tantum fraternitas tua ne„ scio quo mentis motu, Divino, humanoque jure contem„ pto, abruptam protulit in ejus damnatione sententiam:

„ quae licet non esset appellatione suspensa, contra leges tamen, canonesque prolata, ipsa non poterat jure subsistere. „ Postquam autem ex abundanti appellationem tibi constat „ esse porrectam, mirati sumus, cur nec homines tuos secun- „ dum cautionem Honorato Diacono nostro per responsales „ tuae Ecclesiae expositam, qui tui judicii rationem pos- „ sent reddere, transmisisti. Quod factum te vel de contu- „ macia, vel de conscientiae trepidatione redarguit. Si igi- „ tur haec, quae nobis oblata sunt, veritate vallantur; quo- „ niam occasione vicium nostrarum consideramus vos inju- „ sta praesumere: de his alias secundum id quod a nobis „ deliberatum fuerit, Christo auxiliante, decernemus. Quod „ vero ad praesens attinet, cassatis prius, atque ad nihilum „ redactis praedictae sententiae decretis, ex B. Petri Prin- „ cipis Apostolorum auctoritate decernimus, triginta dierum „ spatio te sacra communione privatum. (1) „ Haec de primae Justinianae Episcopo a Gregorio decreta sunt; quod vero attinet ad Episcopum Larissensem, eum graviter increpat propter eam, quam cum Hadriano servaverat, agendi rationem, et quamvis, ut ait, *humanius decernendo* eum sacrae communionis expertem esse nolit, tamen eum excidisse statuit omni potestate, quam in Hadrianum, ejusque Ecclesiam obtinebat (2). Illud vero audiri aeque animo non potest quod scribit Petrus de Marca (3), qui dum memorat duas constitutiones Gregorii IV. et Leonis IV. quibus cautum est, *ut post auditionem Primatuum diaeceseos* liceat Episcopo appellare Sedem Apostolicam, neque interim de illius causa liceat judicare, id receptum affirmat „ ex more „ usurpato a Gregorio M., qui tamen Gallias, et Africam „ distinguebat ab aliis provinciis, et diverso prorsus modo se „ gerebat cum aliis. „ Ita scilicet de usurpato more arguit Gregorium, quo *inter omnes Pontifices neminem fuisse peritiorem* confitetur *jurium Sedis Apostolicae quod appellationes*, quique pluries professus est „ de ecclesiasticis vero „ privilegiis, quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita du- „ bitatione, teneat, quia sicut nostra defendimus, ita singu- „ lis quibusque Ecclesiis sua jura servamus. Nec cuilibet „ favente gratia, ultra quam meretur, impertior, nec ulli „ hoc, quod sui juris est, ambitu stimulante derogo, sed

„ fratres meos per omnia honorare cupio, sicque studeo ho-„ nore singulos subvehi, dummodo non sit, quod alteri „ jure ab altero possit apponi. (4) „ Quid quod Gregorio antiquiora pene innumera sunt appellationum exempla, quae singula supra descripsimus? Neque illud magis verum, quod affirmat Petrus de Marca, Gregorium aliam cum Afris, et Gallis agendi rationem adhibuisse; nam longe aliud ostendunt, quae supra allata sunt monumenta, et certe Gregorio, uti ipse profitetur, ratum firmum erat Apostolicae Sedi *jure competere aliorum sententias retractare* (5).

(1) S. Gregorius M. *lib.* 3. *ep.* 6. *col.* 627. *tom.* 2.
(2) Idem *ep.* 7. *col.* 628. *tom. cit.*
(3) Petrus de Marca *concord. Sacerd ot. et Imper. lib.* 7. *cap.* 21. *num.* 1. *et* 2.
(4) S. Gregorius M. *lib.* 2. *ep.* 47. *col.* 611. Videnda est etiam *ep.* 52. *ejusd. lib. et ep.* 29. *et* 30. *lib.* 3. *col.* 616. *et* 644.
(5) Vide *epist.* 29. *ad Constantium Mediolanensem Episcopum lib.* 10. *col.* 1061.

§. XLIII. Preclarum etiam ad Sedem Apostolicam appellationis exemplum habemus in Florentio Episcopo Epidaurensi. Cum enim eum Natalis Salonitanus Episcopus, et Metropolita de Episcopatu dejecisset, Epidaurenses cives ad Gregorium provocarunt, ut suum sibi Episcopum apostolica auctoritate restitueret. Gregorius autem Sabiniano Iaderae Episcopo mandavit, ut si quid nosset de causa Florentii se de omnibus certiorem faceret; at si nihil noverat, in omnem rem diligenter inquireret, sibique cuncta aperiret, ut certum de ea judicium ferre posset. „ Praeterea, *inquit*, Habitato-„ res Epidaurensis civitatis Florentium, quem suum esse di-„ cunt Episcopum, sibi a nobis restituendum studiosissi-„ me poposcerunt, asserentes frustra eum ad solam tantum-„ modo voluntatem Natalis Episcopi detrusum exilio. Et ideo „ si quod de ejus causa fraternitas vestra cognovit, requirat, „ nobisque renuntiet; ut quidquid de eo statuendum sit, cer-„ ti deliberare, adjutore Domino, valeamus (1). „

(1) S. Gregorius M. *ep.* 10. *lib.* 13. *tom.* 2. *opp. col.* 902.

§. XLIV. Ad hoc idem argumenti genus pertinent appella-

tiones tres; quarum in epistolis ejusdem Gregorii diserta mentio est, altera quae respicit Claudium Abbatem, altera quae ab Athanasio Presbytero, tertia quae a Petro Clarico data est (1). Postremo huic, in quo hactenus versati sumus, argumento modum et finem faciet quod Gregorius scripsit Joanni Defensori, quem Legatum in Hispanias miserat, ut de causa Januarii Episcopi Malacitani, et cujusdam Presbyteri, ac praeterea Stephani Episcopi judicaret. His omnibus hac epistola Pontificis auctoritate provisum est (2). Primum ipse ab exilio Presbyterum revocari, suaeque Ecclesiae restitui jubet, si ita se res haberet, sicuti a Januario Episcopo narratum fuerat, contra rem omnem a Januario diligenter expendi, si alicujus criminis reus deprehenderetur; deinde Sacerdotio motum ab omni Ecclesiae ministerio repellendum praecipit eum, qui Joannis loco ordinatus fuerat, si adversus ipsum Januarium nulla *criminalis causa, quae exilio, vel depositione digna sit, mota, sive probata fuerit*; Episcopos vero, qui illum ordinaverat, vel ordinationi consenserant, sex menses a Dominici corporis, et sanguinis communione arcendos, atque in monasterium ad agendam poenitentiam detrudendos mandat, ita tamen ut tempus contrahatur, si eos metu compulsos facinori assensos constet. Denique de Stephano Episcopo, qui contra rectum ordinem, et injuria sese condemnatum querebatur, haec statuit; et mandat nominatim Legato, ut diligenter in veri investigatione versetur, suamque Ecclesiam Stephano restituta, cum compererit, nec *solemniter* omnia acta fuisse, *nec causam probatam, quae exilio, vel depositione digna sit*. Tum haec addit: „ Quod si forte aliqua de „ objectis contra memoratum Stephanum Episcopum probata „ sunt, aliqua vero doceri minime potuerunt, cauta omnino „ consideratione pensandum est, utrum leviora capitula, an „ certe graviora probata sint, ut ex eis qualiter definitionem „ tuam formare debeas, possis scire. Si autem talem culpam „ antedictum Episcopum commissise constiterit, quod absit, „ ut constet eum non irrationabiliter fuisse depositum, eadem „ ejus depositio confirmetur, et Ecclesiae res suae omnes resti- „ tuantur, quae ablatae claruerint. „ Quae de Stephano Episcopo, deque Presbytero sententia a Joanne defensore Apostolica auctoritate lata fuerit, ignoramus; compertum tamen est,

quale de Januario Episcopo Malacitano judicium emissum fuerit. Nam sententia his est concepta verbis: „ Dum igitur ex „ deputatione Beatissimi, atque Apostolici Domini mei Papae „ Gregorii, ego Joannes Defensor inter Januarium Episcopum „ Malacitanae Civitatis, atque inter illos, et illos Episcopos „ cogitor resedissem, necesse habui causam praedicti Janua- „ rii interna inquisitione discutere, et a partibus subtiliter „ quaerere veritatem, si ut petitio ejus continet, transmissis „ clericis a memoratis Episcopis una cum hominibus gloriosi „ Comitioli de Ecclesia fuerit violenter abstractus. Qui dum „ multa contra se invicem, sicut gesta testatur, objicerent, ad „ conclusionis hunc utraeque partes aliquando terminum per- „ venerunt, petentes me de agnitis debere judicare. Unde „ solicite relegens, quae acta sunt, et veritatem diligenti investi- „ gatione perquirens, nullam in antedicto Januario culpam, quae „ exilio, vel depositione digna esset, puniri sed magis illum „ ejectum de Ecclesia violenter inveni. Et quamvis hujusmo- „ di temeritatem legum censura districtissime feriat, ego tamen „ legum vigorem sacerdotali moderatione temperans, mediis „ sacrosanctis Evangeliis, quibus praesentibus ab initio in hoc „ cognitor resedi judicio, ea, quae contra eum statuta sunt, „ licet jure non teneant, nec alicujus sit momenti, injusta ta- „ men, et infirma esset pronuntio (3). „ Quae hactenus persequuti fuimus manifestum faciunt, jus appellationum haud primum a Sardicensi Concilio, aut lege alia ecclesiastica concessum fuisse Romano Pontifici, sed illud inhaerens, ac penitus insitum esse in Primatu, quem ipse Pontifex a Christo Domino accepit, idemque jus semper consensu omnium Summum Pontificem exercuisse. Sunt igitur veluti aegrorum somnia quae literis consignarunt homines male animati in Sedem Apostolicam, quorum alii jus illud repetunt a Concilio Sardicensi, alii hac aetate recentius putant, alii eo sive impudentiae, sive inscitiae adducuntur, ut jus appellationum adscribant falsis decretalibus Isidori Mercatoris, quae nono demum saeculo in manus hominum pervenerunt. Ex eo numero sunt Baluzius, Petrus de Marca, Bohemerus, Febronius; atque alii, quos viri docti solide, copioseque refutarunt (4).

(1) S. Gregorius M. *lib.* 6. *ep.* 24. *et* 66, *et lib.* 10. *ep.* 41, *col.* 809. 842. *et* 1072.

(2) Idem *lib.* 13. *ep.* 45. *col.* 1250.

(3) Extat haec sententia post eamdem epistolam 45. *col.* 1255.

(4) Consule Cardinalem Aguirrium *collect. Concil. Hispan. tom.* 1. *in praefat.*, Cerbonium *de jur. et leg. disciplin. lib.* 22. *cap.* 5. §. 8. *tom.* 3. *pag.* 357., Mamachium, Zaccariam, Ballerinium, Bartolum, Blaschum, ceteros, qui toties repetitam calumniam de Isidorianis Decretalibus penitus profligarunt.

§. XLV. Postremo totam hanc de appellationibus ad Sedem Apostolicam disputationem concludam fidei professione, quae in II. Lugdunensi Concilio oecumenico, cum de conciliandа Graecorum unione ageretur, lecta, et probata fuit his verbis: „ Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum, „ et plenum Primatum, et Principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet . . . . . ad quam potest gravatus „ quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare (1).

(1) Concilium Lugdunense II. *tom.* 14. *Concil. collect. Labbaei col.* 512. *et* 541



# DE
# APPELLATIONIBUS A JUDICIO DOGMATICO R. PONTIFICIS.

## CAPUT VI.

*Abnormis, et illicita est appellatio a judicio Summi Pontificis ad Concilium.*

### §. I.

Quae cum ita sint, facile intelligitur, quantum a veritate abhorreant qui a judicio Summi Pontificis oecumenicum concilium appellari posse arbitrantur. Nam si tenere volumus rationem Monarchiae, qualem esse Ecclesiam omnes Catholici confitentur, profecto qui Monarchiae praepositus est, nimirum Summus Pontifex, Supremus omnium judex esse debet, neque ejus judicia inferiorum judiciis subjecta esse possunt. Sic in civili Republica cum Princeps suum edidit judicium, finita res est, neque subditis licet quaerere, recte, ne an secus judicaverit. Ac si Pontifex oecumenici concilii decreta confirmat, qui fieri potest, ut quae ab eo statuta sunt probanda, improbandave sint ab illis, qui ei sunt subjecti, quique ejusdem indigent confirmatione, ut sua decreta rata firma habeantur? Haec de appellatione ad Concilium OEcumenicum ex judicio Summi Pontificis opinio in animis insedit eorum, qui Concilium Pontifici praestare putant; secus enim absurdum esset ex judicio superioris provocare ad inferiorem. Sed ut ii, qui Summum Pontificem infra Concilium ponunt, vehementer errant, sic pari in errore versantur, qui ab illius judicio concilium appellandum censent. Revera si supremum judicium, hoc est summa potestas concedatur non uni, sed pluribus, hoc est Episcopis omnibus simul congregatis, non

monarchicum, sed aristocraticum erit Ecclesiae regimen; quod est a Christi institutione alienissimum (1). Scio quod dici solet, Episcopos concilio congregatos Ecclesiam universam repraesentare, Pontificem vero singulis Ecclesiis *distributive* praeesse, *collective* tamen, hoc est universae Ecclesiae, non praeesse, sed subesse (2). Verum qualis erit Catholica Ecclesia sine Romano Pontifice, hoc est sine uno omnium Capite, centroque unitatis, a quo cuncta membra conjungantur, et copulentur? Erunt quidem Episcopi singularum Ecclesiarum Antistites, sed Ecclesiam, quae necessario una est, referre universam non poterunt, nisi inter eos fuerit Summus Pontifex; hoc est commune unitatis centrum, quo distinctae illae inter se potestates conjungantur (3),

(1 Videndus Nicolaus Coeffetaeus *in libris quatuor apologeticis pro sacra monarchia Ecclesiae Catholicae, Apostolicae, et Romanae adv. Rempubl. M. Antonii de Dominis*, et videndus in primis est Mamachius *Orig. et antiquit. Christian. tom.* 5., qui toto fere volumine Aristocraticos copiose, diligenterque refellit.

(2) Id vero non a catholicis modo, sed etiam a Protestantibus animadversum est. Jo. Laurentius Moshemius *in dissert. de Gallor. appellat. ad Conc. univers. Eccles. unitatem Eccles. visib. tollent.* scribit haec: » Quod » universis, sive singulis Ecclesiis praeesse Pontificem dicunt, non uni» versae Ecclesiae, id tam mihi scitum videtur, ac si quis affirmaret, mem» bra quidem a capite regi, non vero, quod ex membris constat, corpus: » aut urbes quidem omnes, villas, et praedia subesse Regi, non vero, quae » hic continetur, ipsam provinciam. » Samuel Pufendorfius *de habit. Relig. Christian. ad vit. civil.* §. 38. » Concilium, *inquit*, esse supra Pa» pam thesis est .... sed quod isti quoque hanc propositionem asserere » velint, qui Sedem Romanam omnium Ecclesiarum centrum, ac Papam » OEcumenicum Episcopum agnoscunt, id quidem non parum absurditatis » habet; cum status Ecclesiae Romanae monarchicus sit, ista autem the» sis meram aristocratiam oleat. »

(3) Confer Ballerinium *de potest. eccles. Summor. Pontif.*, et *Concil. general. cap.* 4. §. 3. *pag.* 56. *et seq. edit. Augustae Vindelic.*, nostrasque *Institutiones Jur. Canon. cap.* 2. §. 21. *et seq. tom.* 1. *pag.* 20. *edit. Romae* 1792.

§. II. Si qui detur veritati locus, tota illa de Concilio superiore Summo Pontifice disputatio, quae saeculo XIV. ex medio schismatis incendio erupit, cum alia usque ad eam aetatem fuisset sententia Majorum nostrorum (1), quaeque inde nata est tamquam filia abortionis opinio de appellatione ad concilium OEcumenicum excogitata est, ut Sedes Apostolica in invidiam rapiatur, cum revera contra Summum Ponti-

ficem stare non possit Ecclesia, aut Concilium, quod vere oecumenicum sit. Ecquod enim erit hoc Concilium, seu Congregatio totius Ecclesiae, cum procul est Romanus Pontifex, hoc est Caput, et pars praecipua, ac nobilissima Ecclesiae? Erit quidem collectio membrorum Ecclesiae sed nisi simul sit omnium caput, quod haec membra conjungat, et copulet, una catholica Ecclesia haberi non poterit. Hinc firma semper immotaque fuit Catholicorum omnium sententia, judicio Summi Pontificis omnes subjectos esse oportere, neque ullam ab eo permitti appellationem posse. Longum esset omnia colligere antiquitatis monumenta; paucis contentus ero, in reliquis ad insignum virorum testimonia, qui hoc argumenti genus egregio pertractarunt, digitos intendam (2). Sic igitur Hadrianus II. ad Romanae Synodi Patres, quae verba subinde lecta, et inserta fuerunt gestis VIII. Concilii OEcumenici (3), quaeque hujusmodi sunt: „ Romanum „ Pontificem de omnium Ecclesiarum Pontificibus judicasse legimus, de eo vero quemquam judicasse non legimus. „ Licet enim Honorio ab orientalibus post mortem (*cum scilicet non amplius actu Pontifex erat*) anathema sit „ dictum, sciendum tamen est, quia fuerat super haeresi „ accusatus, propter quam solum licitum est minoribus majorum suorum motibus resistendi, vel pravos sensus respuendi; quamvis et ibi (*in casu Honorii*) nec Patriarcharum, nec ceterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet „ fas fuerit proferendi sententiam, nisi ejusdem primae Sedis Pontificis consensus praecessisset auctoritas. „ Atque VIII. Synodi Patres ita certum habebant, fas esse nemini sententiam ferre contra Summum Pontificem, ut ne ipsis quidem oecumenicis Conciliis hanc potestatem tribuendam putaverint. Sic enim illi: „ Si qua vero oecumenica synodus „ collecta de Romana etiam Ecclesia controversia extiterit, „ oportet venerabiliter, et cum decenti reverentia de proposita quaestione sciscitari, responsumque admittere, et sive „ juvari, sive juvare, non tamen impudenter contra seniores Romae Pontifices sententiam ferre. (4) „ Non id profecto OEcumenici Concilii Patres impudentiae, ac temeritati adscriberent, si in Pontificem sese auctoritatem habere crederent, ut sententiam ferre possent contra judicium, quod ab eodem Pontifice latum est.

(1) Quadrat in hanc novam opinionem illud Tertulliani *de praescript. cap.* 31. *pag.* 213. *edit. Venet.* 1744. ; » id esse dominicum et verum, » quod sit prius traditum, id autem extraneum et falsum quod sit posterius » immissum. » Videndi praeter ceteros sunt Ballerinius *de potest. eccles. Summor. Pontif. et Concil. general. cap.* 5. *numer.* 20. *et seq. pag.* 84. *et seqq. edit. cit.*, et Veith *Richerii system. confut. sect.* 2. *cap.* 1. *art.* 3. §. 25. *seqq. pag.* 114. *et seq. et art.* 3. *pag.* 29. *et seq. pag.* 143. *et seq.*

(2) Confer Ballerinium *loc. cit. cap.* 5. *pag.* 66. *et seq.* Auctorem Libri *quis est Petrus? par.* 3. *cap.* 2. *pag.* 311 *seqq.*, Charlas *de libert. Eccles. Gallican. lib.* 8. *cap.* 14. *tom.* 1. *pag.* 116. *seqq.*, *et in append. ad eumd. tract. observ. in epistol. Episcop. Tornacen. tom.* 3. *pag.* 283. *seqq. edit. Romae* 1720., Thomassinum *dissert.* 18. *in synod. Roman. an.* 532. *num.* 110., Petitdierum *dissertation sur l' infallibilitè des Papes* §. 5. *pag* 22. *seqq. ed Luxemburgi* 1725. Librum cui titulus *Responsio Historico-Theologica ad Cleri Gallican. de potest. eccles. declarationem art.* 3. *pag.* 86. *seqq. edit. Colon. Agrippin.* 1683.

(3) Allocutio tertia Hadriani II. *act.* 7. *Concil. Oecumenic. VIII. tom.* 10. *Concil. col.* 597.

(4) *Ibid. can.* 21. *col.* 646.

§. III. Ante hanc aetatem, quae pertinet ad IX. Ecclesiae saeculum, jam Gelasius, qui saeculo V. Pontificatu Maximo functus est, omnes appellationes ad quodcumque etiam generale Concilium vetitas esse declaraverat his verbis : „ nec „ taceamus, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quo- „ niam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes B. „ Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quae de omni „ Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuidam de ejus liceat „ judicare judicio, siquidem ad illam de qualibet mundi par- „ te canones voluerint appellare, ab illa autem nemo sit ap- „ pellare permissus „ (1). Ante annos plusquam mille tercentos Pontifex Gelasius ad Episcopos scribens testatur, quod cuncta per orbem Ecclesia noverit; Sedem Apostolicam jus habere de omnibus judicandi, de ejus autem judicio nemini fas esse judicare. Quam Gelasii sententiam laudat, ac sequitur Synodus Romana anni 1074. (2). Concinunt Bonifacius I. (5), cujus verba sunt haec: „ umquam licuit de eo rur- „ sum, quod semel statutum est ab Apostolica Sede, tractari „ ac rursus. „ Nemo umquam Apostolico culmini, de cujus ju- „ dicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit, ne- „ mo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluerit judicari, „ „ et Nicolaus I., qui ita scribit: „ Quoniam cum secundum ca- „ nones, ubi est major auctoritas, judicium inferiorum sit

„ deferendum, ad dissolvendum scilicet, vel ad roborandum, „ patet profecto Sedis Apostolicae, cujus auctoritate major „ non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio (4). „ His aliisque Summorum Pontificum, et Conciliorum decretis inhaerens Martinus V. in publico, et generali Consistorio decrevit quod „ Nulli fas est a Supremo Judice, videlicet Apostolica Sede, „ seu Romano Pontifice, Jesu Christi Vicario in terris appellare, aut illius judicium in causis fidei, quae tamquam majores ad ipsum, et Sedem Apostolicam deferendae sunt, „ declinare (5). „ Cum vero in ipsa Synodo Constantiensi Poloniae Legati, qui omnem operam dabant, ut Joannis Falkenbergii libellus damnaretur, neque id a Summo Pontifice impetrare potuisseut, sese ad Concilium provocaturos minarentur, Pontifex eos silere jussit, allata Constitutione, qua hujusmodi appellationes interdictae sunt, quod ut noverunt Legati, de sententia destiterunt (6). Callistus quoque III. an. 1457. (7), et Pius II. (8), inflicta poena excommunicationis in Conventu Mantuano an. 1459. hujusmodi appellationes damnavit, „ ne „ impunita scelera remaneant, adversus primam Sedem rebellio nutriatur, libertas delinquendi concedatur, et omnis „ ecclesiastica disciplina, et hierarchicus Ordo confundatur. „ Quas easdem rationes in Moguntino Conventu Rodulphus Wormatiensis Decanus urgebat adversus Dytherum Moguntiae Archiepiscopum. „ Quem appellasti, *ajebat*, judicem, „ quem provocasti tuae causae cognitorem? futurum Concilium, dicis, appellavi: et ubi est futurum Concilium? Pulchra inventa, ut impunita sint scelera, ut liceat sine metu „ judicia aliena invadere, is judex appellatur, qui numquam „ reperitur (9). „ Eamdem Pii II. constitutionem confirmarunt Sixtus IV. (10), et Julius II. (11), anathematis poena constituta adversus eos, qui a Summo Pontifice Concilium appellant, quae Sixti constitutio jussu Ludovici XI. solemniter in Galliis fuit promulgata (12), ac postea qui secus senserant solemniter ejurarunt sententiam suam, atque errati veniam postularunt (13).

(1) Gelasius I. *ep.* 13. *ad Episcop. Dardan.* apud Labbaeum *Concil. tom.* 5. *col.* 328.

(2) Synodus Romana *cap.* 23. *tom.* 12. *Concil. col.* 576.
(3) Bonifacius I. *ep.* 13. *ad Rufum Thessalon.* apud Coustantium *col.* 1036. et *ep.* 15. *col.* 1042.
(4) Nicolaus I. *ep.* 8. *ad Michael Imper. tom.* 9. *Concil. Labbaei col.* 1339.
(5) Martinus V. apud Schelestratem *de sens. et auctor. decret. Constant. Concil. dissert.* 3. *cap.* 4. *pag.* 201. *seqq. edit. Romae* 1686., Charlas *de libert. Eccles. Gallican. observat. in epist. Episc. Tornacensis tom.* 5. *pag.* 282. *edit. cit.*, Auctor libri *quis est Petrus cap.* 2. *art.* 2. §. 5. *pag.* 333. *edit. Ratisbon.* 1791.
(6) Vide Schelestratem *loc. cit. pag.* 206. *et* 208.
(7) Calistus III. apud Raynaldum *ad. an.* 1457. *num.* 55. *et seq. tom.* 10. *pag.* 120.
(8) Pius II. *Const. execrabilis* 5. *tom.* 3. *Bullar. par.* 3. *pag.* 97. *edit. Mainardi.*
(9) Confer Gobelium *comment. rer. memorab. Pii II. lib.* 6.
(10) Sixtus IV. *Const. cum superiori* apud Raynaldum *ad an.* 1483. *num.* 18. *tom.* 11. *pag.* 43. *ejusd. Bullar.*
(11) Julius II. *Constit. hac generali* apud Raynaldum *ad an.* 1509. *num.* 13. *tom.* 11. *pag.* 538.
(12) Raynaldus *ad an.* 1483. *num.* 22. *pag.* 45. *d. tom.* 11.
(13) Raynaldus *ad an.* 1509. *num.* 14. *pag.* 534. *loc. cit.*

§. IV. His addenda sunt testimonia Gallicanae praesertim Ecclesiae, ex qua sumimus Avitum Viennensem Episcopum, qui in causa Symmachi ejusdem Ecclesiae sententiam profert, atque omnium Galliae Episcoporum nomine conqueritur, quod in ea causa congregatum sit Concilium inquiens, quod: „ si saecula primum fuerat accusatus, Consacerdotum suorum solatium potius asciscere, quam recipere debuisset judicium, „ et rationem subjicit „ quia sicut subditos nos esse terrenis potestatibus jubet arbiter coeli, staturos ante Reges, et Principes in quacumque occasione praedicens; ita non facile datur intelligi, qua vel ratione, vel lege ab inferioribus eminentior judicetur (1). „ Eadem habet Hincmarus Rhemensis his verbis: „ Quibus omnibus demonstratur, „ quia Synodus comprovincialium Episcoporum judicia, generalis autem Synodus comprovincialium dijudicationes, sive dissensiones vel probet, vel corrigat. . . . . . Apostolica vero Sedes et comprovincialium et generalium retractet, refricet, et confirmet judicia; sicuti epistolae Leonis, atque Gelasii ceterorumque R. Pontificum, et Sardicensis Synodus evidenter ostendunt (2). „ Et eadem Ivo Carnotensis de Paschale II. Pontifice „ Caritatem, *inquit*, redolentibus li-

„ teris admonendus mihi videtur, ut se judicet, aut factum „ suum retractet. Quod si fecerit, reddamus Deo gratias . . . „ Si autem in hoc languore insanabiliter aegrotaverit, non est „ nostrum judicare de summo Pontifice (3). „ Atque alio in „ loco Quoniam, *inquit*, judicia Romanae Ecclesiae a nemi- „ ne foris retractari posse eadem Ecclesia Romana docente di- „ dicimus, si qui aliquando se praegravatos illius Ecclesiae „ auctoritate conquerantur, hoc eis consilium damus, ut non „ descendant in Ægyptum propter auxilium, sed ad ipsam „ confugiant, et inde expectent levamen, unde se conque- „ runtur accepisse gravamen (4). „ Denique S. Bernardus ita Romanos Pontifices alloquitur. „ Quis mihi faciet justitiam „ de vobis? Extat quidem tribunal Christi, sed absit, ut ad „ illud appellem . . . . . Itaque recurro ad eum, cui datum „ est judicare de universis, hoc est ad vos; vos appello ad „ vos; judicate et me, et vos (5). „ Praeter Christi, et pro- prium tribunal, non aliud agnovit Bernardus, quod a judicio Summi Pontificis fas esset appellare.

(1) Avitus Viennensis *ep.* 31. apud Sirmondum *op. var. tom.* 2. *col.* 47. *edit. Venet. cit.* In eadem Symmachi causa, de qua loquitur Avitus, audiendus quoque est Ennodius Ticinensis *in apol. pro Synod.* apud eumdem Sirmondum *loc. cit. tom.* 1. *col.* 978. *edit. ejusdem*: „Ajunt enim vera est, *in-* „ *quit*, Episcoporum assertio, Sedis Apostolicae Praesulem minorum numquam „ subjacuisse sententiae, cur ad judicium districta conventione productus „ est? „ Et post laudata Pontificis humilitate, qua „ venerando Concilio „ auctoritatem etiam contra se, si meretur, indulsit „ Summi Pontificis causas a Deo ipso suo judicio reservatas affirmat; „ aliorum forte hominum „ causas Deus voluerit per homines terminari. Sedis istius Praesulem suo si- „ ne quaestione reservavit arbitrio.

(2) Hincmarus Rhemensis *de divort. Lothar. lib.* 1 *pag.* 462. *edit. Paris, pag.* 462.

(3) Ivo Carnotensis *epist,* 253, *pag.* 99, *par.* 2. *edit. Paris.* 1647.

(4) Idem *ep.* 159, *pag.* 67.

(5) S. Bernardus *ep.* 213. *opp. tom.* 1. *pag.* 86. *edit. Venet.* 1765.

§. V. Firma haec semper fuit, ac certa sententia eorum, qui pietate, ac doctrina Gallicanam Ecclesia illustrarunt; sed recentiori aetate graves in eo Regno turbae exarserunt, cum a Clemente XI. Paschasii Quesnelli liber per Bullam *Unigenitus* damnatus est. Fuerunt aliqui ex Gallicanis Epi- scopis, qui Quesnello faventes, et Pontificium decretum aegre ferentes ad oecumenicum Concilium provocarunt. Sed pars

maxima firme, graviterque retinuit Majorum doctrinam (1), ac demum postquam ipse Princeps adversae sententiae Cardinalis de Noailles Archiepiscopus Parisiensis suum agnovit, et ejuravit errorem, omnes in eamdem ivere sententiam: a dogmatico judicio Sedis Apostolicae nefas esse appellare (2). Ante hanc aetatem et alia quidem occurrunt similium appellationum exempla, e quibus duo sunt vocanda hoc nomine, et in iis qui insistunt rubore suffusi tacere potius, quam ea memorare deberent. Primum est Pelagianorum, qui saeculo V. oblata Zosimo P. fidei professione ab eo petierunt, ut eamdem expenderet, sibique indicaret, si quod in ea erratum deprehenderet; secus oecumenicam synodum sese appellaturos declararunt. Haec sane horum haereticorum appellatio non pura, simplexque fuit, sed conditionem habebat, si a Pontifice justitia denegaretur. Alterum exemplum est Lutheri, qui saeculo XVI. incredibili audacia a judicio Leonis X. a quo damnatus fuerat, ad generale Concilium provocavit. Cetera, quae proferunt, exempla minime ad hoc genus pertinet. Petrus de Marca (3), qui appellationem ad Concilium vocat: „ novam quamdam rationem in Ecclesiam in„ vectam ab iis, qui se Romanae Curiae censuris premi exi„ stimabant „ primum omnium, qui appellatione ad Concilium usus est, fuisse putat Fridericum II. At hic non a solo Papa, sed a Concilio generali Lugdunensi appellavit (4). Provocarunt etiam Galli pro Philippo IV. Galliae Rege a Bonifacio VIII. P., sed hunc legitimum Pontificem non esse existimabant, quia suffectus fuerat vivo Coelestino V., qui se Pontificatu abdicaverat. Erat quidem inanissima haec exceptio, cum duabus Constitutionibus, altera ipsius Coelestini V., altera Bonifacii VIII. a tota Ecclesia receptis, ac descriptis in VI. Decretalium (6), statutum fuisset, licitum esse Summo Pontifici sese Pontificatu addicare. Sed inani hoc argumento utebantur Galli, ut gratificarentur Philippo Regi, quem inter, et Bonifacium gravissima dissidia existebant. Verum per hanc appellationem a Bonifacio ad Concilium certi, verique Pontificis auctoritatem nullo modo labefactare voluerunt; idque adeo verum est, ut illi ipsi Gallicani Antistites, qui contra Bonifacium facinus patraverant, consensum requirerent Summi Pontificis, ut synodi decreta vim obtinerent. Nam in

libello a Bonifacii accusatoribus oblato Clementi V. aperte significatur „ quod ad damnandam Bonifacii memoriam opus non esset generali Concilio, sed una sufficeret Pontificis auctoritas, hujusmodi allata ratione. „ Estis enim vos, Pater „ Sanctissime, Jesu Christi Vicarius totam Ecclesiam repraesentans, qui claves Regni Coelorum habetis; nec congre„ gatum totum generale Concilium sine vobis, et nisi per „ vos potest cognoscere de negocio (7). „

(1) Confer Auctorem libri *de Ro. Pontificis auctoritate Ecclesiae Gallicanae sententia lib.* 2. *cap.* 6. *tom.* 2. *lib.* 2. *cap* 6. *pag.* 51. *seqq. edit. Avenion.* 1747.

(2) Hujus Constitutionis historiam accurate descripsit Petrus Franciscus Lafiteau cum titulo *Histoire de la Constitution Unigenitus.*

(3) Petrus de Marca *concord. Sacerdot. et Imper. lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 1. *et seq. pag.* 166. *edit. Roboret.* 1763.

(4) Matthaeus Paris. *in Henric. III. ad ann.* 1245.

(5) *Preuv. des liber. de l' Eglis. Gallican. cap.* 3. apud Charlas *de libert. Eccles. Gallican. tom.* 3. *observ. in epist. Episcop. Tornacensis pag.* 284. *edit. cit.*

(6) *Cap.* 1. *de renunciat. in* 6.

(7) Vide Ballerinium *de potest. eccles. Sum. Pontif. et Concil. general. cap.* 5. §. 2. *num.* 17. *pag.* 84. *edit. Aug. Vindelic.* 1770.

§. VI. A vero, certoque Pontifice Martino V. Legati Regis Poloniae ad Concilium appellarunt, sed jussu ejusdem Pontificis tacere debuerunt, uti supra narravimus, et tunc decreto, cujus est facta mentio, sancitum fuit, ut a judicio Summi Pontificis ad Concilium appellare liceret nemini. Gesta haec sunt omnia in conspectu Patrum, qui ad Concilium convenerant, et licet omnium maxime interesset pro illius propugnare auctoritate, tamen eorum nemo contra Martini decretum, aut pro Legatis Polonorum verbum ullum fecit; imo omnes silentio, et obsequio probarunt quod a Martino actum, ac decretum fuerat. Itaque hujusmodi appellatio egregie confirmat Romani Pontificis auctoritatem; tantum abest, ut de ea quidquam detrahere posse videatur.

§. VII. Denique inter eos, qui nulli hominum, sed soli Deo, Romani Pontificis judicium obnoxium habuerunt, omittendus non est Philippus Sveviae Dux, qui de Imperio cum Imper. Othone certabat. Is cum in Romanam Ecclesiam, Summumque Pontificem diu contumeliosus fuisset tandem ve-

ritate cognita rediit in bonam mentem, deditque literas ad Innocentium III. obsequii, et reverentiae plenas, quibus diserte confessus est, non ulli homini, sed soli Deo ejus judicium esse subjectum. Scribit enim (1); „ Si nos in aliquo „ vos, vel Romanam Ecclesiam offendisse videamur, nos pro „ honore Domini nostri Jesu Christi, cujus vicem in terris ge„ ritis, et ob reverentiam B. Petri Principis Apostolorum, „ cujus vicarius estis, et ob salutem nostram nos ad satisfa„ ciendum vobis supponimus. Si vero vos in aliquo nos, vel „ Imperium laesisse videmini, conscientiae vestrae super iis „ vos relinquimus. Cum enim nos pie credamus, et ante pas„ sionem, et post passionem Dominum nostrum Jesum Chri„ stum B. Petro claves regni Coelorum contulisse, et tra„ didisse jus ligandi, atque solvendi, scimus, et protesta„ mur, quod vos, qui in locum suum cum plenitudine po„ testatis successistis, in hujusmodi articulis ab homine non „ estis judicandus, sed judicium, et examen, quod sibi soli „ debetur, nobis non quaerimus usurpare. „

(1) Has Philippi literas describit Raynaldus *ad an*, 1206. *num*, 16. *pag*. 238. *tom*. 2. Ceterum de hoc argumenti genere late disputant Bellarminus *de Roman. Pontif. lib*. 2. *cap*. 21. *et* 26. *opp; tom*. 1. *pag*. 330, *et* 336. *edit, Venet*. 1721., Raynaldus *ad an*. 1460. *num*. 10. *et* 35. *seq*, *tom*. 10. *pag*. 212. 232. *seqq. edit. Lucae*, Ballerinius *de potest. eccles, Sum. Pontif. et Concil. general. cap*, 5. §. 2. *pag*. 74. *seqq. edit. cit.*, Charlas *loc. cit, pag*. 283. *seqq.*, Auctor libri *quis est Petrus par*. 3. *cap*, 2. *art*. 1. *pag*. 351. *seqq. edit. cit.*, Cartier *Auctor. et infallib. Sum, Pontif. cap*. 9. *pag*. 235. *seqq. edit. August. Vindelic*, 1738., Auctor libri *de suprem. R. Pontificis auctoritate tom*. 2. *lib*. 2. *cap*. 6. *pag*. 51. *seqq, edit. Avenion*. 1747., Orsius *de R. Pontificis in synod. oecumen, et eorum canones potest.*

*Finis Tomi Tertii et operis.*



# RECENSIO TITULORUM
## *LIBRI III.*

## RECENSIO CAPITUM APPENDICIS.

